This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Sold by
C. J. STEWART,
11 King William St.
W. Strand, London.

Digitized by Google

Digitized by Google

Mason 99.40.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PSYCHOLOGIA EMPIRICA

METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATA,

QUA EA, QUÆ

DE ANIMA HUMANA

INDUBIA EXPERIENTIÆ FIDE
CONSTANT, CONTINENTUR

ET

AD SOLIDAM UNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ

AC THEOLOGIÆ NATURALIS TRACTATIONEM
VIA STERNITUR.

BODLEIANA BIBLIOTHECA

AUTORE

CHRISTIANO WOLFIO,
ACADEMIÆ MARBURGENSIS P. T. PRO-RECTORE.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ, MDCCXXXII.

PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DOMINO
WILHELMO,

HASSIÆ LANDGRAVIO, PRINCIPI
HERSFELDIÆ, COMITI CATTIMELIBOCI,
DECIÆ, ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ ET
SCHAUMBURGI
&c. &c.

POTENTISSIMI SUECORUM
REGIS, HASSIÆ LANDGRAVII,
IN TERRIS HÆREDITARIIS
VICARIO,

EXERCITUS EQUESTRIS FOEDERATI BELGII
GENERALI LOCUM TENENTI,

LEGIONIS PRÆTORIANÆ DESULTORIÆ
CHILIARCHÆ,

NEC NON

OPPIDI TRAJECTI MOSANI SUPREMO
PRÆFECTO BELLICO,
&c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO
LONGE CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

PRINCEPS SERENISSIME,
DOMINE
LONGE CLEMENTISSIME.

Tantæ ſunt, quæ mentem Tuam exornant, & quibus inter ſummos omnis ævi Principes caput auguſtum extollis, ut, ſi quis ea facundia præditus foret, quæ iis deſcribendis ſufficeret, is vivis coloribus depictum daret,

Digitized by Google

ret, quicquid de Mente humana ſublime ac heroicum cognoſci poteſt. Utinam mihi eſſent vires, quas iisdem deprædicandis non ſine ſucceſſu impenderem! Atat tenuitatis ipſarum mihi probe conſcius valde vereor, ne eas potius obſcurem, quam illuſtrem. Præſtat igitur ſilere & monere tantummodo ſeros nepotes, quibus tanti Principis memoria ſemper ſacra erit, ut Hiſtoricorum volumina quævis antiquiſſima & recentiſſima evolventes, id omne Tibi tribuendum eſſe agnoſcant, quicquid unquam in Principibus venerabunda mente deprædicarunt, quotquot unumquodque vero ſuo pretio æſtimare didicerunt. Quoniam in hoc Opere, quod ſub Pſychologiæ

Digitized by Google

empiricæ nomine in publicum profero, facultates mentis humanæ omnes ea, qua fieri potuit, ſolertia explico, & ad dotes atque virtutes, quæ mentem humanam ornare poſſunt, intimius perſpiciendas facem præfero; ſingularis mihi ratio fuit, cur, PRINCEPS SERENISSIME, opus hoc ad pedes SERENITATIS TUÆ humillima mente deponam. Accedit vero hæc altera non minus ſingularis, quam ſilentio transmitti nefas eſto! Quemadmodum Ariſtotelem, Philoſophum ſummum, hodienum felicem prædicat Orbis eruditus, quod ALEXANDRI M. gratia frueretur, ut ejus munificentia perficere poſſet, quod alias fruſtra tentaſſet; ita me non minus felicem prædica-

Digitized by Google

dicabit ætas futura, quod Tua gratia adjutus perficere mihi detur, quod dudum animo volvi, vaſtum illud philoſophiæ opus, cujus jam quintum in publicam lucem prodit volumen. Gratiæ illius ſummæ ſuſpiciendos indies experior effectus, ad tam arduum opus, quod aggreſſus ſum, continuandum maxime proficuos, immo apprime neceſſarios. Quoties enim Tuam, PRINCEPS CLEMENTISSIME, in me clementiam intueor, toties vires langueſcentes refici animumque mihi addi ſentio ad vincendum improbo labore omne, quod objicitur, obſtaculum. Meum igitur fuit, PRINCEPS SERENISSIME, Tuam in me gratiam publico cultu venerari ac ad poſterorum memoriam

Digitized by Google

riam commendare. Eodem adeo vultu hunc, quem humillime offero, librum intueri ut digneris, quo autorem ejus hactenus adſpicere ſolitus es, demiſſe rogo. In vota jam totus reſolvitur animus. Servet Te, Principum Decus, Deus Optimus Maximus, & omni felicitatis genere locupletet! Ita vovet

PRINCEPS SERENISSIME,
DOMINE CLEMENTISSIME,
SERENITATIS TUÆ

humillimus & ſubjectiſſimus
cultor
CHRISTIANUS WOLFIUS.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

PSychologiæ primam partem in lucem proferimus, quam empiricam appellare ſuevimus, propterea quod de anima tradit, quæ experientia magiſtra addiſcuntur, eruendo notiones ex iis, quæ in nobismetipſis obſervamus. Diſciplina hæc utilitates longe maximas ſpondet. Explicantur in ea facultates animæ humanæ ſingulæ, quibus utimur tum in rebus cognoſcendis, tum in rebus gerendis, tum in actionibus liberis determinandis. Logica docet uſum facultatis cognoſcendi, præſertim ſuperioris, quem intellectum dici-

Digitized by Google

mus, in certa rerum cognitione comparanda. Quamobrem si quis ea, quæ in Logica traduntur, intimius perspicere voluerit, ei facem præferet doctrina de facultate cognoscendi, ejus præsertim parte superiori. Non inanem ideo operam sumet, qui, ubi probe cognita atque perspecta habuerit, quæ prima Psychologiæ empiricæ parte, de facultatis cognoscendi parte tam inferiore, quam superiore docemus, Logicæ inprimis theoriam omnem accuratæ discussioni subjicit: animadvertet enim lucem inexpectatam, qua præcepta ejus perfusa plenius ac intimius intelliguntur, & amplioris multo usus agnoscuntur, quam antea videbantur, ubi mens seipsam adhuc veluti per nebulam quandam intuebatur. Usum facultatis cognoscendi expendit quoque Ars inveniendi, eumque facile principem. Quamobrem in hac certo tramite progredi non licet, nisi instar fili Ariadnei sit Psychologiæ de facultate theoria. Traditur nempe ibidem modus investigandi veritatem nobis adhuc incognitam tum recto usu facultatis inferioris, tum facultatis superioris, tum per utriusque rite celebratum connubium. Utramque igitur facultatis cognoscendi partem penitus perspectam habere debet,

qui

Digitized by Google

qui in arte inveniendi apertis oculis videre nec talpa cœcior esse debet. Singularem facultatum animæ usum docet Logica probabilium, eumque utilitatis longe maximæ. Quamobrem quando hæc philosophiæ pars longe utilissima excoletur, non minus is, qui eidem in formam artis redigendæ studebit, verum etiam ceteri, qui præceptis ejusdem rite intelligendis ac ad usum transferendis operam navabunt, non aliis utentur perspicillis, nisi quæ Psychologia empirica suppeditat, ubi in singulis dignoscendis & agnoscendis acumen suum desiderari non patientur. Rectam actionum liberarum directionem philosophia moralis monstrat. Nullus itaque est in hac nobilissima philosophiæ parte, qui facultatis animæ humanæ omnes nondum a facie novit. Non alia profecto causa est, quod hactenus philosophi omnem virtutum ac morum praxin ad artis formam non redegerint, quam quod minime perspexerint, quomodo per leges, quas sequuntur facultates animæ, eædem arbitrio nostro subjiciantur earundemque usu actiones liberæ eo dirigantur, quo tendere debent, ut adeo singularum actionum huma-

Digitized by Google

narum determinationes atque directiones per constantes quasdam leges non minus intelligibili modo explicentur & ex natura animæ a priori deducantur, quam in Physica actiones corporum ac pendentes inde mutationes in universo hodie explicari solent. Oculatam faciemus fidem, quando Metaphysica absoluta, & jure naturali ad umbilicum perducto, Ethicam methodo nostra pertractabimus. Tum vel fugitivo oculo eam percurrenti patebit, quantus sit Psychologiæ empiricæ in praxi morum usus. Immo idem jam eluceſcet in Philosophia practica universali, in qua generalem illius praxeos theoriam tradituri sumus. Habet etiam usum Psychologia empirica insignem, sed hactenus non animadversum in ipsa notione juris naturalis & obligationis naturalis investiganda & evolvenda: qui denuo ex Philosophia practica universali eluceſcet. Immo in Jure naturali nobiliſſima pars officiorum erga seipsum, quæ scilicet officia erga animam complectitur, nondum perspectis penitus animæ facultatibus rite constitui nequit: id quod ex Corpore Juris naturalis, quale locupletiſſimum daturi sumus, abunde patebit. Inprimis autem in parte philosophiæ moralis semiotica, quæ Ars conjectan-

Digitized by Google

jectandi hominum mores dici ſuevit, inexpectatum præſtat uſum Pſychologia empirica: id quod luculenter conſtabit, ubi fundamenta hujus Artis in Philoſophia practica univerſali excitabimus & in Philoſophia morali de ſignis virtutum ac vitiorum trademus, quæ ad interiorem mentis ſtatum divinandum conducunt. De rebus gerendis Politica agit. Nos doctrinam civilem ex jure naturali & philoſophia morali tanquam principiis propioribus deducimus. Quamobrem cum multus ſit Pſychologiæ in Jure naturæ ac Philoſophia morali uſus, mediantibus præceptis Juris naturalis atque Ethicæ in philoſophiam moralem redundat. Enimvero non opus eſt ut ad uſum hunc mediatum provocemus; habet enim uſum immediatum maximè præclarum in philoſophia civili, non modo ubi de cura Principis circa animam ſubditorum agitur, verum etiam in aliis ejus capitibus: quemadmodum palam erit, ubi Politicam luci publicæ expoſituri ſumus. Reſtat uſus prorſus eximius, qui ſolus Pſychologiam empiricam commendare, immo indiſpenſabilem ejus neceſſitatem commonſtrare poterat, nimirum is qui in Theologia naturali conſpicitur.

Digitized by Google

Quando enim eam luci publicæ expoſituri ſumus, palam erit niſi notionibus diſtinctis facultatum mentis præſuppoſitis ad diſtinctas attributorum divinorum notiones perveniri haud quaquam poſſe. Quantum vero interſit ut eorundem notiones diſtinctas poſſideamus, tum dilucide conſtabit, quando in Jure naturali de officiis erga Deum, in philoſophia morali de pietate ceterisque virtutibus theologicis, in Teleologia de Deo ex operibus naturæ cognoſcendo & in ipſa Theologia naturali de methodo in hac cognitione obſervanda acturi ſumus. Quæ de uſu Pſychologiæ empiricæ diſſeruimus, non in eorum numerum referenda ſunt, quæ magis optanda, quam ſperanda videntur: neque enim loquimur niſi experta. Ac ideo provido conſilio Pſychologiam empiricam a rationali ſejungere placuit, ut inconcuſſa maneant tam arduæ molis fundamenta. Cum enim in Pſychologia rationali naturam mentis humanæ ac eſſentiam explicemus & inde eorum, quæ in mente obſervantur, rationem a priori eliciamus, novo quodam & invidendo auſu; in hiſtoria autem literaria peregrinus ac hoſpes ſit neceſſe eſt, qui ignoret eum regnare in orbe eru-

Digitized by Google

erudito morem, ut quæ noviter detecta ſunt non admittantur, niſi poſtquam per aliquod temporis ſpatium impugnata, in invidiam adducta & extirpationi proxima fuerint: fundamenta doctrinarum generi humano utiliſſimarum ne ad ſpeciem quidem labefactari conſultum duximus. Quamobrem ſi quis hebetioris fuerit ingenii, quam ut Pſychologiam rationalem capiat; is eadem ſepoſita, immo ſi libuerit damnata ad philoſophiam practicam ſtatim progrediatur certo perſuaſus ſe non minus inoffenſo tramite per ſpatioſum illius campum progreſſurum, quam cui hoc datum fuerit ut animam ſuam a priori cognoſcat. Quamvis vero in Pſychologia empirica non tradamus niſi quæ certa experientiæ fide conſtant & quæ unusquisque in ſeipſo experiri poteſt, modo facultates ſuas ad eum gradum evexerit, ut ad exercitia huc requiſita fuerint aptæ; hoc tamen non obſtante methodi noſtræ leges ſecuti omnem doctrinam in eum ordinem digeſſimus, ut alia ex aliis deducantur & ſequentia ex antecedentibus demonſtrentur. Id inprimis neceſſarium eſſe duximus, ut evidenter conſtaret,

pro-

Digitized by Google

propoſitiones ſingulas eſſe ritę determinatas & definitiones iis demonſtrandis ſufficere, quæ inde demonſtrari debent, conſequenter utrasque eſſę principia ad ratiocinandum utilia ac in diſciplinis ceteris cum fructu adhibenda. Ut vero alia ex aliis deduci poſſent, ſingulas facultates eo ordine explicavimus, quo in modificationibus animæ ſeſe exerunt. Atque hoc nomine non modo facultatem cognoſcendi contemplamur, antequam ad facultatem appetendi conſiderandam pedem promovemus; verum etiam utriusque partem inferiorem a ſuperiori accurate diſtinguimus, & in explicanda utraque ab inferiori ad ſuperiorem eodem tramite progredimur, quo in exercitio facultatum ab illa ad hanc continuus fit progreſſus. Taceo cetera, quæ ex ipſa lectione rectius innoteſcunt. Ceterum qui in poſterum tantorum, quos prædicavi, fructuum participes fieri voluerint, in Pſychologia empirica aſſidui ſint, donec in notionibus, quas familiares experiuntur, pleniſſima lucę fruantur, quam lectori diſcendi animo accedenti animitus apprecamur. Dabam Marburgi Cattorum d. 19. Aprilis 1732.

Digitized by Google

PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ PROLEGOMENA.

§. 1.

Sychologia empirica est scientia stabiliendi principia per experientiam, unde ratio redditur eorum, quæ in anima humana fiunt. *Psychologiæ empiricæ definitio.*

Psychologiæ empiricæ definitionem jam dedimus in Discursu præliminari Logicæ præmisso (§. 111). Monuimus quoque ibidem (*not.* §. 112), cur a Psychologia rationali eam distinguamus. Principia Psychologiæ, quæ a posteriori stabiliuntur, maximam habent per universam philosophiam practicam, immo per omnem quoque Theologiam tam naturalem, quam revelatam, utilitatem. Quamobrem cum in Psychologia rationali tradantur, quæ, cum principiis nondum obviis nitantur, in disputationem adducuntur; ea, quæ veritatibus arduis tanquam fundamentum substerni debent, ab illis separari conveniebat. Sed de iis, quæ jam alibi legi possunt, plura non dicimus.

Digitized by Google

§. 2.

Quomodo psychologia empirica doctrina innoteſcat.

Quoniam in Pſychologia empirica per experientiam ſtabiliuntur ea, quæ de anima humana traduntur (§. 1); ea autem experimur, quæ ad perceptiones noſtras attenti cognoſcimus (§. 664 *Log.*); *quæ ad Pſychologiam empiricam ſpectant, attentione ad ea facta, quæ nobis conſciis in anima noſtra ſunt, innoteſcunt.*

Propoſitio hæc duplicem habet uſum. Etenim hinc primo liquet, quomodo ad cognitionem eorum perveniatur, quæ in Pſychologia empirica docentur: id quod inventoribus prodeſt. Secundo autem ex eo intelligitur, quomodo ea, quæ in Pſychologia empirica traduntur, & rite intelligi, & ad examen revocari poſſint: id quod eos juvat, qui certam rerum pſychologicarum notitiam ſibi comparare ſtudent. Nimirum notiones pſychologicas inventurus id agere debet, ut anima plurimas operationes ex ſe elicere poſſit: ita enim multorum experiundorum aderit occaſio. Ab iis enim, quæ fiunt in anima, colligimus, quæ fieri poſſunt eaque ad notiones determinatas revocamus. Quæ vero in Pſychologia traduntur, ea ut in ſe experiatur, vel in talia, quæ experitur, reſolvat, operam dare debet, qui verbis reſpondentes notiones habere & de earum veritate certus eſſe voluerit. Ex ipſa autem tractatione conſtabit, quod hoc ſtudium quovis pacto ipſimet juvemus.

§. 3.

Habitus ad pſychologicas notiones inveniendas requiſitus.

Quoniam in Pſychologia traduntur, quæ experientia magiſtra innoteſcunt (§. 1), ea vero ſingularia ſunt (§. 665 *Log.*), cum, quæ in Philoſophia docentur, cujus pars Pſychologia empirica eſt (§. 111 *Diſc. prælim.*), accuratis definitionibus explicari (§. 116 *Diſc. prælim.*) & ad propoſitiones determinatas revocari debeant (§. 121 *Diſc. prælim.*); *Dogmata Pſychologiæ empiricæ inventurus pollere debet habitu ea, quæ experimur, ad definitiones accuratas & ad propoſitiones determinatas revocandi:* qualem habitum poſſibilem eſſe conſtat (§. 708 *Log.*).

Hæc

Hæc non una de causa monemus. Etenim ad hoc conducit, ne quis se huic labori parem existimet, qui tamen eidem maxime impar est, irrito successu tantum opus aggressurus. Deinde hinc intelligimus, cur Psychologia hactenus propemodum deserta fuerit ac parum exculta. Docemur denique ad notiones psychologicas inveniendas plurimum adjumentum afferre notiones ontologicas, quares esse directrices in notionibus universalibus eruendis in Horis subsecivis A. 1729 Trim. Vern. n. 4. §. 2 & seqq. ostendimus.

§. 4.

Psychologia empirica principia suppeditat rationali. Etenim in Psychologia rationali ratio reddenda est eorum, quæ in anima nostra fiunt (*§. 58. 31 Disc. prælim.*). Enimvero in Psychologia empirica stabiliuntur principia, unde ratio redditur eorum, quæ in anima humana fiunt (§. 1). Ergo Psychologia empirica principia suppeditat rationali. *Usus Psychologiæ empiricæ in rationali.*

Hinc jam alias (*not. §. 111 Disc. prælim.*) monuimus, Psychologiam empiricam Physicæ experimentali respondere. Constat enim Physicam quoque experimentalem dogmaticæ principia suppeditare. Quemadmodum itaque Physicæ experimentali indefessam operam navare debet, qui rerum naturalium cognitionem veram curæ cordique habet; ita etiam in Psychologia empirica assiduus sit necesse est, qui certam animæ cognitionem desiderat. Patebit vero in progressu plura de anima humana certo cognosci posse, quam vulgo existimetur, si Psychologia empirica rite excolatur.

§. 5.

Psychologia empirica inservit examinandis & confirmandis iis, quæ de anima humana a priori eruuntur. Quoniam enim in Psychologia empirica ea traduntur, quæ attentione ad ea facta, quæ nobis conscii in anima nostra fiunt (*§. 2*), cognoscuntur; si quæ de anima humana a priori eruta fuere, cum iis conferenda sunt, quæ in Psychologia empirica per experientiam stabiliuntur. Quodsi enim cum iisdem eadem sunt vel consentiunt, ea veritati consentanea esse dubitari nequit: sin vero eidem repugnant, ea a veritate abhorrere palam est *Usus alter.*

Digitized by Google

(§. 567 *Log.*). Quodſi in Pſychologia empirica nondum reperitur, quod a priori de anima fuit evictum; beneficio aliorum, quæ in Pſychologia empirica traduntur, attentio ad mentem noſtram dirigenda & in eo defigenda, quod eidem reſpondere debet, ut appareat, utrum eidem conveniat, nec ne. Et ſi quid occurrat, quod ad obſervationem reduci nequit; videre licet, num cum eo, quod ex principio in Pſychologia empirica ſtabilito conſequitur, idem ſit, vel num ex eo, quod a priori erutum, ſequatur aliquid in Pſychologia empirica ſtabilitum. Apparet itaque Pſychologiam empiricam inſervire examinandis atque confirmandis iis, quæ de anima humana a priori eruuntur.

Atque in eo Pſychologia empirica denuo convenit cum Phyſica experimentali: etenim experimentis quoque utimur tanquam examinibus dogmatum phyſicorum, ſive ex aliis experimentis, ſive ex his, quæ ex aliis experimentis deducta fuere, porro erutis. Pſychologia rationalis tradit ea, quæ a priori de anima innoteſcunt (§. 58 *Diſc. prælim.*). Quamobrem patet, Pſychologiam rationalem promovere incrementum empiricæ, etſi ex ea principia mutuetur: cum fœnore enim reddit, quod ab ea mutuatum fuerat. Equidem non impoſſibile videtur, ut ea absque Pſychologiæ rationalis auxilio a poſteriori ex obſervationibus deriventur; enimvero id commode fieri non poſſe ipſo facto docemur. Deficit attentio ad obſervationes, ſine qua advertere non datur, quæ in anima fiunt. Veritates a priori deductæ nos commonefaciunt eorum, quæ obſervari debent, & alias cogitationem noſtram effugiunt. Eædem modum inſinuant, ſine quo eorum, quæ in nobis contingunt, conſcii eſſe non poſſumus. Experta loquimur, quæ illi quoque experturi ſunt, qui in Pſychologicis notionibus ſibi familiaribus reddendis operam collocabunt. Imitatur ea in re Pſychologus Aſtronomum, qui ex obſervationibus eruit theoriam, & theoriam, quam eruit, per obſervationes denuo comprobat, ac ope theoriæ ad obſervationes deducitur, quæ alias cogitationem ipſius minime ſubiiſſent. Atque ideo in Pſychologia rationali interſeruntur de nonſtrationibus, quæ ad empiricam referri debebant. Et, ubi Pſychologia empirica conditur, ubi rationalis jam exculta, plurimis principiis locupletari poteſt, quæ alias ægre in eadem

Digitized by Google

eadem locum habitura fuissent. Optime igitur sibi consulit, qui studium Psychologiæ rationalis cum empirica constanter conjungit, etsi consultum nobis fuerit illam ab hac separari.

§. 6.

Psychologia empirica principia tradit juri naturali. In jure naturali demonstratur, quænam actiones sint malæ, quænam bonæ (§. 68 *Disc. prælim.*). Constat vero ex iis, quæ de jure naturali & gentium dicta sunt in Horis subsecivis A. 1729 Trim. brum. n. II. §. 6. 15. ac suo tempore evidentius demonstrabitur in Philosophia practica universali, atque ex ipso Juris naturalis systemate apparebit, rationem actionum, cur bonæ atque malæ sint, a natura humana desumi, consequenter etiam ab iis, quæ menti humanæ insunt. Quare cum in Psychologia empirica contineantur, quæ nobis conscii in anima nostra fiunt (§. 2); ex iis quoque desumendas esse rationes actionum intrinsece bonarum, vel malarum apparet. Psychologia igitur principia juri naturali tradit (§. 866 *Ontol.*). *Usus Psychologiæ empiricæ in jure naturali.*

Obtinet id inprimis in officiis hominis erga animam suam.

§. 7.

Psychologia empirica inservit Theologiæ naturali eique principia tradit. In Theologia enim naturali agimus de Deo ejusque adeo attributis (§. 57 *Disc. prælim.*). Ostendemus autem in Theologia naturali, nos ad notiones attributorum divinorum pervenire, quatenus notiones eorum, quæ menti humanæ insunt, ab imperfectionibus seu limitationibus liberamus. Quoniam itaque in Psychologia empirica traduntur notiones distinctæ eorum, quorum mens sibi in se conscia esse potest (§. 2); in formandis notionibus attributorum divinorum Theologiæ naturalis cultorem juvat, adeoque Theologiæ naturali inservit. *Usus ejusdem in Theologia naturali.*

Enimvero quoniam in Psychologia empirica, ut modo diximus, notiones distinctæ traduntur eorum, quæ menti humanæ

manæ insunt; ab iis principia generalia abstrahere licet de omni ente, quod similitudinem quandam cum anima habet, quanta scilicet ad genus quoddam constituendum sufficit (*§. 710 Log.*), hoc est, de Spiritu in genere. Quare cum etiam Deus Spiritus sit, quemadmodum in Theologia naturali demonstrabitur; ad eum quoque principia ista applicari possunt (*§. 346 Log.*). Psychologia itaque empirica Theologiæ naturali principia tradit.

Hinc intelligitur Theologiam naturalem multis defectibus laborare debere, nisi Psychologia empirica probe fuerit exculta. Quo profundius in hac versatus fueris, eo uberiorem in illa lucem experieris. Notiones enim attributorum divinorum fiunt distinctæ ac determinatæ, & hinc ad ratiocinandum utiles: id quod non modo in omni philosophia practica & Theologia naturali experimentali, verum etiam in ipsa Theologia revelata usum multiplicem habet.

§. 8.

Usus in philosophia practica.

Psychologia empirica philosophiæ practicæ principia tradit. Demonstrationem jam dedimus (*§. 92 Disc. prælim.*), cum ostenderemus, philosophiam practicam ex Metaphysica principia petere debere, si in ea omnia demonstranda sint: quam adeo ibidem vide.

Non alia profecto ratio est quam Psychologiæ empiricæ neglectus, quod in Ethica præsertim praxis virtutum colendarum & vitiorum fugiendorum prorsus fuerit deserta. Quæcunque enim de ea dici possunt, ad appetitum determinandum redeunt: in appetitus autem determinationem omnes omnino perceptiones influunt. Quamobrem quæ in Psychologia de appetitus determinatione stabiliuntur principia, ea in Ethica ad casus speciales transferuntur. Aliam longe faciem induit omnis morum philosophia, ubi luce Psychologiæ collustratur, tumque demum judicium certum fieri potest, quousque virtutes in potestate sint & quænam nos ab earum cultura arceant. Immo quæ de philosophia morali evicimus, ad ipsam quoque Theologiam moralem applicari possunt ac debent. Non liberabuntur libri, qui de ea scribuntur, a sterilitate, nisi ubi Psychologiæ periti ad eam in systema redigendam animum appellent: id quod non simplici vice

Digitized by Google

vice me monuisse memini. Clarius autem hæc intelligentur, ubi philosophiæ moralis systema ex principiis psychologicis a priori deductum dederimus.

§. 9.

Psychologia empirica principia tradit Logicæ. Demonstrationem denuo dedimus, cum ostenderemus, quænam Logica principia habeat (§. 89 *Disc. prælim.*): quam adeo ibidem vide. *Usus in Logica.*

Nimirum si rationem a priori reddere velis regularum logicarum, ad ea recurrendum, quæ de facultate cognoscendi in Psychologia traduntur. Quamobrem etiam Logicam demonstrativa methodo tradituri, de tribus mentis operationibus, notionum differentia formali terminorumque usu tradidimus, quæ in Psychologia empirica sedem propriam habent, & passim per eam deprehendes principia ex Psychologia empirica mutuata. Logicæ igitur tanto uberiorem lucem affundi deprehendes, quo penitius in Psychologia mentem humanam inspexeris. Possent alia bene multa de utilitate Psychologiæ empiricæ tradi: sed hæc sufficere possunt ad culturam Psychologiæ iis persuadendam, quibus certa Dei ac sui cognitio virtutisque studium curæ cordique est. Et ea fini nonnulla repetere libuit, quæ ex Discursu præliminari præsupponi poterant.

§. 10.

Studium Psychologiæ empiricæ animum sciendi cupidum multa voluptate perfundit & voluptatis capacem reddit, quæ alias in ipsum non caderet. Etenim Psychologia empirica ea tradit, quæ nobis conscii in anima nostra fiunt (§. 2). Quare cum animus sciendi cupidus ex cognitione acquisita voluptatem percipiat; ex sui inprimis cognitione certa voluptatem percipere debet, consequenter cum animæ cognitio ex Psychologia empirica acquisita certa sit (§. 567 *Log.*), ex studio psychologico voluptatem percipere debet. *Voluptas studii psychologici.*

Quoniam in Psychologia empirica cognoscimus principia, unde ratio eorum, quæ in anima humana fiunt, redditur (§. 1), ratio vero eorum, quæ enti insunt, vel inesse possunt, ex ipsius

ipsius essentia tandem petitur (§. 157 *Ontol.*); in ea cognoscimus, tum quæ in numero essentialium sunt, tum quæ rationem suam in iis habent. Jam vero qui novit ea, quæ menti humanæ sunt, multo rectius de perfectione mentis judicare valet quam alter, qui eadem ignorat: id quod per se patet. Quare cum inferius ostendatur ex sensu perfectionis percipi voluptatem eamque esse tanto majorem, quanto profundius perfectionem rimeris; per studium psychologicum animus hominis capax redditur voluptatis, quæ alias in eum minime caderet.

Constat ex Horis subsecivis A. 1729 Trimestr. Æst. n. I. & Trim. Autumn. n. I. & A. 1730 Trim. Brum. n. I. & Trim. Vern. n. I. sinceram illam voluptatem, quæ homines maxime decet, esse eam, quæ ex cognitione veritatis tam naturalis, quam revelatæ virtutisque tam naturalis, quam christianæ percipitur. Hanc igitur voluptatem ut plenius ac certius percipiamus, Psychologiæ studio obtinetur. Quoniam vera hominis felicitas, quæ in hac terra in ipsum cadit, in perceptione istius voluptatis consistit, quemadmodum suo tempore in philosophia practica universali demonstraturi sumus; quanti momenti sit solida Psychologiæ empiricæ cognitio hinc innotescit. Ceterum ex ipsa tractatione constabit, non impossibile esse, ut certam ac fœcundam de anima humana cognitionem consequamur. Patebit fallere præjudicium commune, quod immaterialitas animæ obstet, quominus positivi quid de eadem cognoscamus.

FINIS PROLEGOMENORUM.

PSYCHO-

Digitized by Google

PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ
PARS I.
DE
ANIMA HUMANA
IN GENERE
ET
FACULTATE COGNOSCENDI
IN SPECIE.
SECTIO I.
DE ANIMA IN GENERE.
CAPUT I.
De existentia animæ humanæ.

§. 11.

Fundamentum cognitionis existentiæ animæ.

NOs *esse nostri rerumque aliarum extra nos constitutarum conscios quovis momento experimur.* Non opus est nisi attentione ad perceptiones nostras, ut ea de re certi simus (*§. 664 Log.*).

Nemo miretur, nos talia proponere, quæ unicuique obvia sunt, nec quisquam in dubium vocaverit. Facimus hoc jubente methodo. Ubi enim aliquid demonstrandum, sumenda quædam sunt, cum nulla nisi ex assumtis procedat demonstratio. Quæ vero assumuntur, vel evidentia, vel per se clara esse debent, quod vel ante jam fuerint demonstrata, vel absque probatione concedantur. Ad classem posteriorem pertinet propositio præsens.

§. 12.

Certitudo illius fundamenti.

Nos esse nostri conscios ipsa dubitatione confirmatur. Pone enim te dubitare, utrum tui rerumque aliarum extra te conscius sis, nec ne. Non negare potes, te dubitare, cum ipsemet hoc affirmes (§. 28 *Ontol.* & §. 205 *Log.*). Unde vero nosti te dubitare, nisi ex eo, quod dubitationis tuæ tibi conscius sis? Hoc ipso igitur te tui conscium esse affirmas, cum te de eo dubitare asseveras. Te igitur tui esse conscium ipsa dubitatione confirmatur.

Utemur hoc principio ad demonstrandum gradum evidentiæ, qua nititur cognitio existentiæ sui ipsius aut, si mavis, animæ.

§. 13.

Principium cognoscendi existentiam sui.

Qui sui aliarumque rerum actu conscius est, ille etiam actu est sive existit. Propositio hæc adeo evidens est, ut absque probatione concedi debeat, sumenda adeo per modum axiomatis. Quodsi hoc negas; ponendum est, posse ens quoddam sui aliarumque rerum actu conscium esse, etiamsi ipsum actu non sit. Ergo eidem actu quædam inerunt, antequam existit: quod cum nemo non absurdum esse fateatur; qui sui aliarumque rerum conscius est, existit.

Propositio præsens est casus specialis notionis communis, vi cujus existentiam rei colligimus. Ex prædicatis enim actualibus colligitur communiter rei existentia. Si quis dicit, lapidem esse calidum, solem lucere, semen progerminare de casu singulari locutus: nemo dubitabit ex eo inferre, lapidem, solem, semen existere. Datur adeo in nobis notio quædam communis, cui distincte enunciatæ respondet hæc propositio: *Si individuo actu quid convenit* aut, si mavis, *Si de individuo actu quid prædicari potest, idem actu est, sive existit.* Notionis hujus generalis casum specialem esse propositionem præsentem, per se patet. Et sane hoc ipso principio cognitio existentiæ animæ nostræ reducitur ad notionem communem. Conferuntur hic utiliter, quæ ea fini alibi diximus (*not.* §. 370 & 393, itemque *not.* §. 203 & 186 *Ontol.*) & quæ de utilitate hujus reductionis monuimus (*not.* §. 125 *Ontol.*). Utinam philosophi ad notiones communes magis attende-

rent,

Digitized by Google

rent, confusas ad distinctas revocarent, & a specialibus universales abstraherent! Ipso successu experirentur, quantum in iis præsidii positum sit ad recte philosophandum.

§. 14.

Quomodo nobis innotescat nos existere.

Nos existimus. Sumus enim nobis nostri rerumque aliarum extra nos conscii (§. 11). Qui sui rerumque aliarum extra se conscius est, ille existit (§. 13). Nos igitur existimus.

Hac ratione nobis innotescere, quod existamus, nemo in dubium vocare potest, qui ad seipsum attendit. Pone enim te tibi non esse tui rerumque aliarum extra te conscium; veluti te dormire. Numne dormientis mentem unquam subibit cogitatio, quod existas? Quis hoc affirmaverit? Pone te vigilantem esse tui rerumque aliarum extra te tibi conscium, non tamen perpendere, quod ens sui conscium existat: tui quidem tibi conscius es, seu te ipsum sentis, quatenus te agere & pati percipis; minime autem de existentia tua mentem tuam subit cogitatio. Antequam igitur cogitatio existentiæ tuæ mentem tuam subire potest, præcedere debet notio rei sibi sui rerumque aliarum actu conscię existentis. Ad distinctam igitur notionem reducimus confusam communem existentiæ nostræ eamque terminis universalibus enunciamus. Ceterum hinc est, quod rationem reddituri, unde constet, nos existere, vel quæsiti num existamus, respondeamus: nos hoc nunc agere, veluti scribere, ambulare, videre, admittentes, quod hoc nunc agamus, quia nobis ejus conscii sumus. Quoniam philosophi est rationem reddere, cur ea, quæ fieri possunt, actum consequantur (§. 31 *Disc. prælim.*); rationem quoque reddere tenetur, cur nos existere certi simus. Quamobrem nemo miretur, talia a nobis probari, quæ probatione nulla indigere videntur. Non admittimus existentiam nostram absque probatione, quemadmodum ex dictis apparet. Philosophi igitur est docere, qualis probatio in ratiociniis nostris confusis contineatur.

§. 15.

Gradus certitudinis cognitionis existentiæ nostræ.

Cognitio existentiæ nostræ ipsa dubitatione confirmatur, seu, *ex eo, quod dubitamus, utrum existamus, nec ne, colligitur, nos existere.* Etenim ex demonstratione propositionis præcedentis constat nos colligere existentiam nostram ex eo, quod nobis

nobis noſtri aliarumque rerum extra nos ſumus conſcii. Enimvero quod noſtri aliarumque rerum extra nos nobis conſcii ſimus, adeo certum eſt, ut ipſa dubitatione confirmetur (§. 12). Cognitio igitur exiſtentiæ noſtræ ipſa dubitatione confirmatur.

Idem adhuc alia ratione oſtenditur. Ponamus te dubitare, utrum exiſtas, nec ne: cum tibi hujus dubitationis ſis conſcius, qui vero ſui ſibi conſcius eſt exiſtit (§. 11); ex eo, quod dubitas utrum exiſtas, nec ne, colligere debes, quod exiſtas.

Hinc patet gradus certitudinis, qui cognitioni exiſtentiæ noſtræ convenit. Tantus nimirum eſt, ut eo majorem concipere non liceat. Quid enim certius exiſtimari debet eo, quod ipſa dubitatione confirmatur, ſeu, quod hinc eſſe colligis, quod dubites, num ſit. Philoſophi igitur cum ſit ſcrutari rationem tantæ certitudinis, minime reprobari poteſt opera, quam in reducendo ratiocinio, quo exiſtentiam noſtram colligimus, ad notionem diſtinctam impendit.

§. 16.

Quidnam eadem evidentia cognoſcatur, qua exiſtentiam noſtram cognoſcimus.

Si quid per ſyllogiſmos infertur, quorum præmiſſæ ſunt propoſitiones indemonſtrabiles, vel judicia intuitiva experientiis claris ſuperſtructa: id eadem evidentia cognoſcitur, qua nos exiſtere cognoſcimus. Exiſtentiæ enim noſtræ cognitio nititur hoc ſyllogiſmo (§. 14):

Quodcunque ens ſui ipſius aliarumque rerum extra ſe ſibi actu conſcium eſt, illud exiſtit,

Atqui *Nos noſtri aliarumque rerum extra nos actu nobis conſcii ſumus.*

Ergo *Nos exiſtimus.*

In hoc ſyllogiſmo propoſitio major eſt principium rationis, in quo notio confuſa ſubjecti atque prædicati ita indivulſo nexu cohæret, ut producta notione ſubjecti in eodem quoque compareat notio prædicati, adeoque propoſitio indemonſtrabilis (§. 263 *Log.*). Quare cum præterea theoretica ſit (§. 266 *Log.*); ex axiomatum numero eſt (§. 267 *Log.*). In minore ſyllogiſmi nobis tribuimus prædicatum, quod in notione noſtri

noſtri comprehenſum intuemur, adeoque minor propoſitio judicium intuitivum eſt (§. 51 *Log.*). Nititur autem idem experientia (§. 11) tam clara, ut dubitando confirmetur (§. 12). Eadem igitur evidentia cognoſcitur, qua nos exiſtere cognoſcimus, ſi quid per ſyllogiſmos infertur, quorum præmiſſæ ſunt propoſitiones indemonſtrabiles, vel judicia intuitiva experientiis claris ſuperſtructa.

Apparet hinc utilitas diſquiſitionis de modo, quo exiſtentiæ noſtræ certi reddimur, nimirum quid ad hoc requiratur, ut quid eadem certitudine cognoſcamus, qua nos cognoſcere agnoſcimus. Quoniam in Pſychologia rationali & Theologia naturali arduas demonſtramus veritates, veluti de immortalitate animæ & exiſtentia Dei; maximi profecto momenti eſt cognitio diſtincta gradus illius evidentiæ, qua nimirum exiſtentiæ ſuæ quisque cognitio.

§. 17.

Quicquid demonſtratur, id eadem evidentia cognoſcitur, qua nos exiſtere cognoſcimus. In numerum principiorum demonſtrandi non aſſumuntur niſi definitiones, experientiæ indubitatæ, axiomata & propoſitiones jam demonſtratæ (§. 562 *Log.*). Quoniam itaque definitiones ſunt propoſitiones identicæ (§. 214 *Log.*), adeoque axiomata, ſiad propoſitiones reducantur (§. 270 *Log.*), conſequenter una cum ceteris axiomatis indemonſtrabiles (§. 267 *Log.*); ex definitionibus autem, experientiis indubitatis & axiomatis primæ propoſitiones demonſtrantur, quæ deinde in numerum principiorum demonſtrandi aſſumuntur (§. 551 & ſeqq. *Log.*); principia demonſtrandi prima ſunt experientiæ indubitatæ & propoſitiones indemonſtrabiles. Enimvero ſi quid infertur per ſyllogiſmos, quorum præmiſſæ ſunt propoſitiones indemonſtrabiles vel judicia intuitiva experientiis claris ſuperſtructa; id eadem evidentia cognoſcitur, qua nos exiſtere cognoſcimus (§. 16). Ergo quod demonſtratur id eadem evidentia cognoſcitur, qua nos exiſtere cognoſcimus.

Gradus certitudinis in iis quæ demonſtrantur.

Nemo non videt, ſermonem hic eſſe de demonſtrationibus veri

nominis, minime autem de prætenſis, quales hodie inprimis multæ proſtant. Non difficile vero eſt demonſtrationem genuinam a ſpuria ſeparare, ſi quidem obſervaveris, quæ de genuina eatuhdem forma præſcripſimus (§. 511 & ſeqq. *Log.*) & in demonſtrationibus expendendis plurimum verſatus fueris.

§. 18.

Evidentia veritatum geometricarum qualis ſit.

Veritates geometricæ eadem evidentia cognoſcuntur, qua exiſtentia noſtra nobis innoteſcit. Veritates enim geometricæ demonſtrantur legitime, quemadmodum oſtendimus, cum genuinam demonſtrationum formam delinearemus (§. 551 & ſeqq. *Log.*). Quicquid vero demonſtratur, id eadem evidentia cognoſcitur, qua exiſtentia noſtra nobis innoteſcit (§. 17). Ergo veritates geometricæ eadem evidentia cognoſcuntur, qua exiſtentia noſtra nobis innoteſcit.

Loquimur hic de demonſtrationibus legitimis, quales dedit *Euclides* cum ceteris Geometris antiquis. Neque enim diffitemur, dari ſubinde hodie nonnullos, qui a rigore Geometrarum veterum recedunt, nec in demonſtrando peritis ſatisfaciunt. Immo nec diffitemur a modernis Geometris tranſitu a natura ad Geometriam facto ſubinde aſſumi, quæ ſalvis demonſtrandi legibus aſſumi nequeunt, immo ſæpius a veritate abhorrent.

§. 19.

Ratio aſſenſus, quem prompte veritatibus geometricis prabemus.

Quoniam veritatum geometricarum, ſi legitime demonſtrentur, ea eſt evidentia, qua exiſtentia noſtra nobis innoteſcit (§. 18); ideo *non mirum, quod nemo iſtis aſſenſum denegare poſſit, qui vim demonſtrationum percipit.*

Nos ea de cauſa non probamus, ſi juvenibus mathemata absque demonſtratione proponuntur, ut de eorum veritate convinci minime poſſint. Neceſſe enim eſt, ut in ſe percipiant vim demonſtrationum, qua aſſenſus vel ab invito extorquetur. Alias enim diſcrimen inter convictionem & perſuaſionem opere ipſo nunquam diſtinguent, neque methodi accuratæ, ſine qua convictioni locus eſſe nequit, pulchritudine atque amore unquam capientur. Equidem vulgo ſibi perſuadent, demonſtrationes naſeam creare tyronibus, eosque a ſtudio Matheſeos arcere. Enimvero diuturna experientia didicimus, id

Digitized by Google

id metuendum minime esse, siquidem demonstrationes rite resolvere noveris, ne sis obscurus & confusus in docendo.

§. 20.

Ens istud, quod in nobis sibi sui & aliarum rerum extra nos conscium est, *Anima* dicitur. Vocatur etiam subinde *Anima humana*, item *Mens* vel *Mens humana*. *Animæ definitio.*

Definitio nominalis est: attamen positiva. Realitas ejus a posteriori patet. Etenim in anterioribus vidimus, dari quid in nobis, quod sibi sui aliarumque rerum extra nos conscium est. Quale sit illud ens, in Psychologia empirica docemus. Quid sit & quod a corpore organico diversum sit, in Psychologia rationali demum ostendemus.

§. 21.

Anima humana existit. Etenim nos existimus, quatenus nobis nostri aliarumque rerum extra nos conscii sumus (§. 14). Enimvero quatenus nobis nostri aliarumque rerum extra nos conscii sumus, anima sumus (§. 20). Exist*i*t igitur anima nostra. *Animæ existentia.*

Apparet adeo, dum existentiam nostri evicimus nos non demonstrasse, nisi quod anima nostra existat; corporis autem existentiam adhuc in dubio reliquisse, propterea quod nondum constet, utrum ens istud, quod sibi sui conscium est, sit ipsum hoc corpus, an vero ens aliud ab eo diversum.

§. 22.

Animæ existentiam ante cognoscimus, quam corporis. Etenim animæ nostræ existentiam ex eo cognoscimus, quod nobis nostri rerumque aliarum extra nos conscii simus (§. 20 *Psychol.* & §. 349 *Log.*). Enimvero si de existentia reali corporum dubitamus, hujus dubitationis nobis conscii sumus, consequenter nobis nostri conscii sumus, quatenus dubitamus. Quoniam igitur ex eo, quod de existentia reali corporum dubitamus, demonstrari potest, nos existere, quatenus nostri aliorumque conscii sumus (§. 14); existentiam animæ cognoscimus, dum adhuc de existentia corporis dubitamus, adeoque antequam existentiam corporis cognoscimus. *Cujusnam rei existentia primum agnoscatur.*

Re-

Digitized by Google

Respexit huc *Cartesius* Meditat. 2. de prima philosophia, dum adstruere conatur mentem humanam esse notiorem corpore. Etenim assertum suum inde probat, quod de rebus omnibus dubitans ex ipsa hac dubitatione cognoscat se esse, quamdiu scilicet cogitat, id est, quatenus est res cogitans. Nihil autem aliud intelligit per rem cogitantem, quemadmodum paulo post videbimus, nisi ens, quod sibi sui ipsius rerumque aliarum tanquam extra se conscium est. Primum igitur quod certo cognoscimus, dum de ceteris omnibus dubitamus, est aliquid, quod ad animam spectat, non ad corpus. Atque eatenus dici potest animam humanam esse corpore notiorem. Satis vero accurate in ista secunda meditatione philosophatur *Cartesius*, quemadmodum decet philosophum acutum, qui mentis acie distinguit a se invicem separanda, quatenus scilicet de existentia nostri sermo est. Etenim quod naturam & essentiam mentis attinet, in eo deproperavit judicium suum, quemadmodum suo loco ostendetur. Certum tamen est, quod ibidem affirmat, primum, quod de anima nostra cognoscimus, esse illud, quod cogitet, aut potius, quod sit sui rerumque aliarum tanquam extra se existentium sibi conscia.

CAPUT II.

De

Modo cognoscendi animam.

§. 23.

Cogitatio quid sit.

Cogitare dicimur, quando nobis conscii sumus eorum, quæ in nobis contingunt, & quæ nobis tanquam extra nos repræsentantur. *Cogitatio* igitur est actus animæ, quo sibi sui rerumque aliarum extra se conscia est.

Definitio hæc nominalis ab usu loquendi minime recedit: id quod per exempla eunti patet. Quando arborem contuemur, nobis ejus conscii existentes de ea nos cogitare dicimus. Quando nobis attributa Dei repræsentamus & notionum, quas jam de iis habemus, nobis conscii sumus; de Deo nos cogitare dicimus. Quando triangulum nobis imaginamur & imaginis hujus quasi oculis oberrantis conscii nobis sumus; de triangulo nos cogitare dicimus. Nos igitur cogitare affirmamus, quando nobis rerum quarundam aut operationum mentis nostræ sumus conscii. Enimvero quando nobis nihili conscii sumus,

ſumus, veluti in ſomnio, tum nos non cogitare pronunciamus. Retinet eundem ſignificatum *Carteſius*. Ita enim Princip. philoſ. part. 1. art. 9. *Cogitationis nomine*, inquit, *intelligo illa omnia, quæ nobis conſciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conſcientia eſt*. Noſtrum adeo fuit ſignificatum & uſui loquendi communi conformem, & in philoſophia introductum retinere (§. 142. 147 *Diſc. prælim.*). Etſi igitur non deſint, qui cogitationes ad omnes mentis humanæ modificationes extendunt, etiam eas, quarum ſibi conſcia non eſt; illis quidem liberum relinquimus, quo in ſignificatu vocabulo uti velint, noſtrum tamen non eſt eorum veſtigia ſequi.

§. 24.

Mens *percipere* dicitur, quando ſibi objectum aliquod repræſentat: ut adeo *Perceptio* ſit actus mentis, quo objectum quodcunque ſibi repræſentat. *Perceptionis definitio.*

Ita percipimus colores, odores, ſonos: mens percipit ſeipſam & mutationes in ſe contingentes.

§. 25.

Menti tribuitur *Apperceptio*, quatenus perceptionis ſuæ ſibi conſcia eſt. *Apperceptio quid ſit.*

Apperceptionis nomine utitur *Leibnitius*: coincidit autem cum conſcientia, quem terminum in præſenti negotio *Carteſius* adhibet.

§. 26.

Quoniam cogitamus, quando nobis conſcii ſumus eorum, quæ in nobis contingunt, & quæ nobis tanquam extra nos repræſentantur (§. 22); *omnis cogitatio & perceptionem* (§. 24), & *apperceptionem involvit* (§. 25). *Quænam in cogitatione a ſe invicem diſtinguenda.*

E. gr. Dum jam ſcribo, conſcius mihi ſum me ſcribere. Quatenus mihi conſcius ſum actus ſcribendi, eundem appercipio; quatenus vero idem in mente repræſentatur, ut ejusdem conſcius eſſe poſſim, eundem percipio. Actus enim ſcribendi non percipitur, quatenus motus quidam manus & digitorum contingunt ad literarum ductum atque ſeriem neceſſarii. Similiter dum ſolem video, ejus tanquam extra me conſiſtentis conſcius mihi ſum. Eum igitur percipio, quatenus eundem mihi repræſento; ſed appercipio, quatenus mihi conſcius

Digitized by Google

ſum tanquam talis, qualem repræſento. Conſtat nimirum ex Aſtronomia, idemque in Phyſica oſtenditur, ſolem longe alium eſſe quam apparet. Figura ad ſphæricam proxime accedit: mens vero eum ſibi repræſentat inſtar diſci. Mole ſua tantum ſuperat Tellurem, ut ea contemtibilis parvitatis reſpectu ſolis exiſtimari debeat: mens vero eundem inſtar diſci admodum exigui repræſentat. Solis igitur nobis conſcii ſumus, non qualis revera eſt; ſed qualem ſibi repræſentat mens noſtra. In omni cogitatione perceptio ſeu rei in mente repræſentatio & apperceptio, vi cujus nobis conſcii ſumus objecti, quod in mente repræſentatur, aut, ſi mavis, illius repræſentationis, probe a ſe invicem diſtinguendæ ſunt.

§. 27.

Quænam menti ob ea, quæ in ipſa obſervamus, tribuenda.

Quæ ex iis, quæ menti ineſſe obſervamus, legitimo ratiocinio colliguntur & quæ porro ex his inferuntur; eadem quoque menti conveniunt. Idem valet de omni ente alio. Etenim quæ ex iis, quæ menti ineſſe obſervamus, legitimo ratiocinio colliguntur, ac porro ex his, quæ ſcilicet legitimo ratiocinio inde collecta ſunt, inferuntur; ea de mente humana demonſtrantur (§. 551 & ſeqq. *Log.*). Quare cum vera ſit propoſitio, quæ demonſtrari poteſt (§. 544 *Log.*), conſequenter prædicatum ſubjecto ſuo conveniat propter ea, ex quibus idem colligitur (§. 505 *Log.*); menti quoque convenire debet, quod colligitur ex iis, quæ menti ineſſe obſervamus & quod porro ex his infertur legitimo ratiocinio, quod ex illis colligitur.

Idem valere de omni ente ex ipſa demonſtratione appareret, quæ talis omnino eſt, ut ad omne ens promiſcue applicari poſſit.

Nititur hac propoſitione omnis cognitio diſcurſiva, atque clarior evadet ipſius veritas, ubi ratiocinia mentis in ſequentibus ſcrutati fuerimus. Sane hujus propoſitionis fide tribuuntur ſubjecto ſuo omnia prædicata, quæ de eadem demonſtrari poſſunt. In definitionibus nominalibus figurarum ſumimus nonnulla, quæ iisdem ineſſe debent, atque ex iis ratiocinando colligimus porro, quæ iisdem tribuenda veniunt. Nimirum illi figuræ tribuenda ſunt ea, quæ ex aſſumtis colligun-

Digitized by Google

guntur, cui conveniunt, quæ assumta fuerunt. Recto igitur tramite incedimus, si eodem modo de mente judicamus.

§. 28.

Ad cognitionem mentis pervenitur, si ad cogitationes nostras attendimus eidemque porro tribuimus, quæ legitimo ratiocinio ex iis colliguntur. Quoniam enim cogitationes perceptiones & apperceptiones involvunt (§. 26); dum cogitamus, aliquid vel ad nos spectans, vel a nobis diversum nobis repræsentamus (§. 24), ejusque repræsentationis nobis conscii sumus (§. 25). Quare si ad cogitationes nostras attendimus, hoc ipso nobis innotescit, non tantum quomodo objectum repræsentetur, sed etiam qualis tunc in anima mutatio accidat. Atque ita ad animæ cognitionem pervenitur. *Modus perveniendi ad cognitionem mentis.*

Quoniam porro menti tribuenda veniunt, quæ ex aliis, eidem inexistentibus legitimo ratiocinio colliguntur (§. 27), atque ea menti convenire certum est, quæ in ea observamus (§. 517 *Log.*); ea quoque menti convenire debent, quæ ex iis legitimo ratiocinio colliguntur, quæ in mente observantur. Atque ita denuo ad animæ cognitionem pervenitur.

Propositionem hanc ideo apponimus, ut dum constat, quomodo ad certam animæ cognitionem perveniatur, ea, quæ de anima tradituri sumus ad examen revocare valeamus. Id enim unice nobis propositum est, ut ad certam animæ cognitionem lectorem perducamus tum ob dignitatem, tum ob utilitatem doctrinæ. Cognitionis vocabulo utimur nondum definito, propterea quod hic in notione confusa acquiescere possimus, nec distincta opus sit. Id tamen minime obstabit, quo minus in sequentibus confusam ad distinctam reducamus.

SECTIO II.
DE
FACULTATIS COGNOSCENDI PARTE INFERIORI.
CAPUT I.
De differentia perceptionum formali.

§. 29.

Facultas animæ quid dicatur.

QUemadmodum potentia activa in genere *Facultas* dici solet (*§. 776 Ontol.*); ita etiam potentiæ activæ animæ *Facultates* ipsius appellantur.

Quotnam sint animæ facultates & quales sint, in Psychologia empirica declaramus: quid vero proprie sint & quomodo animæ insint, in Psychologia rationali demum declarabitur. Conducunt tamen ad eas intelligendas, quæ de potentiis activis in genere jam in philosophia prima annotavimus (*not. §. 716*). Nimirum vi notionis, quam de actione habemus (*§. 713 Ontol.*), potentiam activam, consequenter facultatem tribuentes animæ assumamus, non repugnare iis, quæ animæ insunt, ut quædam eidem inexistentia vel relationes ad alia ita mutentur, ut ratio mutationis contineatur in illis ipsis, quæ eidem insunt, seu, ut per alia, quæ eidem insunt, intelligi possit, cur ea accidat mutatio. Enimvero quoniam in Psychologia empirica nondum dirimi potest, utrum in passionum numero sint, quæ tales videntur &, si vel maxime ponamus, esse eas utique passiones, cum tamen actionibus animæ ita implicentur, ut hæ absque iis intelligi minime possint; nemo ægre ferat, quod sub Facultatum titulo talia expendamus, quæ ad passiones refert. Quodsi hæc ratio nondum ei satisfacit, significatum vocabuli extendat ad potentias passivas: id quod, cum arbitrariæ sint definitiones nominales, absque ulla contradictione facere licet.

§. 30.

Digitized by Google

§. 30.

Si quid percipimus, aut id ab aliis perceptibilibus satis distinguimus, aut idem a nobis fieri minime posse deprehendimus. Levi attentione opus est ad obvias perceptiones, ut assertí veritas agnoscatur. Etenim si solem & arborem luce diurna collustratam in vicinia intuemur, solem & arborem ab aliis objectis, quæ simul percipimus, satis distinguere valemus, ita ut denuo redeuntem agnoscamus, & Lunam vespere intuentes eam a Sole distinguamus, arborem vero aliam alibi contuentes ejus cum illa similitudinem animadvertamus. Enimvero si in luce crepusculina objectum aliquod in agro positum videmus, ea, quæ ipsi insunt, non satis discernimus, ut adeo cum rebus olim visis idem comparaturi similitudinem, quam cum iis habet, non animadvertamus. Differentia adeo hæc omnium optime innotescit, si idem objectum in eadem distantia ad lucem diurnam & crepusculinam respicias: cum enim hic cum modo percipiendi nobis sit negotium, differentia omnium optime in eodem objecto sese prodit.

Fundamentum perceptionum clararum & obscurarum.

Monuimus jam alibi differentiam notionum formalem a modo cognoscendi desumi (§. 77 *Log.*): non alia vero est perceptionum differentia, quam notionum in Logicis explicata, cum in Logica vocabulum notionis, prout ab autoribus fieri solet, in latiori significatu acceperimus, ne, dum alios legimus, facile confundamur. Ne tamen in Psychologia desint nomina, ad ea a se invicem discernenda, quæ discerni consultum, immo necessarium est, vocabula quædam arctioribus limitibus coerceri nil vetat. Non obstat lex methodi, ut in diversis disciplinis ejusdem vocis significatus mutetur; unde eam inculcantes addidimus, id fieri debere saltem in eadem philosophiæ parte (§. 143 *Disc. prælim.*): cujus quidem rei rationes alibi commodius expendere licebit. Ceterum dum simul perceptorum mentionem injicimus, ad ea referimus quomodocunque percepta, sive sensuum, sive imaginationis ope. Hactenus enim differentiam in iis non attendimus.

§. 31.

Perceptio clara quænam.

Si quod percipimus agnoscere, vel a perceptibilibus ceteris distinguere valemus, *perceptio*, quam habemus, *clara* est.

Exemplum perceptionis claræ præbet Sol, quando eundem videmus; præbet arbor, quando in luce diurna eandem intuemur; præbet calor, quem tactu in lapide percipimus. Nimirum si duo simul clare percipiuntur, iis inter se collatis apparet, num eadem sint, an diversa.

§. 32.

Perceptio obscura quænam.

Si quod percipimus non agnoscere, vel a ceteris perceptibilibus non distinguere valemus, *perceptio*, quam habemus, *obscura* est.

Exemplo est objectum e longinquo visum, quod quale sit non agnoscimus. Videre nos quidpiam conscii nobis sumus: sed quid illud sit, quod videmus, nos ignorare non minus nobis conscii sumus. Quatenus igitur in perceptione quid desideratur, ne res agnosci possit; eatenus eam obscure percipimus. Et obscure rem a nobis percipi innuimus, dum interrogati, quid videamus, respondemus, nos nescire, ad quodnam genus vel ad quamnam speciem idem referre debeamus.

§. 33.

Rei obscure perceptæ nunquam insint clare percepta.

Rei obscure perceptæ inesse possunt, quæ clare percipiuntur. Neque enim repugnat rei quædam inesse, quæ clare percipiuntur, & præterea inesse alia, quæ prorsus non percipiuntur, veluti cum vel defectu luminis, vel ob parvitatem suam, vel ob nimiam distantiam oculis sese subducunt. Enimvero si quædam rei inexistentia clare percipiuntur, nobis ejusdem conscii sumus, hoc est, conscii nobis sumus nos videre objectum aliquod, cui insunt ea, quæ clare percipimus. Quoniam vero præterea insunt alia, quæ prorsus percipi nequeunt, alia vero clare percipi possunt; rem agnoscere minime valemus, nec eam a ceteris perceptibilibus distinguere novimus, quemadmodum in clare perceptis obtinet. Res igitur ipsa obscure percipitur (§. 32).

Digitized by Google

(§. 32). Patet adeo rei obscure perceptæ inesse posse, quæ clare percipiuntur.

Idem patet a posteriori, si ad exempla obvia attendimus. Ponamus enim, nive dudum colliquata, alicubi adhuc in campo partem quandam terræ nive tectam esse. Quodsi eam e longinquo in luce præsertim crepusculari videas, colorem album satis clare percipis, nec minus figuram & magnitudinem percipis, qualis e longinquo apparet: non tamen ea clare percipis, per quæ nivem ab aliis objectis albis distinguis. Insunt itaque rei obscure perceptæ, quæ clare percipiuntur. Et vi eorum, quæ clare percipiuntur, rem istam agnoscere potes, quod eadem adhuc sit, quando post aliquod temporis intervallum rediens eam in loco isto adhuc positam ex eadem distantia contueris. Plurimum adeo falluntur, qui sibi persuadent, rem clare percipi, quod unum vel alterum ipsi inexistens clare percipiatur.

§. 34.

Si mens sibi conscia est, se objectum aliquod obscure percipere; perceptionem suam obscuram clare percipit. Etenim agnoscit perceptionem suam esse obscuram eamque a clara distinguit. Perceptionem igitur, quam habet, obscuram clare percipit (§. 31). *Perceptio clara perceptionis obscuræ.*

Propositionem hanc prætermittere non debuimus, propterea quod nobis compertum est perceptionem claram perceptionis obscuræ cum perceptione objecti, quæ obscura est, confundi. Percipit anima ea, quæ in se sunt, adeoque suas quoque, quas habet, perceptiones vel clare, vel obscure. Etenim perceptiones ejus non minus sunt objectum facultatis percipiendi, quam res aliæ, quas percipit. Atque ideo mens perceptionum suarum conscia est, quatenus scilicet perceptioni adhæret adperceptio.

§. 35.

Claritas perceptionum est id, quod *Lumen animæ* appellare solemus. Et hinc anima dicitur *illuminari*, quatenus acquirit facultatem res clare percipiendi, ut sibi conscia sit ejus, quod percipit, atque ea, quæ percipit, probe a se invicem distinguat. *Lumen animæ.*

Non

Non hic ſumimus terminos in ſenſu theologico, ſed philoſophico, qui cum communi loquendi uſu convenit. Transferuntur autem termini a rebus materialibus ad animam propter ſimilitudinem. Quemadmodum enim in mundo materiali lumen efficit, ut res materiales videamus; ita claritati perceptionum tribuendum, ut earum nobis conſcii ſimus, atque perceptionem unam ab altera diſtinguere valeamus. Et quemadmodum oculus absque lumine nihil videre poteſt; ita etiam mens absque claritate perceptionum non conſcia ſibi eſſe poteſt ejus, quod percipitur. Similitudinem explicamus, ut conſtet denominandi ratio. Res ipſa autem absque iſta ſimilitudine intelligitur &, cum arbitrarium ſit, quo nomine eam inſignire velimus, definitio quoque nominalis luminis animæ absque iſta ſimilitudine intelligitur & terminus ita explicatus ſumitur in ſignificatu proprio (§. 148 *Log.*).

§. 36.

Tenebræ in anima.

Ex adverſo obſcuritas atque defectus perceptionum eſt id, quod *Tenebrarum* nomine in anima venit.

Quemadmodum enim in mundo materiali tenebræ ſunt defectus luminis, ſeu ejusdem privatio; ita etiam in anima tenebræ eſſe debent defectus claritatis perceptionum. Sed perceptiones, quæ claræ non ſunt, obſcuræ ſunt (§. 31. 32). Ergo tenebrarum nomine in anima appellari debet obſcuritas perceptionum, vel earum defectus. Hæc denuo monemus, ut denominandi ratio pateat. Ceterum jam intelligitur, quomodo explicari poſſit alteri, nobis jam in re aliqua plus luminis fuiſſe affuſum, quam ante habueramus.

§. 37.

Fundamentum perceptionum diſtinctarum & confuſarum.

Si rem clare percipimus aut ea, quæ eidem inſunt, a ſe invicem diſtinguere & alteri ſigillatim annunciare valemus, aut id in poteſtate noſtra minime poſitum deprehendimus. Patet idem per exempla eunti. E. gr. dum video arborem, truncum diſtinguo a ramis, ramos a ſurculis, ſurculos a foliis, folia a gemmis. Similiter in foliis colorem viridem diſtinguo a colore corticis, quo teguntur, truncus, rami & ſurculi; fibras per ipſum extenſas a ſubſtantia reliqua minime fibroſa. Dum faciem hominis intueor, in eadem naſum, frontem, palpebras, oculum, genas, os, mentum a ſe invicem diſtinguo. Similiter in oculo

diſtin-

Digitized by Google

distinguo pupillam ab uvea, uvea ab adnata, qua vestitur sclerotica, figuram oculi globosam a figura nasi vel oris, volubilitatem oculi a situ fixo partium aliarum. Dum aurum manui impositum adspicio, oculis colorem, manu gravitatem in eodem discerno. Enimvero colorem flavum auri a colore viridi foliorum & hunc ab illo optime distinguo, diversitatis utriusque mihi conscius: sed in ipsa flavedine, in ipsa viriditate nihil distinguo, utut utramque adeo clare percipiam, ut flavedinem auri a flavedine tulipæ, viriditatem foliorum nascentium a viriditate adultorum optime distinguam.

Non jam distinguimus inter ea, quæ in rebus perceptibilibus distinguimus; sed in eo acquiescimus, quod multa subinde in uno percipiamus, neque a se invicem diversa esse agnoscamus; subinde autem in re percepta nihil prorsus diversi percipiamus.

§. 38.

Si in re percepta plura sigillatim enunciabilia distinguimus, *Perceptio* clara dicitur *distincta*. *Perceptio distincta quænam sit.*

Exempla dedimus de arbore, de foliis, de facie humana, de oculo, de auro, milleque alia dari possunt unicuique ubivis obvia.

§. 39.

Si in re clare percepta plura separatim enunciabilia non distinguimus, *Perceptio* dicitur *confusa*. Est scilicet perceptio confusa clara quidem, sed non distincta. *Perceptio confusa quid sit.*

Exempli loco sunt flavedo auri, viriditas foliorum, & in genere colores omnes. Pertinent huc etiam sapores & odores, in quibus nihil distinguimus, quod sit separatim enunciabile. Perceptionem confusam negative definire licet, quia jam positive definivimus distinctam, cui opponitur (*not.* §. 85 *Ontol.*). Ceterum hic aliquid singulare obtinet, quod id, quod negativum videtur, quatenus in definitione ponitur, æquipolleat positivo. Etenim non minus nobis conscii sumus potentiæ distinguendi plura perceptibilia in uno perceptibili, quam impotentiæ tale quid faciendi: immo impotentiæ ut nobis magis conscii simus, singulari quadam ratione accidit. Observamus in nobis conatum plura in re una, v. gr. colore rubro, distinguendi, eum-

Digitized by Google

que irritum deprehendimus: obſervamus autem tanto majorem, quo minus eum ſuccedere experimur. Quamobrem impotentiæ notio involvit notionem conatus fruſtranei, adeoque quidpiam maxime poſitivi. Iſta igitur impotentia percipiendi plura in re perceptibili una optimo jure æquipollet differentiæ ſpecifice poſitivæ, ita ut in definienda perceptione confuſa adhiberi poſſit, etiamſi diſtincta perceptio nondum fuerit definita. Opportune talia monemus, cum plurimos eſſe obſervemus, qui carpunt, quæ non intelligunt. Diſpellendæ ſunt præjudiciorum nebulæ, ne claritati notionum officiant mentisque aciem hebetent.

§. 40.

Perceptionis partialis & compoſitæ differentia.

Perceptio partialis eſt, quæ in perceptione rei alterius contenta. Aſt *compoſita* dicitur, quæ ex pluribus partialibus conſtat.

E. gr. Dum arborem percipimus, truncum, ramos, ſurculos, folia, gemmas percipimus. Arboris igitur perceptio compoſita eſt, perceptiones trunci, ramorum, ſurculorum, foliorum, gemmarum partiales ſunt. Folium ſi ſigillatim contemplemur, & in eo colorem viridem, fibras per ejus ſubſtantiam diſperſas & reliquam ſubſtantiam diſtinguimus, perceptiones fibrarum & ſitus earundam, coloris viridis ac matriæ a fibris diverſæ ſunt perceptiones partiales; ipſa vero folii perceptio compoſita eſt. Similiter perceptiones flavedinis ac gravitatis auri ſunt partiales; ipſa vero auri perceptio compoſita eſt. Ex his exemplis liquet, perceptiones partiales eſſe non modo perceptiones partium, ex quibus componitur res percepta; verum etiam determinationum, quæ eam ingrediuntur, ſeu qualitatum & quantitatis ipſius. Quoniam vero determinationes intrinſecæ omnes ſimul uti unum ſpectantur cum re percepta; res percepta per modum totius & determinationes intrinſecæ ad eam ſpectantes inſtar partium conſiderantur (§. 341 *Ontol.*). Atque inde denominatio ortum traxit. Inſunt plures determinationes intrinſecæ etiam in iis, quæ ad mentem noſtram ſpectant, ſeu quorum nobis tanquam in nobis conſcii ſumus, quatenus eorum conſcii ſumus. Quamobrem perceptiones eorum, quæ menti inſunt, vel in ea accidunt, in perceptiones partiales reſolvuntur. Exempli loco non ſolum ſunt ea, quæ hactenus definita fuere; verum etiam illa, quæ in ſequentibus definiuntur.

§. 41.

Digitized by Google

§. 41.

Si perceptiones particulares fuerint claræ, compoſita diſtincta eſt. Etenim ſi perceptiones particulares fuerint claræ, plura ſigillatim enunciabilia in re percepta a ſe invicem diſtinguimus (§. 31. 40). Enimvero ſi in re percepta plura ſigillatim enunciabilia diſtinguimus, perceptio ejus diſtincta (§. 38). Ergo ſi perceptiones particulares fuerint claræ, compoſita diſtincta eſt. *Origo claritatis in perceptionibus.*

Habes hic ortum perceptionis diſtinctæ. Cur enim perceptio arboris diſtincta eſt? quia clare percipis truncum, ramos, ſurculos, folia, arbores, ita ut ſigillatim percipere poſſis ſingulas iſtas partes. Cur folium percipis diſtincte? quia in eodem percipis clare colorem, fibras per longitudinem & latitudinem extenſas atque reliquam ejus ſubſtantiam, figuram quoque & magnitudinem, partiumque ſitum. Sane ſi nihil eorum a ſe invicem diſcernere poſſes, id quod accidere deberet, ubi in arbore vel folio, quæ inſunt, clare non perciperes; nec arborem vel folium diſtincte perciperes.

§. 42.

Qui plura ſigillatim enunciabilia in eodem perceptibili clare percipit: is magis diſtincte idem percipit altero, qui pauciora in eodem clare percipit. Quando enim in eodem perceptibili plura ſigillatim enunciabilia clare percipiuntur, perceptiones particulares, ex quibus rei perceptio conſtat, claræ ſunt (§. 40). Enimvero ſi perceptiones particulares fuerint claræ, compoſita ex iis diſtincta eſt (§. 41), conſequenter quo plures perceptiones particulares claræ fuerint, eo magis diſtincta eſſe debet compoſita. Ergo qui in eodem perceptibili plura ſigillatim enunciabilia clare percipit, is magis diſtincte idem percipit altero, qui pauciora in eodem clare percipit. *Gradus diſtincta perceptionis.*

Per hoc principium æſtimatur gradus diſtinctæ perceptionis, qui in eodem ſubjecto diverſo tempore, & in diverſis ſubjectis eodem tempore diverſus deprehenditur. Atque hoc ipſo via ad ſublimia non minus, quam utilia atque fœcunda ſternitur.

Digitized by Google

§. 43.

Perceptio totalis.

Perceptionem totalem appello eam, quæ complectitur eas omnes, quas dato aliquo momento simul habemus. Quamobrem cum perceptionem totalem ut unum quid consideremus, perceptiones rerum, ex quibus constant, ejus respectu tanquam partiales considerantur, ac ideo a nobis quoque partiales dicentur (§. 40).

E. gr. Si in campo integrum exercitum contuor, uno obtutu præter eum simul campum, sylvam e longinquo spectatam, cœli ac terræ confinia & objecta alia complector. Immo eodem momento, absentia quoque objecta mihi repræsento, veluti templum, in quo sæpe vidi militum præfectum. Subeunt quoque mentem meam cogitationes variæ pro diversitate objectorum mihi repræsentatorum. Omnes istæ perceptiones simul absolvunt perceptionem totalem, quæ cum pro una habeatur ratione temporis, quo omnes eam ingredientes conjunguntur, aut vi simultaneitatis & continuitatis eam ingredientium, perceptiones singulorum objectorum una exhibitorum partiales appellantur. Non variatur hic significatus vocis perceptionis partialis, sicuti & eam, quæ composita dicitur (§. 40), totalem appellare potuissemus, scilicet objecti, quod per eam nobis exhibetur: quod ut intelligatur, simili rem declarari necesse est. Perceptiones nostræ, quæ & ideæ appellantur, cum imaginibus rerum comparantur, immo cum iisdem ad commune genus reduci possunt: id quod in Psychologia rationali ostendetur. Jam imago dicitur animalis, arboris, plantæ, ædificii, hominis & ita porro, quæ unicum istiusmodi objectum repræsentat. Quodsi vero in eadem tabula conjunguntur plures istiusmodi imagines, ut vi continuitatis unum quid efficiant; omnes simul pro una imagine habentur. Nimirum continuitas unitatis notionem superaddit.

§. 44.

Perceptio totalis quando distincta.

Si perceptiones partiales, quæ totalem ingrediuntur, claræ sint: perceptio totalis distincta est. Etenim si perceptiones partiales claræ sint, objecta per eas repræsentata a se invicem distinguere valemus (§. 31). Enimvero quoniam perceptio totalis partiales istas omnes in se complectitur (§. 43); in ea plura figillatim enunciabilia a se invicem distinguimus, conse-

quen-

Digitized by Google

quenter & in objecto ejus, quod repræsentat; perceptio igitur totalis est distincta (*§.* 38).

Adest hic quid fictitii, quatenus nempe simul percepta consideramus instar entis unius & res singulas, quæ una percipiuntur, tanquam partes unum totum constituentes, seu tanquam determinationes enti isti intrinsecas: sed hanc fictionem fert usus loquendi (*not. §.* 43).

§. 45.

Si perceptiones totales distinctæ sunt, anima est in statu perceptionum distinctarum. Etenim quotidie in nobis experimur, perceptionem totalem unam in anima continuo substitui alteri, aut partiales, quæ eidem insunt, alias abire alias superaccedere, ita ut perceptio totalis non maneat eadem (§. 181 *Ontol.*). Perceptiones adeo totales continuo mutantur (*§.* 290 *Ontol.*), adeoque statum ejus constituunt (*§.* 705 *Ontol.*). Quoniam igitur perceptiones totales distinctæ sunt *per hypoth.* anima tunc temporis est in statu perceptionum distinctarum, quando totales distinctæ sunt. *Status perceptionum distinctarum animæ.*

Poteramus propositionem præsentem sumere per modum definitionis nominalis: sed quia denominationi inest veritas, consultius fuit eandem demonstrari. Qui in resolvendis notionibus multum versati sunt; iis satis superque perspectum est inesse sæpissime definitionibus nominalibus veritatem, quando scilicet nomen rei veritati consentaneum, ut idem sit, quod dicitur. Dedimus jam olim exempla in Elementis Matheseos Latinis, Arithmetica, Geometria, Astronomia. Cum enim studium Matheseos potissimum urgeamus, ut methodi compotes ejus tractatione reddamur; ad tam præclarum usum idem aptare voluimus, quemadmodum debuimus. Quamobrem definitiones nominales, quibus inest veritas, ad propositiones demonstrativas reduximus, utut probe gnari, nil quicquam decedere evidentiæ Mathematum, si more recepto ex communibus observationibus sumantur, quæ definitionibus nominalibus respondent. Neque consilium hoc mutavimus iniquas aliquorum censuras experti, qui, cum sibi acumine præstare videntur, defectu acuminis deproperant judicia.

§. 46.

Si perceptiones partiales, quæ totalem ingrediuntur, fuerint *Perceptio totalis*

quando fit obſcura.

rint obſcuræ: perceptio totalis obſcura eſt. Etenim perceptio totalis ex partialibus conſtat (§ 43). Quare ſi ſingulæ partiales obſcuræ ſunt, nihil eorum, quæ in totali continentur, ab aliis perceptibilibus diſtinguere valemus (§. 32), conſequenter nec ea ſimul ſumta, quæ una perceptione totali comprehenduntur, ab iis ſimul ſumtis, quæ exhibentur per totalem aliam, diſcernere licet. Perceptio igitur totalis obſcura eſt.

Facile apparet in propoſitionis hypotheſi ſupponi nihil prorſus clare perceptum in perceptione totali contineri, etſi alias non obſtet, ut in perceptione obſcura alicujus objecti inſint nonnulla, quæ clare percipiuntur (§. 33).

§. 47.

Status perceptionum obſcurarum.

Si perceptiones partiales obſcuræ ſunt, anima eſt in ſtatu perceptionum obſcurarum. Eodem, quo ſupra (§. 44) modo id oſtenditur, niſi quod in principiorum numerum referenda ſit propoſitio præcedens.

An detur iſtiusmodi ſtatus animæ, jam non diſquirimus: inſtituetur diſquiſitio ſuo loco. Quoniam ſtatus iſte, quo anima perceptiones habet obſcuras, opponitur alteri, quo perceptio totalis diſtincta eſt; ſtatus perceptionum obſcurarum dici etiam poteſt *ſtatus perceptionum confuſarum*, ſi in denominatione veritatis non habetur ratio, ſed ea arbitrario ſit.

§. 48.

Idea quid ſit.

Repræſentatio rei dicitur *Idea*, quatenus rem quandam refert, ſeu quatenus objective conſideratur.

Si objectum aliquod in mente repræſentatur, diſtingui debet actus mentis, quo fit repræſentatio; repræſentatio ipſa, quatenus objectum quoddam menti exhibet, & denique actus, quo mens repræſentationis iſtius, conſequenter rei, qualis repræſentatur, conſcia ſibi eſt. Actus prior, quo fit repræſentatio, eſt perceptio (§. 24); actus poſterior, quo mens ſibi conſcia eſt repræſentationis, vocatur apperceptio (§. 25); ipſa vero repræſentatio materialiter ſumta aut in relatione ad objectum, quod repræſentatur, dicitur idea. Vulgo perceptiones & ideæ a ſe invicem non diſtinguuntur, quemadmodum nec perceptio ab apperceptione. Enimvero cum in Pſychologia intereſſit diſtinguere quam accu-

Digitized by Google

accuratiſſime, quæ in ſe diverſa ſunt; noſtrum quoque fuit ſublata ſynonymia terminis vindicare ſignificatum convenientem, quem non ſine magna probabilitate originarium eſſe ſuſpicamur. Ipſa forma vocabuli inſinuat ſignificatum perceptionis originarium, quod ea habita fuerit pro actione mentis. Et quia idea cum imagine comparatur (*not.* §. 43); haud obſcure intelligitur, quod ſignificatus objectum reſpiciat.

§. 49.

Repræſentatio rerum in univerſali ſeu generum & ſpecierum *Notio* a nobis appellabitur. *Notio quid ſit.*

Nimirum paulo inferius apparebit, ab ideis rerum ſingularium abſtrahi ea, quæ pluribus communia ſunt & ſimilitudinem quandam inter eas conſtituunt, & quatenus ſubjecto non tribuimus niſi determinationes iſtas communes entia in univerſali conſtitui. Quamobrem ſi nobis objectum repræſentamus cum iis determinationibus, quæ pluribus individuis communia ſunt, ſeparatis iis, quæ communia non ſunt, dicemus in poſterum iſtam repræſentationem notionem. Notandum vero eſt, notiones ingredi non modo eſſentialia, verum etiam attributa & modos; modo prædicata ſint communia. Atque hac ratione nihil circa rerum in mente repræſentationem occurrit, quod non peculiari nomine ſit inſignitum. Ceterum cum definitiones ſint arbitrariæ, de conſenſu aliorum non multum ſumus ſolliciti, etſi non difficile foret eundem ſtabilire.

§. 50.

Notionum differentia eadem eſt, quæ perceptionum: ſunt nimirum & *notione* vel *claræ*, vel *obſcuræ*, claræ vel *diſtinctæ*, vel *confuſæ*. Sed cum de his & aliis hinc porro pendentibus differentiis abunde jam dixerimus in Logica integro capite (§. 77 & ſeqq.), quæ ibi relegi poſſunt, repetere ſupervacaneum judicamus. *Notionum differentia.*

Etſi enim in Logica ſub notione quamlibet rei repræſentationem comprehendere libuerit (§. 34 *Log.*); id tamen minime obſtat, ut ea jam de ſolo ente univerſali interpretemur, ad quod non minus, quam ad ens ſingulare applicari poſſunt. Atque hinc apparet, nullum ex tantiſper variata ſignificatione vocis erroris periculum eſſe metuendum.

§. 51.

§. 51.

Cognoscere quid sit. Rem *cognoscere* idem est ac ejus notionem, vel ideam sibi acquirere.

Ita Deum cognoscit, qui sibi acquirit notiones attributorum divinorum. Triangulum cognoscit, qui trianguli notionem sibi comparat. Animam cognoscimus, dum nobis comparamus notiones eorum, quæ ipsi insunt.

§. 52.

Cognitio quid sit. *Cognitio* est actio animæ, qua notionem vel ideam rei sibi acquirit.

Actionem animæ cum effectu ejus pro uno eodemque habentes per cognitionem ideam quoque & notionem intelligere solemus, loquendi inconstantia: sed nostrum est fixum verborum tueri significatum. Animam nobis concipimus tanquam causam efficientem idearum atque notionum, quæ virtute sua ideas producit & inde porro notiones format. Hic igitur distinguimus ideam a notione, actionem animæ, qua ideam & notionem producit atque format, ab utraque, productionem ideæ a notionis formatione. Idea est rei singularis imago (§. 48), quæ entis in universali imaginem seu notionem in se continet (§. 49). Actio, qua idea producitur, est perceptio (§. 24), cui apperceptio superaccedit (§. 25). Actiones, quibus notiones rerum præsertim distinctæ formantur, complures sunt, de quibus postea agemus operationes intellectus explicaturi: hoc enim nomine appellantur. Perceptio & operationes intellectus simul communi nomine cognitio dicuntur. Apparet igitur, vocabulis singulis ex nostris definitionibus respondere significatum realem & per ea discerni, quæ menti diversa insunt. Atque hoc sufficit in definitionibus nominalibus. Quamobrem cum nemine ferram contentionis reciprocabimus, si acumine sufficiente destitutus non separat a se invicem discernenda, atque ideo pro synonymis habet terminos, quos nos tanquam formaliter diversos a se invicem distinguimus.

§. 53.

Facultas cognoscendi quid sit. Quatenus cognitio in mente possibilis est, hoc est, quatenus fieri potest, ut rem cognoscamus, menti facultatem cognoscendi tribuimus (§. 29): Ut adeo *Facultas cognoscendi* ea sit, qua ideas ac notiones rerum nobis acquirimus.

De-

Digitized by Google

Definiri etiam potest per facultatem, qua res cognoscimus, cum & facultas in superioribus fuerit definita (§. 29), & quando rem cognoscere dicamur explicatum (§. 51), ut adeo definitum non possit dici ingredi definitionem contra expressam Logicæ legem (§. 168 *Log.*). Inest denominationi veritas, quemadmodum in terminis complexis haud raro accidere solet, si nempe ex simplicium notione deducitur notio complexi, veluti hic ex notione facultatis (§. 29) & cognitionis (§. 51. 52) notio facultatis cognoscendi resultat per combinationem, sicuti terminus complexus per combinationem simplicium resultat.

§. 54.

Facultatis cognoscendi pars inferior dicitur, qua ideas & notiones obscuras atque confusas nobis comparamus. *Facultatis cognoscendi pars inferior.*

Plurimum interest facultatis cognoscendi partem inferiorem distingui a superiori. Discrimen hoc jam annotarunt veteres, etsi in Logica, arte inveniendi & moralibus non eum fecerint usum, qui inde expectandus.

§. 55.

Facultatis cognoscendi pars superior est, qua ideas & notiones distinctas acquirimus. *Facultatis cognoscendi pars superior.*

Nemo offendatur partis appellatione, inde inferens nos menti humanæ contra ejus simplicitatem tribuere partes, ac inde materialismum exsculpere conetur, ut dignum inter consequentiarios obtineat locum (§. 1047 *Log.*). Pars enim facultatis cognoscendi inferior & superior terminus philosophicus est, cui nulla inest veritas. Ex terminorum adeo simplicium notionibus non derivanda est notio eidem respondens; sed dispiciendum, utrum ea, quæ eidem tribuitur, in anima contineatur, nec ne. Non ideo Astronomus affirmat, planetas incerta lege hinc inde circumvagari & affixas superficiei sphæræ mundanæ affigi, quod illas stellas planetas, sive errones, has vero affixas appellet.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Senſu.

§. 56.

Principium cognoſcendi corpus ſuum.

Obſervamus aliquod corpus & in eo mutationes, quibus contingentibus, corpora iſtarum mutationum cauſas percipimus. Immo quæ ſunt in mundo adſpectabili, non aliter percipimus, niſi quatenus mutationes quasdam corpori huic inducunt. Etenim ſi corpora lumen in oculum, quæ corporis iſtius pars eſt, immittunt & mutationem quandam corpori inducunt, in Phyſica diſtincte explicandam; illorum nobis tanquam extra nos nobis conſcii ſumus, adeoque eas percipimus (§. 24). Similiter ſi corpus aliquod corpus iſtud tangit, contactus hujus nobis conſcii ſumus, eumque adeo percipimus. Quodſi impediatur, ne iſtæ mutationes in hoc corpore contingant, v. gr. ſi oculos claudimus, vel corpus a contactu arcemus; omnis quoque ſtatim ceſſat perceptio.

Differentia corporis hujus a corporibus aliis, quæ percipimus, cuilibet adeo obvia eſt, ut, velit nolitve, eam animadvertat, ejusque ſibi conſcius ſit, utut in confuſa perceptione acquieſcat nec eam ad diſtinctam reducat, ſicuti nunc a nobis factum.

§. 57.

Dependentia perceptionum a corpore.

Quoniam per mutationes, quæ in corpore iſto accidunt, intelligimus, cur res materiales in mundo adſpectabili percipiamus, & cur tales potius percipiamus, quam aliter; ratio perceptionum rerum materialium in mutationibus, quæ in corpore iſto contingunt, continetur (§. 56 *Ontol.*), adeoque *perceptiones rerum materialium in mundo adſpectabili a mutationibus in corpore* iſto *contingentibus dependent* (§. 851 *Ontol.*).

Dependentia hæc adeo obvia eſt, ut nemo eam in dubium vocare auſit; ſed quilibet ejusdem intime ſibi ſit conſcius. Quamobrem ſumi poterat, niſi terminum dependentiæ in philoſophia prima diſtincte expli-

Digitized by Google

explicassemus, adeoque de perceptionibus rerum materialium in mundo adspectabili a philosopho nil prædicari conveniret, nisi quod eidem convenire ex ipsis notionibus colligatur. Ceterum hac ipsa applicatione notionis philosophiæ primæ fiunt clariores, earumque fœcunditas, utilitas & cum notionibus communibus consensus clarissime perspicitur, ut tanto securius iisdem in posterum fidamus.

§. 58.

Corpus istud dicimus *nostrum*, a quo dependent perceptiones rerum materialium in mundo adspectabili, quas habemus. *Corporis nostri notio.*

Atque ita apparet, quod aliquam corporis nostri notionem habeamus, & quænam sit illa notio, quomodo ad eam perveniamus. Nemo existimet, nos terminum notionis hic de re singulari usurpare. Quando enim corpus nostrum distincta definitione explicamus, idem per modum rei universalis consideramus. Plura enim sunt corpora, quæ a diversis subjectis dicuntur corpora sua, & quorum unumquodque individuum aliquod appellat *corporis mei* nomine. Imo quando ego corpus hoc, quod jam tango propriis manibus, pro corpore meo agnosco, facta distincta applicatione notionis, quam dedimus, corporis nostri ad se, tum corpus meum in propositione majore per modum rei universalis concipio, quemadmodum in syllogismo proprio fieri solet (§. 351. 352 *Log.*).

§. 59.

Corpora in mundo adspectabili *nobis præsentia* dicuntur, quæ mutationem corpori nostro inducere valent, nisi scilicet ullum superaccedat obstaculum accidentale. *Corporum præsentia.*

Ita solem dicimus præsentem, si eum videre possumus. Horologium est præsens, si ejus sonum audio. Flos est præsens, si odorem naribus percipio & ita porro. Scilicet tum nobis dicitur præsens corpus alterum, si in corpus nostrum agere valet. Impedimenti enim accidentalis rationem minime habemus. Sol nobis præsens est, dum eum respectu corporis nostri obtinet situm, ut eundem videre possemus; etsi objecto quodam interposito visus intercipiatur.

§. 60.

Quoniam corpora nobis præsentia sunt, quæ mutationes *Corporum præsentia a*

Digitized by Google

ſitu quomodo pendeat.

nes corpori noſtro inducere valent, niſi ullum obſtaculum accidentale id impediat (§. 59), corpora vero iſta percipimus, quæ mutationes corpori noſtro inducunt (§. 56), tales ſcilicet, a quibus perceptiones rerum in mundo adſpectabili pendent (§. 58); *corpora iſta nobis præſentia ſunt, quæ eum ad corpus noſtrum habent ſitum, ut percipi a nobis poſſint, niſi accidentale aliquod obſtaculum adſit.*

Si tempore nocturno in hypocauſto noſtris oculis directe opponatur aliquod objectum, candela accenſa, idem videmus, adeoque nobis præſens eſt (§. 59). Quodſi candela extinguatur, accidentale quoddam impedimentum ſuperaccedit, ne videri amplius poſſit. Non tamen ideo præſens eſſe deſinit, ſufficit enim objectum eum ad oculum retinere ſitum, ut videri poſſit, niſi ex accidente ceſſet viſionis actus, veluti in caſu noſtro ob defectum luminis.

§. 61.

Præſentia corporis in dato loco.

Corpus aliquod dicitur *præſens aliquo in loco*, ſi intra terminos conſiſtit, quibus locum iſtum definimus.

E. gr. Hypocauſtum terminatur parietibus: quamobrem quicquid intra horum ambitum continetur, in hypocauſto præſens eſt. Non confundenda eſt præſentia in dato aliquo loco cum ea, quæ corpori alicui tribuitur reſpectu noſtri. Præſentia terminus relativus eſt, qui objecti unius exiſtentis ad coexiſtens aliud relationem involvit. Ideo objectum in eodem loco conſtitutum diverſo reſpectu & præſens dici poteſt, & abſens. Ita campana, cujus ſonum percipio, præſens mihi eſt; non autem præſens eſt in eo loco, ubi ego ſum, niſi quando turrim conſcendens ibidem commoror, ubi campana ſuſpenſa conſpicitur. Viſus cum ſit ſenſus potior, & cum tactus objectum ſupponat propinquiſſimum; in præſentia corporum dijudicanda vulgo viſus magis atque tactus, quam aliorum ſenſuum habetur ratio.

§. 62.

Præſentia corporis noſtri.

Corpus noſtrum nobis ſemper præſens eſt. Illud enim corpus noſtrum eſt, a quo dependent perceptiones rerum materialium in mundo adſpectabili, quas habemus (§. 58). Enimvero continuo experimur, ipſum hoc corpus a nobis percipi:

partes

Digitized by Google

partes enim ipsius tangere licet propriis manibus & videre propriis oculis partim visione directa, partim reflexa, seu mediante speculo. Quare cum partes corporis nostri istiusmodi mutationes in ipso corpore nostro producere valeant, ut easdem percipiamus, idque nullo tempore accidat; corpus nostrum nobis continuo præsens est (§. 59).

Nemo non præsentiam corporis sui continuam inde colligit, quod idem continuo percipiat, etsi abesse subinde possit apperceptio, ut scilicet perceptionis istius non semper actu nobis simus conscii (§. 25). Unde & hoc corpus nostrum esse ex eo colligi solet, quod nobis semper sit præsens, cum corpora alia nunc sint præsentia, nunc absentia.

§. 63.

Absens dicitur, quod præsens non est. *Corpora* igitur *absentia a nobis sunt, quæ istiusmodi mutationem corpori nostro inducere minime valent, a qua perceptio aliqua pendet* (§. 59), aut *quæ talem ad corpus nostrum situm habent, ut a nobis percipi non possint, etiamsi accidentale obstaculum nullum adsit* (§. 60). *Absens quid sit a nobis.*

Ex eo, quod aliquid præsens non sit, absentiam ejus colligunt vulgo omnes. Quamobrem si constet, unde innotescat rei præsentia; hoc ipso etiam liquet, unde absentia manifesta sit.

§. 64.

Similiter quia absens est, quod præsens non est (§. 63); *in dato loco absens est, si intra terminos istos non consistit, quibus locum istum definimus* (§. 61). *Absentia in dato loco.*

Ita abest e hypocausto, qui in spatio illo non est, quod parietibus hypocausti continetur. Hæc facilia sunt; non tamen inutilia, præsertim si ad universalia, quæ insunt, attenditur.

§. 65.

Perceptiones, quarum ratio continetur in mutationibus, in organis corporis nostri qua talibus contingentibus, dicuntur *Sensationes*. Definiri etiam posset *Sensatio*, quod sit perceptio *Sensatio quid sit.*

Digitized by Google

ceptio per mutationem, quæ fit in organo aliquo corporis noſtri qua tali, intelligibili modo explicabilis.

E. gr. Quando objectum aliquod intuens percipio, ex mutatione, quæ in oculo contingit, intelligibili modo explicari ſeu ratio reddi poteſt, cur tale appareat potius, quam aliter. Illa igitur objecti repræſentatio e ſenſationum numero eſt. Similiter dum dolorem vulnere corpori inflicto percipio; cur eam percipiam & cur talem percipiam, ratio redditur ex mutationibus, quæ in loco vulneris corpori accidunt. Quare perceptio doloris e ſenſationum numero eſt.

§. 66.

Organi ſenſorii deſcriptio.

Organum ſenſorium appellatur organum ſeu pars organica corporis, in cujus mutationibus continentur rationes perceptionum rerum materialium in mundo adſpectabili.

Ita organum ſenſorium eſt oculus: ex mutationibus enim, quæ eidem ab objectis externis inducuntur, per organicam ipſius ſtructuram poſſibiles, intelligitur, cur jam hoc potius videamus objectum, quam aliud, & cur tale hoc appareat objectum.

§. 67.

Senſus definitio.

Facultas ſentiendi ſive *Senſus* eſt facultas percipiendi, objecta externa mutationem organis ſenſoriis qua talibus inducentia, convenienter mutationi in organo factæ.

Facile perſpiciunt attentiores, cur addamus reſtrictionem. Poſſunt accidere organo ſenſorio a cauſis extrinſecis mutationes, quæ a ſtructura organica minime pendent, veluti ſi oculo vulnus infligitur, vel ſi idem contunditur. Neque enim vulnus vel contuſio eſt mutatio, quæ oculo vi ſtructuræ ſuæ organicæ, ſeu quatenus eſt organon ad videndum aptum, accidit. Ceterum hic ſenſum concipimus, quatenus in anima eſt, quemadmodum & ſenſationem *(65)*, etſi non negemus, ad ſenſationem & facultatem ſentiendi pertinere etiam ea, quæ in corpore illi, quod in anima eſt, reſpondent, quatenus facultas ſentiendi ſpectatur ut facultas hominis & ſenſatio ut quid ad hominem ſpectans. Enimvero quod ad corpus ſpectat, in Phyſica explicari debet ſuoque tempore explicabitur: neque adeo hujus loci eſt.

§. 68.

Senſuum numerus.

Quoniam quinque dantur in corpore humano organa, quo-

Digitized by Google

quorum qua talium mutationibus ſuæ in anima perceptiones reſpondent, quemadmodum unusquisque in ſe experitur; *ſenſus* quoque *quinque numerantur*, ſcilicet *viſus*, *auditus*, *olfactus*, *guſtus*, *tactus*.

Cur non plures quam quinque ſint ſenſus, noſtrum jam non eſt inquirere. Lubet tamen fundamentum illorum ſenſuum exponere, cum ad intelligendas definitiones ſequentes plurimum faciat. Scilicet aut corpora alia noſtrum immediate contingunt, aut mediate. Si immediatus eſt contactus, tactui locus eſt. Quodſi corpus immediate noſtrum tangere nequit, aut in ipſum agit, mediante lumine, aut mediante ſono, aut mediantibus effluviis, aut mediantibus quibusdam corpuſculis, quæ ejusdem maſſæ permixta ſunt. In primo caſu viſui, in ſecundo auditui, in tertio odoratui, in quarto guſtui locus eſt.

§. 69.

Facultas videndi ſive *Viſus* eſt facultas percipiendi objecta, convenienter mutationi vi luminis in oculo factæ. *Viſus quid ſit.*

Definimus hic viſum reſpectu animæ: quid enim in corpore contingat, dum videmus, in Phyſica explicabimus. Idem tenendum eſt de ſenſibus ceteris, de quibus in proxime ſequentibus articulis agitur. Mutationem igitur, quæ in oculo contingit, dum videmus, hic ut explicemus neceſſe non eſt. Quodſi tamen dependentiam perceptionum in mente a mutatione in organo diſtincte comprehendere volueris, cum iſta per hanc intelligibili modo explicabilis ſit, ad perceptionem mentis penitius intelligendam non parum conducit, ſi mutatio in organo penitus intelligatur. Ita v. gr. viſio clara eſt, ſi clara fuerit in oculo imago, quæ in ejus fundo radiis luminis illapſis delineatur; diſtincta eſt viſio, ſi imago iſta diſtincta fuerit. Qui vel Opticam didicit, vel in Phyſica probe verſatus eſt; is dependentiam viſus a mutatione in oculo vi luminis factam optime perſpicit.

§. 70.

Facultas audiendi ſive *Auditus* eſt facultas percipiendi ſonum, convenienter mutationi per eundem in aure factæ. *Auditus quid ſit.*

Diſcernimus auditu ſonos omnis generis, quos inter etiam ſunt voces animantium atque hominum, itemque loquela.

§. 71.

§. 71.

Odoratus quid ſit. *Facultas olfaciendi*, ſive *Olfactus* eſt facultas percipiendi odores rerum, convenienter mutationi, vi effluviorum a corporibus odoriferis exhalatorum in naribus factæ.

Quod corpora odorifera emittant effluvia & qualia ſint iſta effluvia, in Phyſica diſquiremus.

§. 72.

Guſtus quid ſit. *Facultas guſtandi*, ſive *Guſtus* eſt facultas percipiendi ſapores, convenienter mutationi, quam objecta ſapida dentibus comminuta in lingua producunt.

Quidnam ſit in objectis ſapidis, quod linguæ mutationem quandam inducit, dum comminuta ſaliva perfunduntur, denuo in Phyſica diſquiremus.

§. 73.

Tactus quid ſit. *Facultas tangendi*, ſive *Tactus* eſt facultas percipiendi qualitates & quantitatem corporum, convenienter mutationi, quam per contactum corporis noſtri in eodem producunt.

Iſtiusmodi qualitates ſunt aſperitas, lævitas, durities, mollities, gravitas. Tactu etiam diſcernuntur nonnulla, quæ viſu alias diſcerni ſolent, veluti figuræ & magnitudo: utut hic perceptiones aliæ ſociæ ſuppetias ferant, veluti in diſcernendis figuris perceptio motus digitorum vel manus juxta ductum perimetri.

§. 74.

Senſatio quænam fortior. *Senſatio* una *fortior* dicitur altera, quæ majorem claritatis gradum habet, ſeu cujus nobis magis conſcii ſumus quam alterius. Idem intellige de perceptione quacunque.

E. gr. major eſt claritas in perceptione luminis ſolaris, quam lunaris, eademque in priori caſu ſenſatio fortior, quam in poſteriori. Similiter major claritas eſt in fœtore aſæ fœtidæ, quam liliorum contritorum, adeoque in illo caſu ſenſatio fortior, quam in hoc eſt.

§. 75.

Senſatio quænam debilior. *Senſatio* una *debilior* eſt altera, quæ minorem claritatis gradum habet, ſeu cujus nobis minus conſcii ſumus quam alterius. Idem intelligitur de perceptione quacunque.

Ita

Ita minor est claritas in perceptione luminis lunaris, quam solaris, adeoque illa debilior hac altera. Similiter in perceptione fœtoris liliorum contritorum minor est claritas, quam in perceptione fœtoris asæ fœtidæ, adeoque illa hac altera debilior est.

§. 76.

Obscuratio sensationis unius per alteram.

Sensatio fortior obscurat debiliorem, ita ut subinde debiliorem prorsus non appercipiamus. Lumen Solis atque Lunæ quando simul percipimus, Luna instar tenuis cujusdam nubeculæ pallet. Luminis solaris perceptio clarior est perceptione lunaris, consequenter illa fortior (§. 74); hæc debilior (§. 75), quemadmodum nobis innotescit, si comparemus objecta lumine lunari perfusa cum objectis lumine solari colluſtratis. Quare cum interdiu lumen Lunæ palleat, quod noctu solum perceptum satis clarum deprehenditur; sensatio fortior obscurat debiliorem. Similiter lumen stellarum noctu satis clare percipitur, at interdiu lumine solari vel luce diurna oculos occupante adeo obscure percipitur, ut ejus nobis prorsus non simus conscii, consequenter omnis cesset apperceptio (§. 25). Sensatio luminis solaris multo fortior est sensatione luminis stellarum (§. 74). Quare denuo patet, sensationem debiliorem obscurari a fortiori, & quidem ita ut debiliorem prorsus non appercipiamus. Idem obtinet in sensationibus aliis. Ita quilibet experitur verba loquentis non percipi præ sonitu campanarum. Est autem sonitus campanarum sonus vehementior voce loquentis, atque adeo ille clarius hac percipitur. Quoniam itaque illa sensatio fortior, hæc debilior (§. 74. 75); sensatio fortior in auditu quoque debiliorem obscurat. Similiter sapor unus impedit, ne alium percipiamus. Et in vulgus notum est, odore gravi effici, ne fœtorem clare percipiamus. In utroque autem casu denuo ut ante colligitur, sensationem fortiorem obscurare debiliorem.

Magnum principium experientiæ est propositio præsens, quam ideo inferius ad majorem universalitatis gradum evehemus. Usus in mo-

Digitized by Google

moralibus ampliſſimus eſt, quemadmodum ſuo tempore conſtabit In arte quoque inveniendi non poſtremum ſibi locum vindicat. In Phyſicis patebit ratio a priori, quatenus ſenſationes per mutationes in organis ſenſoriis ſunt explicabiles. Ceterum propoſitionis præſentis in caſu ſpeciali utilitatem dudum agnovere Optici, quibus in propoſitionum a poſteriori ſtabilitarum numero fuit: lumen vehemens viſibilia quædam obſcurare, veluti lucem debiliorem, ſeu quando lux debilis cum forti conjungitur, quemadmodum videre eſt apud *Alhazenum* Opticæ lib. 1. n. 32 f. 20 ex editione *Riſneri*. Principium vero iſtud opticum univerſalius effecit *Riſnerus* Opticæ lib. 2. n. 29, dum ita enunciat: viſibile majus officit minori. Viſio multum valet ad ſenſationes omnes, immo porro ad perceptiones ac notiones omnes penitius intelligendas. Viſio enim ſenſationis ſpecies eſt, adeoque cum ceteris ſub eodem genere contentis communia habere debet (§. 241 *Ontol.*). Similiter ſenſatio perceptionum quædam ſpecies eſt (§. 67), atque adeo denuo cum ceteris perceptionibus communia habere debet (§. *cit. Ontol.*). Et eodem modo patet, notionibus quoque communia eſſe debere cum perceptionibus. Unde conſequens eſt, a viſione abſtrahi poſſe, quæ omni ſenſationi, immo perceptioni ac notioni omni reſpondent. Exemplum habemus in differentia perceptionum, quod aliæ ſint claræ, aliæ obſcuræ; aliæ diſtinctæ, aliæ confuſæ. Etenim ex Elementis Opticæ *Euclidis* apparet, jam olim viſionem diſtributam eſſe in claram & obſcuram, & claram ſubdiviſam in confuſam atque diſtinctam. Ad notiones quoad rem ipſam illam differentiam applicavit *Valerianus Magnus*, e Capucinorum familia, in Logica: *Carteſius* vero etiam nomina retinuit. Utriusque veſtigia ſecutus eſt *Leibnitius*, qui multum tribuit acumini *Valeriani Magni*, terminis cum *Carteſio* aſſumtis adjungens notiones *Valeriani* definitionibus *Euclideis* apud *Herigonium* in Curſu Mathematico conſentientes. Nos differentiam illam admiſimus & ejus multiplicem jam in Logica uſum fecimus, atque ad ulteriorem in Pſychologia, Philoſophia morali & Arte inveniendi transferemus, ob rationes modo fuſius inculcatas, ſcilicet quod deprehenderimus, notionibus viſionis obſcuræ, claræ, confuſæ, diſtinctæ ineſſe generales, aut eas potius ad generales revocari poſſe, atque haſce generales convenire ad amuſſim cum explicationibus *Valeriani* a *Leibnitio* in Actis Eruditorum A. 1684 p. 537 propoſitis, idem facturi, ſi nec *Valerianus*, nec *Leibnitius* ante de eo cogitaſſet, nec *Carteſius* terminos opticorum

Digitized by Google

corum ad omnem cognitionem promiscue transtulisset, quoniam nobis in more positum fuit a prima juventute scrutari universalia, quæ notionibus Mathematicorum eorumque methodo insunt, atque eadem ad Logicam perficiendam & mentem humanam cognoscendam applicare. Non vero invidemus aliis laudem suam, si qui ante nos viventes vel ea perspexerunt, quæ proprio Marte fuimus assecuti, ut lubenter aliis accepta referamus etiam ea, quæ nobis debemus, modo nobis constet de eo, quid senserint alii.

§. 77.

Objectum sensibile, vel etiam *Sensibile* simpliciter dicitur, quod sensu percipi potest, seu, quod in organo sensorio aliquo efficere potest mutationem, per quam eidem in mente respondens perceptio explicari potest (§ 67). Unde porro liquet, quid in specie dicatur *visibile*, *audibile*, *odorabile*, *gustabile*, *tactile*. *Sensibilis definitio.*

Probe hic notandum est, quod jam ex antecedentibus claret, sensibilia triplici modo considerari posse, vel quatenus insunt objecto, vel quatenus mutationem inferunt in organo sensorio, vel quatenus denique percipiuntur ab anima. Hic sensibile tertio modo consideratur, cum jam aliud non intendamus, nisi ut doceamus, quomodo a mente percipiantur objecta mutationem organis sensoriis actione sua inducentia.

§. 78.

Anima in sensationibus suis nihil immutare potest, nec unum alteri pro arbitrio substituere valet, dum objectum sensibile in organum sensorium agit. Etenim sensationum ratio continetur in mutationibus, quæ organis sensoriis ab objectis sensibilibus inducuntur (§. 65), adeoque positis istis mutationibus ponuntur & ipsæ (§. 118 *Ontol.*). Quoties itaque eadem mutatio in organo accidit & quamdiu eadem mutatio in organo subsistit, tamdiu quoque perceptio eadem (§. 189 *Ontol.*). Fieri igitur nequit, ut anima in sensatione seu perceptione objecti sensibilis pro arbitrio suo unum pro altero substituat, vel integram aliam esse jubeat, consequenter in sensatio- *Forma perceptionum ab arbitrio animæ independens.*

Digitized by Google

tionibus ſuis nihil immutare poteſt, nec integram mutare valet, dum objectum aliquod ſenſibile in organum ſenſorium agit (*§.* 290 *Ontol.*).

Idem etiam ſic oſtenditur. Ratio ſenſationum continetur in mutatione, quam objectum ſenſibile organo ſenſorio inducit (*§.* 65), conſequenter dum mutatio in organo contingit, ſenſatio in mente neceſſario eſt (*§.* 298 *Ontol.*), & quidem hæc potius & talis, quam alia (*§.* 56 *Ontol.*). Quare cum abſolute neceſſarium in ſe immutabile ſit, hypothetice autem neceſſarium tamdiu mutari nequeat, quamdiu ſalva eſt conditio, ſub qua neceſſarium (*§.* 325 *Ontol.*); ſenſationes vero vel abſolute, vel hypothetice neceſſariæ eſſe debeant *per demonſtrata*: eædem tamdiu mutari nequeunt, quamdiu ſalva eſt mutatio in organo, conſequenter fieri nequit, ut mutatione in organo eadem atque immutata anima quidpiam in ſenſatione immutet.

Idem etiam patet a poſteriori. Si fragor tormenti aurem ferit, minime efficere potes, ut ejus loco percipias ſonum blandiorem. Si fœtor nares occupat, efficere nullo modo potes, ut vel ejus loco odorem ſuavem, vel fœtorem ſaltem minus moleſtum percipias. Si ex data quadam diſtantia objectum quoddam adſpicias, tui non eſt arbitrii, an majus, an vero minus; an hiſce potius, quam aliis qualitatibus præditum objectum ſentire velis. Nihil igitur in ſenſationibus mutare vales, ſed tales utique admittere debes, quales te inconſulto oriuntur.

Nemo non hoc in ſe experitur, & qui ſenſationum dependentiam a mutationibus in organo ſenſorio perſpicit atque adeo agnoſcit illas per has intelligibili modo explicabiles eſſe; is abunde quoque convincitur de veritate propoſitionis hujus a priori: quem in finem addidimus demonſtrationem, cum pro inſtituto noſtro ſufficere videretur, ut eam a poſteriori ſtabiliremus. Judicent vero poſteri, quid ſentiendum ſit de hominibus fatalem omnium rerum neceſſitatem ad deſtructionem libertatis, animæ plenariam cum everſione omnis religionis, virtutis juſtitiæ, ac ſocietatis civilis tendentem hinc exſculpentibus mihique tanquam crimen objicientibus, ut ad criminationes reſponſurus proferre

Digitized by Google

ferre non potuerim, niſi quæ male ſanos deridendos propinarent a partium ſtudio remotis. Ceterum propoſitio hæc, quemadmodum ceteræ omnes, ſuum habet in praxi morali uſum. Etenim cum actiones noſtras ſecundum rationem dirigere jubeamur, obſtacula nobis objiciunt ſenſus: id quod ſuo loco diſtinctius explicaturi ſumus. Quamobrem impedimenta iſta remoturi probe noſſe debemus, quantum ſenſationes ab arbitrio noſtro pendeant, & quousque anima nullam prorſus in easdem poteſtatem habeat. In præſente igitur propoſitione docemus, quod forma ſenſationum ſit ab arbitrio animæ prorſus independens, nec eidem competat poteſtas in ea quidpiam immutandi.

§. 79.

Si objectum ſenſibile in organum ſenſorium rite conſtitutum agit; neceſſario ſentimus, ſeu in animæ poteſtate poſitum non eſt, utrum velit ſentire, nec ne. Id patet unicuivis ad obviam quovis momento experientiam attendenti. Etenim ſi objectum viſibile in oculos apertos radios immittit; arbitrii tui non eſt, utrum iſtud videre velis, nec ne; ſed neceſſario idem vides, ſive velis, ſive nolis. Similiter ſi ſonus in aures illabitur; arbitrii tui non eſt, utrum audire velis, nec ne; ſed neceſſario audis, ſive velis, ſive nolis. Si effluvia odorifera nares afficiunt, vel cibus comminutus & ſaliva perfuſus linguam contingit; arbitrii tui non eſt, utrum odorem, vel ſaporem percipere velis, nec ne; ſed utrumque neceſſario percipis, ſive velis, ſive nolis. Eodem modo ſi manum fronti admoves; arbitrii tui non eſt, utrum tactum percipere velis, nec ne; ſed frontem manu tangi neceſſario ſentis, ſive velis, ſive nolis. Nullus igitur datur ſenſus, in quo veritas propoſitionis præſentis experimento in te ipſo facto extemplo confirmari nequeat. *Coexiſtentia mutationum in organo & ſenſationum neceſſitas.*

Idem tamen vi antecedentium a priori quoque oſtenditur. Etenim in mutatione, quam objectum ſenſibile organo inducit, continetur ratio ſufficiens ſenſationum (§. 65). Quamobrem ſi mutatio in organo ſenſorio accidit; mens quoque neceſſario ſentit (§. 298 *Ontol.*), conſequenter in arbitrio ipſius poſitum non eſt, utrum ſentire velit, nec ne.

Digitized by Google

Quaiis ſit iſta coexiſtentiæ mutationum in organo ſenſorio & perceptionum in anima neceſſitas, an abſoluta, an hypothetica, in præſenti definiri minime poteſt. Quæſtio altioris indaginis eſt, utpote a commercio inter mentem & corpus intercedente tota pendens. Parum autem refert reſpectu libertatis animæ, utrum abſoluta ſit, an hypothetica: id quod ex inferioribus patebit, ubi in notionem libertatis inquiſiverimus. Abſonum igitur eſt ex neceſſitate coexiſtentiæ mutationum in organo & perceptionum in mente exſculpere fatalem neceſſitatem libertati interitum minaturam, cum libertas ſalva ſit, ſi vel maxime neceſſitas illa ſit abſoluta. Enimvero quid eſt tam abſurdum, quin dicatur ab aliquo conſequentiatiorum? Ceterum quando hic de mutationibus in organo ſermo eſt, ad eas referimus, quicquid in corpore accidere debet, ut perceptioni in mente ſit locus, utut hic nobis perinde ſit, qualia ſint ea, quæ in corpore noſtro contingunt, dum ſentimus. Ita v. gr. mutatio, dum videmus, in oculo facta includit etiam motum per nervum opticum ad cerebrum usque continuatum. Præterea notandum venit, nos & hic, & in omni caſu ſimili ſupponere ſtatum corporis vivi & hominis vigilantis: id quod ſequitur ex eo, quod modo inculcavimus, neque enim in corpore mortuo, vel etiam in homine dormiente integra locum habet mutatio, quæ in corpore prærequiritur, ut anima ſibi objectum repræſentet ejusdemque repræſentationis ſibi conſcia ſit. Talia opportune monemus contra eos, qui in captandis verbis ſunt aſſidui, ut acumine præſtare videantur.

§. 80.

Modus primus impediendi ſenſationem.

Si organum ſenſorium ab objecto avertimus, ſenſatio impeditur. Etenim ſi organum ſenſorium ab objecto ſenſibili avertimus; objectum in ipſum agere ſeu mutationem in eodem producere nequit, qualis per ſtructuram organi poſſibilis: quod per ſe patet. Enimvero ſi mutatio in organo ſenſorio non contingit, nulla amplius ſenſationis datur ratio ſufficiens (§. 65), conſequenter cum absque ratione ſufficiente nil quicquam eſſe poſſit (§. 70 *Ontol.*), ceſſabit quoque in mente ſenſatio ſeu perceptio (§. 65). Quoniam itaque ex averſione organi intelligitur, cur nulla in mente fiat ſenſatio *per demonſtrata*; averſio organi ab objecto continet rationem ſufficientem, cur idem mi-

minime sentiamus. Impeditur adeo sensatio per averſionem organi ſenſorii ab objecto ſenſibili (§. 726 *Ontol.*).

A poſteriori obvia experientia idem innoteſcit. Etenim ſi oculum avertimus a luna, ne radii ab eadem propagati in eum illabi poſſint; lunam non videmus. Si manum retrahimus a ſuperficie globi rotundi in tenebris, nec rotunditatem ejus tactu percipimus, qui in figura percipienda viſus vice fungebatur. Neque aliter rem ſeſe habere deprehendimus in ſenſibus ceteris.

Utile eſt noſſe, quo usque nobis aliqua ſit in ſenſationes poteſtas, cum in moralibus, tum in arte inveniendi; id quod ſuo loco luculentius conſtabit.

§. 81.

Si actio objecti ſenſibilis in organum ſenſorium quocunque modo impeditur; in anima quoque ſenſatio impeditur. Quoniam per actionem objecti ſenſibilis in organum ſenſorium intelligitur, cur mutatio quædam in eodem actu contingat, quæ vi ſtructuræ ejusdem poſſibilis erat; ratio hujus mutationis eſt actio iſta (§. 56 *Ontol.*), adeoque mutatio, quæ organo inducitur, effectus ab objecto ſenſibili productus (§. 886 *Ontol.*). Quare cum actio cauſæ efficientis ponenda ſit, ſi effectus poni debeat (§. 898 *Ontol.*); actione in organum ſenſorium impedita, adeoque ceſſante (§. 726 *Ontol.*), mutatio quoque in organo ceſſare debet. Enimvero ratio ſenſationis cum in iſta contineatur (§. 65), ceſſabit quoque ratio ſenſationis, conſequenter ipſa ſenſatio (§. 70 *Ontol.*). Quoniam itaque ex impedita actione objecti ſenſibilis in organum ſenſorium intelligitur, cur nulla in mente fiat ſenſatio *per demonſtrata*; impedita actio objecti ſenſibilis in organum ſenſorium continet rationem ſufficientem, cur idem minime ſentiamus. Impeditur adeo ſenſatio per impeditam actionem objecti ſenſibilis in organum ſenſorium.

Modus alter impediendi ſenſationem.

A po-

A posteriori idem adeo obvium est, ut notio propositioni praesenti respondens inter communes referri mereatur. Sane si oculos claudimus, ne radii ab objecto visibili propagati in oculum incidere possint; hoc ipso impeditur, ne visibile vi luminis in oculum agat (§. 726 *Ontol.*). Cessat vero tum etiam visus objecti alias videndi. Similiter si aures obturamus, ne sonus illabi possit; actio soni in aurem impeditur: tum vero nec sonum auditu percipi manifestum est. Si nares digitorum supremis articulis ita intrusis, ut vix spiritum per eos ducere liceat, obturemus, ne foetori pateat ingressus; effluviorum a corpore foetido exhalatorum actio in organum olfactus impeditur: foetorem vero tum a nobis minime percipi experimur. Quovis igitur momento quilibet in se experiri potest, impedita actione objecti sensibilis in organum sensorium impediri quoque sensationem, alias in anima extituram.

Propositionis praesentis eadem est utilitas, quae praecedentis: quod ideo monemus, ne quis contemnat, quae vulgaria videntur. Ex vulgaribus enim tanquam seminibus nascuntur sublimia & a communibus notionibus maxime remota: id quod vel sola Elementa *Euclidis* docere poterant, ex ipsa autem philosophiae universae pertractatione legitima, tum etiam ex Arte inveniendi evidentius elucesceret.

§. 82.

Modus debilitandi sensationem

Si sensationem ea, quam habemus, fortiorem in nobis excitamus; hanc aegre, immo prorsus non appercipimus. Sensatio enim fortior ita obscurare potest debiliorem, ut hanc prorsus non percipiamus (§. 76). Quare si ea, quam habemus, fortiorem in nobis excitamus; efficitur omnino, ut eam, quam habemus, vel aegre, vel prorsus non appercipiamus.

Principium hoc maximi momenti est in mente a sensu abducenda, qui eidem periculosus. Confirmatur a posteriori. E. gr. si lignum putridum in tenebris conspicis; accensa candela sensum lucis adeo debilitas, ut prorsus non lucere videatur. Alta voce quae legis pronuncians impedis, ne mussitantium verba percipias. Suffitu odorem suscitans foetoris perceptionem fugas.

§. 83.

Digitized by Google

§. 83.

Regulæ perceptionum dicuntur, quas anima obſervat in percipiendo, ſeu juxta quas perceptiones ipſius explicari poſſunt. Unde in ſpecie *Regulæ ſenſationum* ſunt, juxta quas ſenſationes in anima explicari poſſunt. *Regulæ perceptionum & ſenſationum quænam dicantur.*

Exempla regularum ſenſationum ſunt propoſitiones proxime præcedentes (§. 78 & ſeqq.). Neque alium in finem regulas illas propoſuimus, quam ut ſenſationes inde explicemus, quoties nobis in poſterum cum ipſis erit negotium.

§. 84.

Leges perceptionum ſunt principia generalia regularum perceptionum. Et hinc in ſpecie *Lex ſenſationum* dicitur principium generale regularum ſenſationum. *Leges perceptionum & ſenſationum.*

Denominatio ſit ad imitationem regularum & legum motus (§. 302. 303 *Coſmol.*). Noſtrum vero inprimis eſt in Pſychologia empirica ſtabilire leges & regulas inde pendentes generales perceptionum ac cogitationum, quod iis utamur in moralibus ad regimen actionum liberarum rite inſtituendum. Quemadmodum enim in philoſophia naturali absque regulis motus explicari nequit, quomodo corpora pro arbitrio noſtro movere valeamus; ita quoque in philoſophia practica absque regulis perceptionum doceri non poteſt, quomodo actiones noſtras liberas pro arbitratu noſtro dirigamus.

§. 85.

Lex ſenſationum hæc eſt propoſitio: Si in organo aliquo ſenſorio ab obiecto aliquo ſenſibili quædam producitur mutatio; in mente eidem coexiſtit ſenſatio per illam intelligibili modo explicabilis, ſenſationem ſufficientem, cur ſit & cur talis ſit, in illa agnoſcens. Veritas propoſitionis abunde patet ex antecedentibus. Neque enim, ſi rem potius, quam terminos ſpectes, aut ad terminorum explicationes in anterioribus traditas (§. 65. 66. 77) animum advertas, differt a principio cognoſcendi corpus ſuum ſupra propoſito (§, 56) & dependentiæ perceptionum a corpore notione (§.57). Immo talis eſt, ut obviis ex- *Lex ſenſationum.*

Digitized by Google

perientiis ſtatim confirmari poſſit, ſi de veritate ejus dubites. Enimvero in demonſtrandis regulis ſenſationum (§. 78 & ſeqq.) uſi ſumus propoſitione iſta tanquam principio (§. 876 *Ontol.*). Eſt igitur lex ſenſationum (§. 84).

Legi huic plurimum lucis affundit Optica, cum in ea regulæ viſionis, quas adeo ſenſus princeps obſervat, explicentur. Patet enim eas tanquam ad rationem ultimam ad propoſitionem præſentem reduci. Sufficit vero regulas viſionis per experimenta & obſervationes ſtabiliri.

§. 86.

Identitatis perceptionis ratio.

Si mutatio in eodem organo ſenſorio eadem eſt: ſenſatio quoque in anima eadem eſſe debet. Etenim ſenſatio agnoſcit in mutatione organi rationem ſufficientem, cur ſit & cur talis ſit (§. 85). Enimvero ſi in duobus caſibus eadem ratio ſufficiens ponitur; quod in uno caſu vi illius fuit, etiam in altero vi ejusdem eſſe debet (§. 189 *Ontol.*). Ergo ſi mutatio in eodem organo ſenſorio eadem eſt; ſenſatio quoque in anima eadem eſſe debet.

Magnum hoc principium eſt in omni ſenſationum doctrina. Uſum ejus ampliſſimum loquitur Optica, cum per immediatam conſequentiam inde fluant principia viſionis generalia phænomenis viſus demonſtrandis inſervientia, veluti quod duo objecta videantur ejusdem magnitudinis, ſi imagines in oculo eandem magnitudinem habent, conſequenter ſi ſub eodem angulo videntur. Non minus autem ad alias quoque ſenſationes applicari poteſt.

§. 87.

Diverſa quando ſenſui eadem apparere debeant.

Quodſi ergo *contingat a diverſis objectis ſenſibilibus eandem in eodem organo ſenſorio produci mutationem: eadem apparere debent.* Etenim ſi a diverſis objectis ſenſibilibus in eodem organo ſenſorio eadem producitur mutatio; ſenſatio quoque in anima eadem eſſe debet (§. 86). Quare cum ſenſationes ſint perceptiones (§. 65), perceptiones vero objecti repræſentationes (§. 24); anima ſibi in hoc caſu objecta diverſa tanquam eadem repræſentare debet. Quoniam tamen in ſe diverſa ſunt,

non

Digitized by Google

non eadem *per hypothesin*: eadem tantummodo apparent. Patet igitur diversa objecta eadem apparere debere, quoties contingit eandem ab iis mutationem in eodem organo sensorio produci.

Hoc principium continet rationem generalem, cur sensus subinde diversa repræsentet tanquam eadem, adeoque fallat, seu apparere quid faciat, quod non est. In omni Optica plurima occurrunt exempla, quæ sub hac lege continentur: est enim fons plurium deceptionum opticarum.

§. 88.

Si mutatio in organo sensorio eodem diversa est, sensatio quoque in anima diversa est. Ponamus enim, si fieri potest, mutationem in organo sensorio esse diversam, sensationem vero eandem. Quoniam in mutatione, quæ in organo accidit, continetur ratio, cur talis in anima potius sit sensatio, quam alia (§. 65); per diversam mutationem in organo intelligibili modo explicari poterit, cur eadem sensatio talis potius sit, quam alia (§. 56 *Ontol.*), consequenter cur anima hoc potius objectum, quam aliud, idemque hoc potius modo quam alio sibi repræsentet (§. 24): quod cum sit absurdum, sensatio in mente eadem esse nequit, si mutatio in organo diversa est. Erit igitur & ipsa diversa (§. 181. 183 *Ontol.*). *Diversitatis sensationis ratio.*

Absurditas ista magis adhuc eluceſcet in Psychologia rationali. Confirmatur autem experientia. Etenim si beneficio speculorum vel vitrorum politorum efficiamus, ut alia objecti in oculo delineetur imago, quam delineari solet, ubi nudo oculo idem contuemur; objectum quoque aliter videri manifestum est. Similiter constat, unum idemque objectum non idem apparere in diversis distantiis, ita ut v. gr. globus e longinquo visus instar disci exhibeatur. Constat autem aliam globi in oculo imaginem delineari, si fuerit in vicinia constitutus; aliam vero, si longinquo intervallo a nobis fuerit remotus. Jam ex imagine in oculo redditur ratio, cur nobis instar disci appareat globus e longinquo visus, & cur rotundus appareat in vicinia oculo objectus. Unde nemo non fatebitur, absonum fore, globum & invicinia, & e longinquo instar disci videri debere, vel in utroque casu conspici convexum,

utut imago in uno casu eadem sit, quæ est disci; in altero vero ab eadem diversa.

§. 89.

Idem quando appareat diversum.

Quodsi ergo *contingat, idem objectum diversam efficere mutationem in eodem organo; diversum quoque apparere debet.* Etenim si idem objectum diversam efficit mutationem in eodem organo, sensatio quoque in anima diversa esse debet (§. 88). Enimvero sensationes sunt perceptiones (§. 65), perceptiones vero objecti repræsentationes (§. 24). Anima igitur sibi in hoc casu objectum idem tanquam diversum repræsentare debet. Quoniam tamen idem est *per hypothesin*; diversum tantummodo apparet. Patet igitur idem objectum diversum apparere debere, quoties contingit diversam ab iis mutationem in eodem organo sensorio effici.

Hoc principium continet rationem generalem, cur sensus subinde idem repræsentet tanquam diversum, adeoque fallat, seu apparere quid faciat, quod non est. In Optica plurima occurrunt exempla specialia, cum propositio præsens sit fons alter deceptionum opticarum. Sensus enim fallit, tum quatenus diversa tanquam eadem, tum quatenus eadem tanquam diversa repræsentat. Patebit idem clarius ex inferioribus, ubi errorum fontes recludemus ostensuri, cur anima errare possit & quandonam eam errare contingat.

§. 90.

Idea mutationibus organorum sensoriorum respondentes.

Unicuique mutationi in organo possibili sensatio quædam & idea peculiaris in anima respondet. Etenim quotiescunque mutatio quædam in organo aliquo sensibili actu contingit, toties quoque sensatio quædam in anima eidem coexistit (§. 85), ita quidem ut eadem sit sensatio, quoties in organo mutatio eadem (§. 86), si vel maxime ab objectis diversis producatur (§. 87), & vicissim diversa sit sensatio, quoties diversa est in organo mutatio (§. 88), si vel maxime ab eodem objecto producatur (§. 89). Necesse igitur est, ut unicuique mutationi in organo possibili sensatio quædam peculiaris respondeat. Sensationes sunt perceptio-

Digitized by Google

ceptiones (§. 65), adeoque actus mentis, quo objectum aliquod sibi repræsentat (§. 24). Quare cum repræsentatio objecti dicatur idea, quatenus ipsum refert (§. 48), unicuique autem mutationi in organo peculiaris quædam sensatio respondeat *per demonstrata*; unicuique mutationi in organo possibili peculiaris quædam idea respondere debet.

Quemadmodum per structuram organi possibile est, ut a tali objecto istiusmodi in eodem mutatio producatur, veluti ut in oculo istiusmodi imago delineetur, si tale objectum in tali situ oculo oppositum radios lucis in eum immittit; ita per essentiam animæ possibile est, ut talis quædam sensatio in eadem producatur, qua objectum istiusmodi eo modo repræsentatur. Quando vero mutatio in organo actu contingit; sensatio quoque in anima actu oritur, nec alia, quam hæc isti coexistere potest. Cur veto hæc potius, quam alia eidem coexistat, & quomodo fieri possit, ut eidem coexistat, in Psychologia rationali demum inquiremus.

CAPUT III.

De Imaginatione.

§. 91.

Reproductio idearum objectorum sensibilium.

Objectorum sensibilium absentium ideas mens reproducere valet, seu, quod perinde est, *Si qua sensu percepit anima, eorum prrceptiones reproducere potest, objectis licet absentibus.* Obvia experientia idem confirmatur, cum nullum sit momentum, quo juxta ea, quæ sensu percipimus, non simul absentia nobis repræsentemus. E. gr. Si fuimus in templo, domum reduces idem nobis repræsentare valemus, veluti ipsum extra nos contueremur, etiamsi nullam oculo inducat mutationem, a qua perceptio templi dependet (§. 90), consequenter nobis absens sit (§. 63). Enimvero repræsentatio ista, qua templum veluti extra nos nobis præsens sistitur, etsi non sit, idea templi est (§. 48) & templum, quod videri adeoque sensu percipi potest, objectum sensibile est (§. 77). Anima igitur

Digitized by Google

ideam objecti ſenſibilis abſentis antea ſenſu percepti reproducere valet.

Idem eodem modo colligitur ex quovis exemplo alio. Propoſitio enim præſens eſt illud univerſale, quod in quolibet exemplo ſingulari, ſeu caſu quolibet particulari continetur. Notandum vero eſt artificium, quo in hoc & ſimili caſu univerſale in ſingularibus latens ab iisdem vi notionum univerſalium ante acquiſitarum ſeparatur: id quod inſignem nobis præſtat utilitatem in acquirendo acumine pervidendi abſtracta in concretis, de quo deinceps ex inſtituto agimus. Nihil proponimus, quod non ſingularem promittat utilitatem, nec obviis adeo ſollicite enodandis præter rationem inhæremus. Ipſi nimirum experti ſumus, quare neceſſarium ſit ſtudium, quod in rebus obviis meditandis collocatur, ſi vel ſummam diligentiam & maximum acumen ad meditationem afferas. Nemo hoc credit niſi expertus. Is autem demum experimento in ſe facto idem experitur, qui obvia iſto modo meditatur. Ignorant hoc Mathematici, quorum defectus in notionibus evolvendis ſupplet figura, & notiones ſubinde obſcuras ſucceſſus calculi in jam notis clariores efficit. Ignorant eruditi ceteri omnes, qui ab accurata diſcuſſione ſunt alieni. Quamobrem non moramur judicia, quæ deproperant utilitatem nobis exploratam minime proſpicientes. Et talia opportune ſubinde moneri exiſtimamus, quæ nobis ducibus philoſophantibus animum addere debent ad diligentiam aſſiduam continuandam.

§. 92.

Imaginationis definitio.

Facultas producendi perceptiones rerum ſenſibilium abſentium *Facultas imaginandi* ſeu *Imaginatio* appellatur. Quoniam itaque anima rerum abſentium ideas reproducere valet (§. 91); *Animæ competit facultas imaginandi*, ſive *Imaginatio.*

Propoſitionem adeo præcedentem eum in finem præmiſimus, ut imaginationis realitas in aprico poneretur. *Ariſtoteleis* imaginatio etiam *Phantaſia* appellari ſolet. De *Tſchirnhauſen* vocabulum Imaginationis in ſenſu latiori ſumit, ita ut etiam facultatem ſentiendi ſub ea comprehendat. Imaginatio nimirum ipſi idem eſt, quod facultatis cognoſcendi partem ſuperiorem ſupra appellavimus (§. 54). Sed ſignificatus adeo latus ipſi peculiaris eſt, quemadmodum parte 2. §. 2. p. m. 41. ipſemet obſervat, hanc reddens denominandi rationem, quod facul-

facultates istæ, etsi diversæ, id habeant commune, quod earum opera sub specie imaginum pleraque nobis exhiheantur. Atque hæc ideo monemus, ne ad libri *Tschirnhusiani* lectionem accedens confundatur.

§. 93.

Ideam ab imaginatione productam *Phantasma* dicimus. *Phantasmatis definitio.*

Equidem *Aristotelici* vocabulum phantasmatis non eodem prorsus sensu accipiunt; sed sufficit nobis eodem commode exprimi posse ideas ab imaginatione productas. Quoniam enim phantasia, teste *Goclenio* in Lexico Philosophico, etiam sumitur pro specie alicujus rei, quæ sensu comprehensa est, relicta in mente; phantasia vero pro facultate imaginandi sumitur (*not.* §. 92); phantasma commodius restringitur ad ideas a phantasia productas. Quoniam *Aristotelici* in doctrina de mente humana non satis a se invicem separarunt, quæ distingui debebant; ideo nemo nobis vitio vertet, si accuratam de anima cognitionem consecuturi determinatas & fixas vocabulis tribuamus significationes.

§. 94.

Si quid sensu distincte percipimus, id facilius & clarius nobis imaginamur; quam quod confuse percipimus. Si faciem solis imaginari conamur, figuram & magnitudinem bene imaginamur, atque satis clare; at lumen imaginari vix ac ne vix quidem possumus, ut eadem adsit claritas, quæ adest, dum sensu idem percipitur. Quoniam in figura solis plura distinguere licet, nec minus quæ magnitudini insunt ad alias referre datur magnitudines, veluti diametrum disci solaris ad altitudines objectorum sensibilium, aream perimetro comprehensam ad superficies alias planas; figuram & magnitudinem distincte percipimus (§. 38). Enimvero quoniam in lumine solis plura separatim enunciabilia distinguere non licet; lumen nonnisi confuse percipimus (§. 39). Et quia figuram & magnitudinem in phantasmate solis ab aliis una perceptis probe distinguimus ac inde figuram ejus agnoscimus; phantasma solis perceptio clara est (§. 31). Jam vero phantasma adeo obscurum *Quanam facilius imaginemur.*

est,

Digitized by Google

eſt, ut ex illa obſcuritate lumen non agnoſcas, &, ſi vel maxime aliqua claritate perfundatur, tanta tamen non eſt, quæ ad lumen ſolis agnoſcendum ſufficit, quin potius illam ab hoc plurimum differre tibi conſcius es. Luminis adeo ſolaris phantaſma perceptio aut obſcura penitus (§. 32), aut minus ſaltem clara eſt (§. 31). Patet itaque nos ſenſu diſtincte perceptum facilius & clarius imaginari, quam quod confuſe percipitur.

Non inutile eſt, ſi ad alia exempla reſpiciens ex iis ſimiliter propoſitionem præſentem eruas. Quoniam tamen exempla obvia ſunt, ut plura in medium proferamus opus non eſt. Propoſitionis præſentis utilitas ex ſubſequentibus elucescet: major autem in Moralibus aliquando palam fiet. Ceterum obiter monemus, modum eruendi univerſalia ex ſingularibus, quo in ſtabiliendis propoſitionibus a poſteriori utimur, æquipollere demonſtrationibus majoris perſpicuitatis gratia ad caſum ſpecialem applicatis: quales in Matheſi mixta occurrere nemo ignorat, qui vel levi ſtudio in eadem verſatus eſt. Unum adhuc notandum eſt, antequam a propoſitione præſente ad aliam digrediamur: utrum ſcilicet quid facile, an difficile imaginemur, id nobis innoteſcere, quatenus nobis conſcii ſumus conatus, quem ad imaginandum aliquid adhibemus. In exemplo allato phantaſmatis ſolaris apparet, quod figura & magnitudo veluti vocata ſtatim ſe ſiſtat; aſt ubi lumen imaginari conamur, conatum ſucceſſu fruſtraneo repetitum appercipimus, ut adeo hinc impotentiæ poſitivam notionem conſequamur (*not.* §. 39).

§. 95.

Quanam idea ſenſuales dicuntur.

Ideas ſenſuales appello, quæ vi ſenſationis in anima exiſtunt, ſeu quæ in anima actu inſunt, quod jam iſta in organo ſenſorio mutatio accidit. Dici etiam poteſt, quod ſint eæ, quæ a ſenſu in anima producuntur.

E. gr. dum ſolem intuemur, idea ſolis, vi cujus nobis ejusdem ſumus conſcii, a viſu pendet, atque ideo in nobis exiſtit, quia radii a ſole in oculum illapſi organo viſus mutationem quandam inducunt; dicitur itaque idea iſta ſenſualis. Similiter ſi ſonum tubæ percipimus, quia in aurem illapſus mutationem quandam organo auditus inducit; ſoni idea ſenſualis eſt. Idem dicendum eſt de ideis ceteris, qui mutatio-

tationibus in ceteris organis ſenſoriis contingentibus in anima reſpondent. Atque ideæ hæ ſenſuales opponuntur phantaſmatis, quæ vi imaginationis producuntur (§. 93): cur enim ab his diſtinguendæ veniant, ex ſequentibus apparebit, & utilitas in moralibus palam fiet.

§. 96.

Differentia phantaſmatum & ideārum ſenſualium.

Phantaſmata minus clara ſunt ideis ſenſualibus. Si quid enim ſenſu confuſe percipitur, id claritati minime obſtat (§. 39), exemplo luminis atque colorum: ſi vero idem imaginamur, id minus clare imaginamur, quam ſi idem ſenſu percipitur (§. 94). Quare cum objectis ſenſibilibus ſemper inſint confuſe percipienda, veluti viſibilibus colores (*not.* §. 39); ſi quod objectum ſenſibile imaginamur, minus claritatis adeſſe debet, quam ſi idem ſenſu percipimus. Enimvero idea ſenſu producta ſenſualis idea eſt (§. 95); phantaſma vero idea eſt, quæ ab imaginatione producitur (§. 93). Patet itaque phantaſmatis minus adeſſe claritatis, quam ideis ſenſualibus.

Exemplo eſt idea ſenſualis ſolis & phantaſma ejusdem, quas duas perceptiones gradu claritatis a ſe invicem differre nemo non in ſeipſo experitur. Gradus claritatis bene quidem diſtinguimus, ſed in iis ſigillatim enunciabilia minime deprehendimus, adeoque eos nonniſi confuſe percipimus. Ita ſi duo fuerint colores, unum eſſe altero clariorem vulgo ſatis obvium eſt; ſed undenam majorem gradum claritatis unius, minorem alterius agnoſcamus; nec nobis conſcii ſumus, nec enunciare valemus.

§. 97.

Modus diſtinguendi phantaſmata ab ideis ſenſualibus.

Quoniam phantaſmata & ideæ ſenſuales gradu claritatis a ſe invicem differunt (§. 96), per eandem a ſe invicem diſtingui poſſunt, conſequenter *Si phantaſmata & ideæ ſenſuales in anima coexiſtunt, illa ab his diſtinguimus.*

Confirmat corollarii præſentis veritatem experientia. Nemo non ſibi conſcius eſt, ſe phantaſmata ab ideis ſenſualibus coexiſtentibus optime diſtinguere, ut adeo nunquam immineat periculum, ne quod imaginamur cum eo, quod ſentimus, confundamus, quamdiu ſimul ſentimus & imaginamur: id quod nobis vigilantibus accidit.

Digitized by Google

§. 98.

Actuum imaginationis & sensationum debiliorum aequipollentia

Actus imaginationis æquipollent sensationibus debilioribus. Debilior enim est sensatio, quæ minorem claritatis gradum habet (§. 75). Quare cum phantasmata minus clara sint ideis sensualibus (§. 96), illa autem vi imaginationis (§. 93), hæ vi sensuum producantur (§. 94); actus imaginationis minorem gradum claritatis habet, quam sensatio. Quoniam itaque sensibilia imaginamur (§. 92), adeoque ea, quæ sensu percipi possunt (§. 77); ipsa autem experientia constat, sensibilia in luce fortiori clarius percipi, quam in debiliori; actus imaginationis æquipollent sensationibus debilioribus.

Confirmatur idem experientia. Etenim si nocturnis tenebris ingruentibus equitem ex intervallo videmus; phantasma non majorem, immo sæpius minorem claritatis gradum habet, quam si ex eodem intervallo in luce diurna eundem adspicimus. Simile quid notamus, si idem objectum in luce diurna & lunari diverso tempore conspicimus, modo distantia tanta sit ab oculo in casu posteriori, quæ ad istam differentiam inducendam sufficit. Sed nostrum non est in præsenti inquirere, quomodo ista distantia determinari debeat.

§. 99.

Obscuratio imaginationis per sensus.

Sensationes obscurant actus imaginationis, ita ut hos subinde prorsus non appercipiamus. Actus enim imaginationis æquipollent sensationibus debilioribus (§. 98). Quoniam itaque sensatio fortior obscurat debiliorem, ita ut subinde debiliorem prorsus non appercipiamus (§. 76); sensationes actus imaginationis coexistentes obscurare debent, ita ut eos subinde prorsus non appercipere liceat.

Id actu fieri in anima nostra, ut adsint phantasmata, quorum tamen nobis minime conscii sumus; in subsequentibus patebit. Atque ideo suo loco inquirendum erit, quomodo phantasmata latentia in apricum producantur, ut jam nobis eorum conscii reddamur, cum antea conscii non essemus.

§. 100.

Digitized by Google

§. 100.

Senſationes debiliores clariores fiunt, abſentibus fortioribus. Obvia idem confirmatur experientia. Si luna nocturno tempore fulget, objecta ejus lumine colluſtrata reſplendent, & ipſum lumen Lunæ multo clarius percipitur, quam interdiu, dum inſtar nubeculæ pallet. Lumen Solis multo clarius percipimus, quam Lunæ, adeoque ſenſatio prior fortior eſt (§. 74), poſterior debilior (§. 75). Quando igitur Sol non amplius conſpicitur, ſed Luna ſola in oculos incurrit, illo ſub horizonte latente, ut nihil prorſus luminis ex fonte iſto manantis ad eos pertingat; ſenſatio fortior ceſſat, debilior ſola relinquitur. Enimvero tum lumen lunare multo clarius percipitur, quam antea, neque enim amplius Luna inſtar nubeculæ pallere videtur, adeoque ſenſatio debilior clarior fit fortiori abſente. *Senſationes debiliores quando fiant clariores.*

Nimirum ceſſat jam obſcurationis cauſa (§. 76), adeoque debilior non obſcuratur. Retinet igitur ſuam, quam habet, claritatem.

§. 101.

Si actus imaginationis ſoli ſunt, clariores ſunt, quam ſenſationibus coexiſtentes. Quoniam enim actus imaginationis ſenſationibus debilioribus æquipollent (§. 98); ſi actus imaginationis ſoli inſunt animæ, abſentibus ſenſationibus omnibus, perinde eſt ac ſi ſenſatio debilior ſola adeſſet, fortiori remota. Enimvero ſenſationes debiliores clariores fiunt abſentibus fortioribus (§. 100). Ergo actus imaginationis clariores quoque eſſe debent, ſi fuerint ſoli, quam ſi ſenſationibus coexiſtunt. *Actus imaginationis quando clariores.*

Idem confirmatur a poſteriori. Etenim in ſomnio ceſſant ſenſationes & ſoli actus imaginationis in anima dantur. Tum vero poſteriores utique clariores ſunt, quam dum vigilamus, cum phantaſmata pro ideis ſenſualibus habeamus, exiſtimantes nos vigilare, cum dormimus, & in rei veritate contingere, quod tantummodo apparet.

Digitized by Google

§. 102.

Casus speciales.

Quoniam actus imaginationis clariores sunt, si soli sunt, quam si sensationibus junguntur (§. 101); *Actus imaginationis clariores sunt in tenebris & quando oculos claudimus, aliisque objectis absentibus, quæ cetera organa sensoria feriunt.*

Respondet propositio præsens notioni communi: phantasmatis enim claritatem conciliaturi oculos claudimus & alia objecta a contactu organorum sensoriorum arcemus.

§. 103.

Quenam sensibilia ceteris clarius imaginemur.

Visibilia objecta, itemque verba facilius & clarius imaginamur, quam sonos inarticulatos, odores sapores & qualitates tactiles, seu, quæ tactu solo percipiuntur. In objectis enim visibilibus multa insunt, quæ distincte percipimus, veluti figuræ & magnitudines, situs atque motus, quemadmodum ex demonstratione de facilitate & difficultate imaginandi (§. 94) appareret. In verbis singulas syllabas a se invicem distinguimus tanquam sigillatim enunciabiles, adeoque eadem distincte percipimus (§. 38). Enimvero in sonis inarticulatis, odoribus, saporibus & qualitatibus tactilibus, seu iis, quæ solo tactu percipiuntur, plura sigillatim enunciabilia distinguere non licet, adeoque eadem tantummodo confuse percipimus (§. 39). Enimvero si quid sensu distincte percipimus, id facilius & clarius nobis imaginamur, quam quod confuse percipimus (§. 94). Ergo visibilia objecta, itemque verba, facilius & clarius imaginamur, quam sonos inarticulatos, odores, sapores & qualitates tactiles, seu, quæ tactu solo percipiuntur.

Veritas propositionis præsentis obvia admodum experientia confirmatur, ut eam nemo in dubium vocare possit, quoniam experimentum statim in se capere potest, quamprimum dubitatio animum invadit. Quodsi quædam imaginari conemur, unusquisque in semetipso deprehendet, occurrere ipsi partim objecta visibilia, partim verba. In visibilibus clare a se percipi figuras, magnitudines, situs ac motus experiemur; in verbis percipi syllabas, quatenus successive pronunciari possunt. Quodsi vero sonos alios, sapores, odores vel quæ tactu solo

percip

percipi poſſunt, imaginari conemur; nihil a nobis effici intelligemus, utut ſonos, ſapores, odores & qualitates tactiles, quamprimum ſenſu percipiuntur, extemplo agnoſcimus. Ceterum utilitate non caret probe a ſe invicem diſtingui, quæ facile imaginari licet, ab iis quæ vix ac ne vix quidem imaginari poſſumus. Patebit utilitas in Moralibus. Nihil enim de anima certa experientiæ fide cognoſcitur, quod non inexpectatam ſubinde in Moralibus utilitatem afferat. Propter iſtam vero utilitatem inanem operam minime ſumit, qui in notionibus communibus ſibi claris reddendis aſſiduus eſt. Evadunt autem claræ, ſi ad exempla animum advertimus. Et quo plura exempla attente conſideramus, eo nobis fiunt clariores.

§. 104.

Si quæ ſimul percepimus & unius perceptio denuo producatur, ſive ſenſuum, ſive imaginationis vi; imaginatio producit & perceptionem alterius, ſeu, quod perinde eſt, *perceptio præterita integra recurrit, cujus præſens continet partem.* Patet id a poſteriori, ſi in quocunque caſu ſingulari comparemus ideam ſenſualem præſentem cum phantaſmate, quod actu imaginationis præſens ſiſtitur. E. gr. Ponamus te in templo vidiſſe Titium ſeu perſonam quandam tibi ignotam, & in templum alio tempore venientem oculos conjicere in locum, ubi ſederat; recurret tibi phantaſma Titii, etſi is tunc temporis non fuerit præſens, ſed locus iſte vel vacuus fuerit, vel ab alia perſona occupatus. Quodſi tunc temporis, quo Titium videbas, eum Mevio colloquentem vidiſti; mox etiam recurret phantaſma Mevii, etſi nec ipſe præſens ſit, nec in locum, quem occupaverat, oculos convertas. Quoniam Titium & locum, quem in templo occupavit, ſimul vidiſti; Titius & locus ſunt duo viſibilia, quæ ſimul percepiſti, aut, generaliter loquendo, res duæ ſenſu ſimul perceptæ (§. 77). Dum in templum alio tempore veniens oculum in locum iſtum conjicis, ubi ſederat Titius; viſus vi denuo producitur perceptio unius rerum alias ſimul viſarum, ſeu, generaliſſime loquendo, ſenſus vi producitur perceptio unius rerum alias ſimul perceptarum (§. 67). Dum porro

Quenam actu imaginemur.

tibi recurrit phantaſma Titii nunc quidem abſentis; vi imaginationis producitur perceptio rei alterius ſimul perceptæ (§. 92). Apparet adeo ſi rerum antea ſimul ſenſu perceptarum una ſenſu denuo percipiatur; imaginationem etiam producere perceptionem alterius.

Quia porro Titium loquentem videras cum Mevio; Titius & Mevius ſunt duo objecta viſibilia, ſeu, generaliter loquendo res duæ ſenſu ſimul perceptæ (§. 77). Dum phantaſma Titii recurrit; unius rerum ſenſu ſimul perceptarum perceptio vi imaginationis denuo producitur (§. 92). Dum porro tibi recurrit phantaſma Mevii, nunc non modo abſentis, ſed cujus ne locum quidem adſpicis; vi imaginationis producitur perceptio rei alterius ſimul perceptæ (§. *cit.*). Patet igitur ſi unius rerum antea ſimul perceptarum perceptio vi imaginationis denuo producitur; vi ejusdem imaginationis produci quoque perceptionem rei alterius ſimul perceptæ.

Ponamus denique te ideam horti animo concipientem, qualem nullibi vidiſti, eundem inſtruere arboribus ordine plantatis & ornare floribus, quales verno tempore in hortis amœnis conſpiciuntur. Ponamus porro, te alio tempore in via conſpicere arbores ordine plantatas: phantaſma horti tui, qualem tibi antea imaginatus fueras, extemplo recurret. Quoniam ideam horti dum animo concipis & in eo arboribus atque floribus loca convenientia pro arbitrio aſſignas, iſtorum objectorum nullum præſens eſt, *per hypotheſin*; vi imaginationis rerum plurium perceptiones una producis, ut perceptionem quandam totalem conſtituant (§. 43), qualis eſſe ſolet, ſi plura ſimul ſenſu percipiuntur, ſeu uno obtutu videntis comprehenduntur. Habes igitur hic res plures ſimul imaginatione perceptas. Dum in via conſpicis arbores ordine plantatas, quales in horto tuo tibi imaginatus fueras; unam rerum antea ſimul imaginatione perceptarum vi ejusdem denuo producis (§. 92). Dum vero

vero phantaſma horti, quem antea imaginatus fueras, denuo recurrit; vi imaginationis producitur perceptio rerum ſimul imaginatione perceptarum ceterarum (§. *cit.*). Patet igitur, ſi quæ ſimul imaginatione fuerint percepta & unius eorum perceptio vi ſenſus denuo producatur; imaginationem quoque producere perceptionem alterius.

Quoniam igitur imaginatio producit ſimul percepta, ſi eorum unum ſenſu vel imaginatione denuo percipiatur, ſive ſimul ſenſu, ſive imaginatione percepta fuerint; generaliter omnino liquet, ſi quæ ſimul percepimus & perceptio unius eorum ſive ſenſuum, ſive imaginationis vi producta denuo fuerit, imaginationem quoque producere perceptionem alterius ſeu ceterorum.

Propoſitio præſens maximæ utilitatis eſt in ſerie perceptionum explicanda: id quod non modo in moralibus, verum etiam in Logica & Pſychologia indiſpenſabilis neceſſitatis eſt. Incidi in eam juvenis, cum philoſophiam practicam univerſalem methodo mathematica conſcriberem: deprehendebam enim ea me opus habere in demonſtrando, atque ideo eandem ſumſi inſtar axiomatis ſeu notionis communis exemplo *Euclidis*. Mox ejus quoque uſum obſervavi in ratiocinatione diſtincte explicanda, quemadmodum in ſequentibus docebo. Ne quis vero exiſtimet, ad eam ſtabiliendam ſumi, quæ a veritate facti aliena ſunt; ut unusquisque aſſumat exempla, quæ præſens ipſi ſuggerit experientia, conſultum eſt. Et ne quis methodo abſtrahendi univerſalia a ſingularibus nondum ſatis fidens exiſtimet, a ſingulari vel particulari ad univerſale argumentationem fieri; pluribus exemplis diverſo tempore obviis utatur. Plurimum huc conducit, ſi non ſolum ad nos, ſed alios quoque attenti ex perceptione præſente reddere conemur per aliquod temporis intervallum rationem eorum, quæ nobis vel aliis in mentem veniunt: ita nimirum non modo veritas propoſitionis nobis confirmabitur, ſed eidem quoque reſpondens notio & clarior evadet, & fœcunditas ejusdem manifeſta fiet.

§. 105.

Si quod nunc percipitur ſpecie vel genere idem eſt cum Idem porro eo, expenditur.

eo, quod alias una cum aliis perceptum fuerat, imaginatio etiam horum perceptionem producere debet. Quæ enim ſpecie vel genere eadem ſunt, ea ſibi mutuo ſimilia ſunt, quatenus ad eandem ſpeciem, vel ad idem genus referuntur (§. 233. 234 *Ontol.*), conſequenter quædam in iisdem eadem ſunt (§. 195 *Ontol.*). Quare ſi nunc percipimus A ſpecie vel genere idem cum B, quod alias cum C perceperamus; quædam omnino percipimus, quæ antea ſimul cum aliis in B percepimus. Quamobrem cum perceptio ceterorum, quæ ipſi B inerant & in A minime deprehenduntur, vi imaginationis una produci debeant (§. 104); imaginatio quoque producit perceptionem ipſius B. Quoniam vero B percipiebatur una cum C; evidens eſt cum perceptione ipſius B produci etiam debere perceptionem ipſius A (§. *cit.*). Patet igitur, ſi quod nunc percipitur ſpecie vel genere fuerit idem cum eo, quod alias una cum aliis perceptum fuerat, imaginationem etiam horum perceptionem producere debere.

Idem confirmatur a poſteriori. Ponamus enim nos in convivio ſimul vidiſſe hoſpites & vitra vino plena. Quodſi domi die ſequente oculos in vitra convertis, quibus vinum infundi ſolet; extemplo tibi occurrit phantaſma hoſpitum ac vitrorum vino plenorum rerumque ceterarum in convivio præſentium. Vitra, quæ domi conſpicis, ſpecie ſaltem eadem ſunt cum vitris, quæ videras in convivio. Ergo objectum ſpecie idem, quod percipis, non modo tibi in mentem revocat objectum antea perceptum ad eandem ſpeciem pertinens; verum etiam alia cum eodem ſimul percepta.

Patet idem in exemplis aliis. Ita vitra, quibus vinum infundi ſolet, in mentem tibi revocant tabernam vitris omnis generis inſtructam, quam in nundinis vidiſti. In exemplo, quod ad propoſitionem præcedentem dedimus, arbores in horto plantandas in mentem revocant arbores in via plantatæ, & ita porro. Dicitur autem objectum in mentem revocari, cujus phantaſma vi imaginationis producitur.

§. 106.

Digitized by Google

§. 106.

Sine prævia ſenſatione nullum in anima phantaſma oriri poteſt. Pone enim, ſi fieri poteſt, phantaſma aliquod ſine prævia ſenſatione oriri. Nulla jam amplius erit ratio, cur hoc potius phantaſma oriatur, quam aliud, cum ipſum nulla perceptio præcedat, nec ob defectum ejusdem ratio aliqua in corpore aſſignari poſſit (§. 85). Quoniam itaque fieri nequit, ut abſque ratione ſufficiente aliquid ſit (§. 70 *Ontol.*); neque etiam fieri poteſt, ut ſine prævia ſenſatione aliquod in anima phantaſma oriatur. *Phantaſmatis cum ſenſatione nexus.*

Nullum quoque allegare licet exemplum phantaſmatis abſque prævia ſenſatione in anima exorti, modo attentione atque acumine ſufficiente utaris, ne ſcilicet exiſtimes venire quid in mentem, cujus nulla ratio ex perceptione præſente reddi poſſit, cur hac poſita ponatur. Neque enim negandum eſt, niſi in ratione phantaſmatis ex præcedente perceptione eruenda aliquandiu jam verſatus fueris, ægre illam detegi poſſe. Peculiare niminum requiritur acumen ad ea, quæ perceptionibus ac appetitibus noſtris inſunt, diſtinguenda, ubi non veluti ſponte ſua abſque ullo negotio patent.

§. 107.

Si imaginatio reproducere debet perceptiones aliarum rerum antea ſimul perceptarum cum ea, quam nunc percipimus; res iſtæ vel ſæpius, vel diu ſimul percipiantur neceſſe eſt. Etenim quod ſpecie præſertim, vel genere idem eſt, ſucceſſive cum pluribus rebus aliis ſpecie & genere differentibus percipitur. Quamobrem ratio aliqua adeſſe debet, cur imaginationi hujus potius, quam alterius rei perceptio occurrat, quæ non minus quam iſta cum re nunc percepta ſimul antea percepta fuit (§. 70 *Ontol.*). Quare cum adſit aliqua ratio, ſi perceptio ejus rei, quæ cum nunc percepta ſæpius ſimul percepta fuit, producatur, vel etiam quæ diu cum hac ſimul percepta fuit, nimirum hæc ipſa, quod ſæpius vel diu ſimul percepta fuerit, utpote quæ ſola differentia in ſimultaneitate percipiendi jam *Quanam perceptiones ab imaginatione producantur.*

Digitized by Google

admittitur (§. 104. 105); ſi imaginatio reproducere debet perceptiones aliarum rerum antea ſimul perceptarum cum ea, quam nunc percipimus; res iſtæ vel ſæpius, vel diu ſimul percipiantur neceſſe eſt.

Idem patet a poſteriori. Si in aliquo templo ſæpius fuiſti, ubi phantaſma ejus recurrit, primum recurrit phantaſma ejus partis, quam e loco tibi conſueto conſpicis, vel ſi idem templum quoad ſpeciem externam repræſentat, eam tibi faciem exhibet, quam ſæpius prætieriens reſpexiſti. Si in horto aliquo ſæpius fuiſti & eum cum aliis, in quibus fueras, vel de quibus narrantes audiveras, contuliſti; ubi vi perceptionis præſentis perinde eſt, cujusnam horti perceptio producatur, phantaſma ejus recurrit, non vero alterius. Nec aliud quid obtinet in caſibus aliis. Similiter ſi in horto aliquo vides plantam exoticam, antea tibi non viſam; eam diu contemplaris, ut facilitatem ejus perceptionem producendi, quoties de plantis ſermo incidit, vel planta aliqua viſui objicitur, praſertim rara, tibi compares. Immo ab eadem digreſſus phantaſma vi imaginationis conſervas & aciem mentis in eodem contemplando adhuc defigis, & tanto certiorem ex eo te exiſtimas fore, ut in poſterum abſentis perceptionem reproducere valeas.

Multa attentione opus eſt ad talia pervidenda, qua uti non poſſunt niſi exercitati. In Pſychologia rationali, ubi in nexum iſtarum perceptionum inquiremus; res evadet clarior. Quodſi vero quis in addiſcenda Pſychologia empirica, qualem proponimus, multum ac diu verſatus attentionem ad ea, quæ in anima contingunt, conſervare didicerit; is facilius obſervare poterit, quæ nunc aciem mentis effugiunt. Etſi autem obſervatio ſit difficilis, ſi in caſu dato phantaſmata dijudicanda; hoc tamen non obſtante eidem reſpondet notio communis, cum eadem nitatur praxis res memoriæ mandantium, quemadmodum inferius oſtendemus.

§. 108.

Modus acquirendi facilitatem

Quoniam res percipiuntur tum ſenſu, tum imaginatione (§. 67. 92); *facilitas reproducendi perceptiones rerum antea per-*

perceptarum cum iis, quæ nunc percipiuntur, acquiritur, sive res sæpius ac diu sensu, sive imaginatione simul percipiantur. reproducendi perceptiones.

Apparet adeo non modo sensum juvare imaginationem, sed eam quoque ipsam absque sensuum auxilio in facilitate idearum reproducendarum acquirenda utiliter ac cum successu versari. Sed de his plura dicemus paulo deinceps de memoria acturi.

§. 190.

Si res plures simul percipiuntur, & mentis acies in unam earum intenditur: imaginatio reproducit perceptionem rerum cum hac antea simul perceptarum. Si plura simul percipis & mentis aciem in unam earum intendis; hujus tibi magis conscius es, quam ceterorum, & in eo quid distinguis, quod tibi tanquam in eo repræsentas. Quare cum aliqua adesse debeat ratio, cur imaginationi potius occurrat perceptio rerum cum hac, quam alia in perceptione præsente contenta simul perceptarum (§. 70 *Ontol.*), talis vero quidem adsit in eo casu, quo imaginatio producit perceptionem rerum antea simul cum ea perceptarum, in quam mentis aciem intendis, nulla vero adsit in altero casu, quo produceret perceptionem rerum antea simul cum una ceterarum conjunctarum, in quam mentis aciem minime intendis; si res plures simul percipiuntur & mentis acies in unam earum intenditur; imaginatio reproducit perceptionem rerum cum hac antea simul perceptarum. Quomodo perceptiones producendæ a præsente pendeant.

Idem etiam sic ostenditur. Quando in perceptione præsente plura continentur & in eorum unum mentis aciem dirigis; hujus tibi magis, quam ceterorum conscius es, atque adeo perinde est ac si hoc solum perciperes. Enimvero imaginatio producit perceptionem eorum, quæ simul percepta fuere cum eo, quod nunc percipitur (§. 104); reproducere igitur debet perceptionem eorum, quæ cum eo ex pluribus in eadem perceptione nunc contentis simul percepta fuere, in quod mentis aciem intendis.

Digitized by Google

Idem etiam a posteriori confirmatur. Ponamus tibi in oculos incurrere externam ædificii cujusdam faciem & in ea feneſtras, e quibus orbes quidam vitrei ſunt avulſi. Si mentis aciem dirigas in avulſos ex feneſtris orbes; imaginatio objiciet tibi phantaſma ædificii alterius cum feneſtris, ex quibus orbes vitrei ſunt avulſi, quod alias vidiſti, & huic ſuccedent phantaſmata aliorum ſimilium ædificiorum antea viſorum, veluti eorum, e quorum feneſtris infelici caſu a grandine orbes vitrei aliquando fuerant excuſſi, ubi aciem mentis in orbes avulſos intendere pergis. Plura iſtiusmodi exempla tibi recurrent, ſi in perquirendis rationibus phantaſmatum ex perceptione præſente naſcentium fueris aſſiduus.

In hoc & aliis caſibus id inprimis agendum eſt, ut phantaſma ex perceptione immediate enatum cum perceptione præſente conferatur: id quod ſubinde difficultatem parit, ſi attentionem ad id, in quo mentis aciem defigis, non diu conſervas, ſed eandem ſtatim ad aliud in re percepta obvium promoveas. Quamobrem veritatem propoſitionis præſentis experientia domeſtica confirmaturus, non modo mentem ad idem in objecto ſenſibus obvio perceptibile diu attentam conſervari conſultum eſt, verum etiam in phantaſmate ex perceptione præſente immediate naſcente in idem protſus dirigenda mentis acies, quod ejus reproducendæ ratio fuit.

§. 110.

Phantaſmatum ſucceſſio qualis.

Si mentis aciem continuo in id intendis, quod phantaſma cum perceptione, ex qua naſcitur, commune habet; ſucceſſio phantaſmatum in eodem genere vel eadem ſpecie entium continuatur: ſi vero in phantaſmate ad alia eandem dirigis, ſucceſſio phantaſmatum in alio genere. vel alia ſpecie entium continuatur. Etenim ſi mentis aciem in id intendis, quod phantaſma cum perceptione, ex qua naſcitur, commune habet, phantaſma, quod ex eodem naſcitur, denuo idem cum ipſo commune habere debet (*§.* 104). Enimvero quatenus in phantaſmatis, adeoque rebus, quas repræſentant (*§.* 93. 48), eadem inſunt; eatenus

nus res sibi invicem similes sunt (§. 195 *Ontol.*), consequenter vel ad idem genus, aut eandem speciem pertinent (§. 233, 234 *Ontol.*), aut tanquam ad idem genus, vel eandem speciem pertinentia spectari possunt (§. *cit.*). Phantasma igitur unum alteri succedit in eodem genere, vel eadem specie entium. Quare cum continuo in phantasmate præsente acies mentis dirigatur in idem, in quod in phantasmate anteriore dirigebatur; phantasmatum successio in eodem genere entium, vel in eadem specie continuatur.

Enimvero si jam in phantasmate aciem mentis in aliud intendis, quam quod in anteriore continebatur, prodibit alterum phantasma, quod quidem aliquid commune habet cum phantasmate, ex quo nascitur, non autem cum perceptione priori (§. 109). Ex iis igitur, quæ modo ostendimus, patet, phantasma alterum cum perceptione prima ad idem genus, vel eandem speciem referri minime posse, quatenus scilicet genus, vel species constituitur per communia, quæ insunt, & tanquam reproductionis rationes alleganda veniunt. Phantasmatum igitur successio in eodem genere, vel eadem specie entium minime continuatur: continuantur adeo in diverso genere, vel in diversa specie.

Idem etiam a posteriori ostenditur. Ponamus te dirigere mentis aciem in orbes vitreos e fenestris ædificii, quod adspicis, avulsos. Reproducetur phantasma templi, in quo fenestræ itidem tales conspiciuntur, a quibus orbes vitrei sunt avulsi. Quodsi jam ad phantasma templi attentionem dirigis & in eo mentis aciem in orbes vitreos e fenestris avulsos iterum intendis; imaginatio producet phantasma ædium, in quibus infausto casu a grandine orbes vitrei e fenestris sunt excussi. Si in hoc phantasmate denuo mentis aciem in orbes vitreos ex fenestris excussos dirigis, succedit phantasma hypocausti, in quo ab hominibus ebriosis orbes vitrei excutiuntur & ita porro. Singula

igitur phantaſmata & cum iis perceptio prima, a qua tandem omnia ortum ducunt, id commune habent, quod in iis repræſententur ædificia cum feneſtris, in quibus orbes vitrei evulſi, vel excuſſi ſunt. Quare cum ædificia iſtiusmodi tanquam peculiaris quædam ædificiorum ſpecies conſiderari poſſint, quemadmodum ædificia quævis re vera ad idem genus entium ſpectant; phantaſmatum ſucceſſionem in eodem genere, vel eadem ſpecie entium continuari patet, ſi mentis aciem continuo in id dirigis, quod unumquodque phantaſma cum perceptione, ex qua naſcitur, commune habet.

Enimvero ponamus te ut ante tibi repræſentare ædificium & in eo mentis aciem in orbes vitreos e feneſtris ædificii, quod adſpicis, avulſos. Ponamus inde naſci phantaſma templi, in quo itidem ſunt feneſtræ, ex quibus orbes vitrei evulſi. Quodſi jam mentis aciem non in feneſtras, ſed in ſuggeſtum dirigis; phantaſma concionatoris ſeſe tibi ſiſtit, quem in eodem conſtitutum ſæpius vidiſti. Quodſi attentionem ad eundem conſervas, recurrit phantaſma horti, in quo cum eodem collocutus es. Si in horti phantaſmate mentis aciem dirigis in arbores, recurrit phantaſma ſylvæ denſis arboribus obſitæ: ſuccedet idea cervi, qualem in ſylva aliquamdiu vidiſti. Ex phantaſmate cervi naſcetur phantaſma culinæ, in qua humi jacet cervus. Si ibi aciem mentis dirigis in orbes ſtanneos; recurret phantaſma tabernæ vaſis ſtanneis inſtructæ, in nundinis antea viſæ & ita porro. Patet itaque ſi continuo mentis aciem in ea dirigis, quæ phantaſmatis anterioribus cum perceptione communia non ſunt; phantaſmatum ſucceſſionem in eodem genere vel ſpecie entium non continuari, ſed potius in diverſis.

Caſus poſterior frequentior eſt priori, & prior quidem magis pendet ab arbitrio noſtro, ſi exiſtere debet: quoniam tamen ab arbitrio noſtro prndet, ideo unusquisque experimentum in ſe capere poteſt, quamprimum voluerit, modo alias ad iſtiusmodi experimenta aptus ſit. Requiritur enim ad ea, ut attentionem ſuam pro arbitrio in perceptio-

Digitized by Google

ceptionibus ſuis figere & ea, quæ ipſis inſunt, acumine ſuo a ſe invicem diſtinguere poſſit: quod etſi facillimum videatur, ubi exempla ab alio proponuntur, non tamen omni difficultate caret, ubi quis ipſemet e ſuo penu exempla depromere velit. Quamobrem nos non piget in iis, quæ contemtibilis facilitatis videntur, tantæ ſtudere claritati, quanta deſiderari poteſt in rebus difficillimis, ut lectorem ad eas animi dotes perducamus, quæ ad interiorem animæ ſuæ cognitionem requiruntur.

§. III.

Si vi imaginationis producitur phantaſma alicujus loci, ex eo porro enaſcitur phantaſma actionum a nobis, vel aliis in iſto loco perpetratarum, & ex his porro phantaſma aliarum rerum olim poſt ipſas perceptarum. Etenim ſi vi imaginationis producitur phantaſma alicujus loci; cum eodem ſimul producitur phantaſma aliarum rerum cum loco iſto ſimul perceptarum (§. 104). Quare cum actiones noſtras, quas in loco iſto perpetravimus, una cum loco perceperimus, quod per ſe patet; imaginatio etiam phantaſma illarum actionum producere debet. Eodem modo patet, ex phantaſmate loci naſci quoque debere phantaſma actionum ab aliis in eodem loco perpetratarum, quas vel præſentes vidimus, vel ab aliis relatas accepimus. Enimvero ſi quid porro cum actione iſta connexum fuit, ſeu ex eadem ſecutum, aut alio modo poſt actionem in eadem ſerie perceptum; quoniam actio per tractum temporis continuata una cum ceteris, quæ iſto tempore contigerunt, & in ſenſus noſtros incurrerunt, percepta ſimul fuit, ex phantaſmate actionis enaſci quoque debent phantaſmata aliarum rerum eodem tempore, quo actio duravit, perceptarum (§. *cit.*). Et quia phantaſma actionis perpetratæ conſervatur aliquandiu, dum alia objecta poſtea ſenſus feriunt, conſequenter illa etiam una cum hiſce percipitur; imaginatio quoque producere debet phantaſmata aliarum rerum olim poſt ipſam perceptarum.

Phantaſmata actionum præteritarum unde naſcantur, & quænam ex iis naſcantur alia.

Idem probatur a poſteriori. Ponamus tibi recurrere phantaſma ædificii in platea ſiti, in qua ſæpius incedere ſolitus fuiſti.

fuisti. Quoniam phantasma domus non recurrit nisi cum platea, in qua situm (§. 104); ad hanc in phantasmate mentis aciem dirigenti recurrit etiam phantasma incessus per plateam. Quodsi per eandem deambulaturus in hortum sæpius te contulisti; phantasma horti mox recurret. Et quia in horto flores decerpere solitus fuisti, te flores decerpentem exhibet phantasma. Mox in mentem venient flores alibi visi & discursus de magno eorundem pretio moti cum loco atque personis tum in eodem præsentibus, quando sermo iste incidebat. Phantasma discursus in mentem revocat librum, in quo de pretio florum quædam legisti, & ita porro. Vides, hic ex phantasmate plateæ nasci phantasma incessus per eandem & ex hoc porro ortum trahere phantasma horti. Ex phantasmate igitur loci nascitur phantasma actionis & ex phantasmate actionis nascuntur porro phantasmata rerum aliarum. Similiter ex phantasmate horti nascitur phantasma, quod te flores excerpentem exhibet, & ex hoc porro venit phantasma floris alibi visi. Denuo igitur ex phantasmate loci nascitur phantasma actionis & ex phantasmate actionis resultant phantasmata aliarum rerum. Similiter phantasma discursus de pretio florum parit phantasma libri, in quo de eodem quædam legisti. Ex phantasmate igitur actionis alienæ nascitur phantasma rei alterius. Quoniam res nobis repræsentare solemus cum loco, in quo fuerunt, & in loco aliquo dum commoramur, non prorsus sumus otiosi; nihil sane frequentius est, quam ut phantasmata rerum revocent simul phantasmata locorum & actionum in iisdem perpetratarum, ut adeo non opus sit plura exempla ad confirmandam propositionem afferri.

Utilitate minime vacat vel minimas scrutari differentias, quæ in reproductione phantasmatum occurrunt. Quoniam enim ita innotescit, quomodo phantasmata in ortu suo a se invicem pendeant; hoc ipso eorundem reproductionem in potestatem nostram redigimus. Id autem potissimum in omni studio psychologico intendimus, ut facul-

Digitized by Google

cultates mentis in poteſtatem noſtram redigamus, ita enim iisdem uti poſſumus pro arbitrio: id quod in moralibus maximi momenti eſt.

§. 112.

Si in mentem venit phantaſma actionis præmeditatæ, ex eoritur phantaſma loci, in quo eam præmeditatus es, una cum rebus ibi præſentibus, quando de eadem meditatus, vel etiam ibidem alias ſæpe viſis. Etenim ſi actionem præmeditatus es, quam deinde exequeris; ubi eam exequeris, in mentem venit phantaſma deliberationis, atque ita actionem cum deliberandi actu ſimul percipis. Quodſi ergo phantaſma actionis quacunque de cauſa mentem tuam ſubit: phantaſma quoque deliberationis in eandem venire debet (§. 104). Et quoniam te deliberantem una percepiſti cum loco, in quo deliberaviſti, atque rebus ibidem præſentibus, cum actionem præmeditareris; locum vero cum rebus aliis, quando alio tempore eas ibidem vidiſti; phantaſma loci ſiſtit una res vel iſtas, vel haſce (§. *cit.*), prout majorem vel iſtas, vel has reproducendi facilitatem tibi conciliaſti (§. 108). *Phantaſma ex actione præmeditata veniens.*

Idem etiam confirmatur a poſteriori. Ponamus te in conclavi Titii præmeditatum eſſe colloquium cum Mevio de itinere ad nundinas Francofurtenſes inſtituendo. Ubi cum eo actu colloqueris, phantaſma colloquium præmeditantis in conclavi Titii tibi occurrit, atque ita colloquium & te idem præmeditantem in alio loco una percipis. Quodſi deinde iter actu ingrederis, recurret phantaſma colloquii cum Mevio de hoc itinere, atque ita denuo colloquium de itinere & iter ipſum ſimul percipis. Jam ſi poſtea de itinere cogitas, in mentem venit phantaſma loci, in quo cum Mevio de eodem collocutus es, antequam inſtitueretur, una cum rebus aliis cum perceptione loci connexis. Ubi in mentem venit phantaſma loci, in quo colloquium celebratum, idem in eandem revocat phantaſma loci cum rebus aliis connexis, ubi colloquium præmeditatum.

Vides igitur ex phantaſmate itineris oriri phantaſma loci, in quo idem præmeditatus es, & ex phantaſmate colloquii de itinere phantaſma loci, ubi colloquium præmeditatus es. In utroque igitur caſu ex actionis præmeditatæ phantaſmate oritur phantaſma loci, in quo eam præmeditatus es, una cum rebus aliis, quemadmodum fert propoſitio.

Quodſi omnes illas propoſitiones, quæ de ortu phantaſmatum ex perceptionibus aliis allatæ ſunt, probe conſideres; eum ex nexu perceptionum pendere deprehendes. Quomodo vero nexus iſte reſultet, patet ex iis, quæ de facilitate reproducendi perceptiones rerum antea perceptarum ſimul cum iis, quæ nunc percipiuntur, diximus (§. 108): id quod ut evidentius appareat, propoſitionem ſubſequentem addere lubet. Magnum enim momentum trahit in praxi nexus iſtius cognitio, propterea quod ejus beneficio reproductionem idearum poteſtati noſtræ ſubjicere valemus. Quænam vero hinc in praxin moralem utilitas redundet, ſuo loco conſtabit, ubi eodem in rebus maxime arduis utemur.

§. 113.

Nexus perceptionum cauſa.

Si res plures ſæpius vel diu ſimul percipiantur, perceptiones earum inter ſe connectuntur. Etenim ſi res plures ſæpius vel diu ſimul percipiuntur, anima facilitatem acquirit ex perceptione unius reproducendi perceptionem alterius (§. 108). Quoniam vero ex perceptione una intelligitur, cur reproducatur altera; in perceptione una continetur ratio alterius, nimirum ex eo, quod ſæpius vel diu ſimul perceptæ fuerint, cur anima perceptionem alteram reproducat, & in eo, quod commune habent duæ perceptiones, cur hanc reproducat, ratio continetur (*§. 56 Ontol.*). Perceptiones igitur earum rerum inter ſe connectuntur, quæ ſæpius vel diu ſimul percipiuntur (*§. 10 Coſmol.*).

Atque ita apparet, quid fieri a nobis debeat, ut rerum perceptiones ita connectantur, quo aliquam pro arbitrio reproducere poſſimus: id quod intenditur in praxi morali (*not. §. prec.*).

§. 114.

Digitized by Google

§. 114.

Quoniam perceptiones rerum, quarum una ex altera producenda eſt, ideo connectuntur, quod res ſæpius, vel diu ſimul fuerint perceptæ (§. 108. 113); non vero ex eo intelligitur, cur res perceptæ vel ſimul exiſtant, vel ſe invicem ſequantur, conſequenter in re una non continetur ratio coexiſtentiæ, vel ſucceſſionis alterius (§. 56); *res ideo inter ſe non connectuntur, quia perceptiones earum in anima connectuntur* (§. 10 *Coſmol.*). *Nexus perceptionum a nexu rerum, quæ percipiuntur, independens.*

E. gr. Si hominem quendam aliquamdiu in templo vidiſti; perceptio hominis cum perceptione templi connectitur. Enimvero ex perceptione hominis non intelligis, cur ſit etiam templum; neque etiam ex perceptione templi intelligis, cur ſit etiam homo. Templum igitur & homo in exiſtentia ſua a ſe invicem minime pendent. Nullus adeo intercedit nexus inter templum & hominem, qui in id intravit, ut inter perceptiones templi ac hominis nexus intercedat.

§. 115.

Regulæ imaginandi, vel imaginationis, item *Phantaſmatum* dicuntur, per quas phantaſmata explicari poſſunt, ſeu quas anima in imaginando obſervat, aut, quod perinde eſt, juxta quas phantaſmata oriuntur. *Regulæ imaginationis quænam dicantur.*

Regularum phantaſmatum ſeu imaginandi exempla habes in præcedentibus (§. 105 & ſeqq.): neque enim propoſitiones proxime præcedentes in alium finem attulimus, quam ut inde phantaſmata explicemus, reddentes inprimis rationem, cur ex hoc iſtud potius jam enaſcatur, quam aliud. Id nimirum ad fœcundam animæ cognitionem maxime utile.

§. 116.

Lex imaginationis, ſive *Phantaſmatum* dicitur principium generale regularum ſenſationum. *Lex imaginationis quænam dicatur.*

Rationem denominandi vide ſupra (*not.* §. 84), eadem enim non modo hic utimur, ſed utemur etiam inferius in omni caſu ſimili.

Digitized by Google

§. 117.

Lex imaginationis. *Lex imaginationis sive Phantasmatum hæc est propositio: Si quæ semel percepimus & unius perceptio denuo producatur; imaginatio producit & perceptionem alterius.* Veritas propositionis jam patet ex superioribus (§. 104): ibi enim eandem a posteriori stabilimus, singulis momentis eodem modo proprio in nobis experimento facto confirmandam. Enimvero in demonstrandis regulis imaginationis (§. 105 & seqq.) usi sumus propositione ista tanquam principio (§. 876 *Ontol.*), eademque in posterum utemur. Est igitur lex imaginationis (§. 116).

§. 118.

Absentia sensationum & phantasmatum. *Sæpius sensationes omnes & phantasmata omnia simul prorsus cessare videntur, ut nihil prorsus appercipiamus.* Quoniam id nobis quotidie accidit, veritas propositionis præsentis adeo clara est, ut experientia quadam singulari eam confirmari non sit opus (§. 666 *Log.*).

Quodsi urgeas propositionem præsentem non esse satis determinatam, cum non constet, quandonam id obtineat, sed tempus vage per particulam *sæpius* indicari; tenendum est, in subsequentibus nos demonstraturos esse, quandonam id contingere debeat, neque in præsenti opus esse accurata temporis determinatione. Etenim in usum definitionis nominalis præmittimus observationem, quæ suggerit notionem vocabulo jungendam ut intelligatur: huic autem instituto sufficit nosse, sensationes & phantasmata simul prorsus cessare posse, quandonam vero id contingat, seu quibus præsuppositis id fieri debeat ut constet opus non est.

§. 119.

Dormire & evigilare quando dicamur. Si sensationes omnes claræ cessant, nec ullius, quod præsens est, nobis conscii sumus, *dormire* dicimur. Et status iste mentis, quo omnes sensationes claræ prorsus cessant, seu quo nihil eorum, quæ præsentia nobis sunt, nobis conscii sumus, *Somnus* appellatur. Dicitur autem *Somnus profundior*, quando cum sen-

Digitized by Google

ſenſationibus claris una phantaſmata clara ceſſant, ita ut nihil prorſus appercipiamus. Et quando repeunt ſenſationes claræ, *evigilare* dicimur.

Nondum definimus, utrum in ſomno profundiori omnis perceptio abſit, nec ne, quando ſcilicet nihil appercipimus: id enim demum in Pſychologia rationali fieri poterit.

§. 120.

Interdum res abſentes clare percipimus, perceptionibus aliis per tractum aliquem temporis aliis ſuccedentibus, donec vel evigilemus, vel profundiori ſomno immergamur. Patet idem a poſteriori & in vulgus notum eſt, cum nemo ſit, cui tale quid non acciderit. Neque adeo opus eſt, ut ad caſum ſpecialem provocemus (§. 666 *Log.*), præſertim cum talis ſemper eſſe debeat, cujus experimentum in ſeipſo nemo capere poſſit. Etenim noſtri arbitrii non eſt, quam perceptionum ſeriem in te habere velis. Præſtat igitur unumquemque ejus recordari, quem ſibi notum experitur. *Quando ſomniemus.*

Quodſi tamen exemplum deſideres: repete illud, quo ad docendam differentiam inter ſomnium & veritatem uſi ſumus (§. 493 *Ontol.*). Immo finge, quæ ad confirmandas regulas phantaſmatum in anterioribus adduximus (§. 105 & ſeqq.), ea dormienti tibi occurrere: exempla ſomniorum erunt iſtæ phantaſmatum ſucceſſiones.

§. 121.

Si per tractum aliquem temporis nonniſi res abſentes percipientes, nullius præſentis nobis conſcii ſumus, ſeu, quando res in ſomno appercipimus, *Somniare* dicimur. Et ſtatus iſte mentis, quo nonniſi res abſentes clare percipimus, ſeu earum nobis conſcii ſumus, *Somnium* appellatur. *Somniare quando dicamur.*

Somnium hic accipitur ſubjective, quatenus modificationem quandam animæ denotat: ſumi vero etiam ſoleat objective, quatenus eſt rerum ſibi mutuo ſuccedentium repræſentatio. In conſtantia loquendi, quæ in communi ſermone obtinet, utrumque ſignificatum fert, quemadmodum attendenti ad illum palam fit. Sed nos ſignificatui priori ſtrictius inhærebimus.

Digitized by Google

§. 122.

Somnium imaginationis opus.

Dum somniamus, res, quas percipimus, imaginamur. Quando enim somniamus, res nonnisi absentes clare percipimus (§. 121). Sed dum res absentes percipimus, eas imaginamur (§. 92). Ergo dum somniamus, res, quas percipimus, imaginamur.

Principium hoc fœcundissimum est: fungitur enim vice notionis directricis, quando de somniis meditandum.

§. 123.

Somnii ratio.

Omne somnium initium capit a sensatione & per phantasmatum successionem continuatur. Quando enim somniamus, res quasdam imaginamur (§. 122), consequenter anima phantasmata producit (§. 93). Enimvero sine prævia sensatione phantasma nullum in anima oriri potest (§. 106). Ergo nec somnium sine prævia sensatione oriri potest, consequenter a sensatione aliqua initium capit.

Quoniam vero res, quas somniantes percipimus imaginamur (§. 122); anima continuo phantasmata alia producit (§. 93), consequenter somnium per successionem phantasmatum continuatur.

Posterius nemo in dubium vocat. Quando enim evigilamus, nihil ejus præsens fuisse, quod per somnium nobis repræsentavimus, abunde convincimur. Certum igitur unicuique est, se nihil eorum sensu percepisse, de quo in somnio cogitavit. Enimvero sensationem aliquam somnio initium præbere non cuilibet manifestum est. Quamvis autem a priori satis evidenter pateat, a posteriori tamen ut confirmetur consultum est. Etsi enim difficile sit sensationem istam, quæ somnio ortum largitur, a phantasmatis distinguere ob rationem non unam; non tamen prorsus impossibile est, modo initii somnii recorderis & ad statum corporis tui respicias. Subinde accidit, ut sensatio debilior, quæ somnio inchoando sufficit, durante somnio fiat fortior, ut idem finiat, veluti si tormina ventris dormiens percipere incipis, tumque somnii rationem perpendens facile initii causam animadvertis. Dantur casus alii, in quibus idem eadem facilitate contingit, veluti

Digitized by Google

veluti cum a ſiti ſomnium ortum trahit, quam eodem finito evigilans adhuc percipis.

§. 124.

Si interea temporis, dum ſomniamus, novam quandam ſenſationem non appercipimus, vel in eam mentis aciem non dirigimus; ſucceſſio phantaſmatum in eadem ſerie continuatur. Quodſi vero ſenſationem quandam interea appercipimus & in eam mentis aciem dirigimus; ſomnium in diverſis phantaſmatum ſeriebus continuatur. Etenim ſomnium per phantaſmatum ſucceſſionem continuatur (§. 123). Quare cum phantaſma non naſcatur niſi ex prævia vel ſenſatione, vel actu imaginandi (§. 104), in progreſſu autem ſomnii ſenſatio nullum locum habeat, quæ appercipitur, vel, ſi talis adſit, in eam mentis acies non intendatur, *per hypoth. priorem*, adeoque in præſenti negotio perinde ſit, ac ſi prorſus abeſſet (§. 109); phantaſma nullum in ſomnio oriri poteſt niſi ex phantaſmate præexiſtente. Quare cum hæc phantaſmata inter ſe connexa ſint (§. 114); omnia ſimul unam ſeriem conſtituunt. Atque adeo ſucceſſio phantaſmatum in eadem ſerie continuatur. Somniorum diverſitas.

Enimvero ponamus novam quandam ſenſationem inter phantaſmata interponi & in eam mentis aciem dirigi: imaginatio reproducet perceptionem rerum cum re iſta, quam ſentimus, antea ſimul perceptarum (§. 109). Quoniam vero jam ſucceſſio phantaſmatum in eadem ſerie continuari debet, quæ jam incepit, quamdiu nova ſenſatio non interponitur, vel mentis acies in eandem dirigitur, *per caſ. 1.* ſucceſſio phantaſmatum in altera hac ſerie continuari debet. Et ita porro. Patet igitur ſucceſſionem phantaſmatum in diverſis ſeriebus continuari, quando ſenſationes novæ interponuntur & mentis acies in eas dirigitur.

Propoſitio præſens eſt principium generale, per quod ſomnia explicari poſſunt, modo non ignores, quæ in applicanda ea præſupponuntur. Non immerito itaque lex ſomniorum dici poterat, quemadmodum legem ſenſationum appellamus, per quam ſenſationes ſunt expli-

explicabiles, & legem phantaſmatum, per quam phantaſmata explicanda veniunt.

§. 125.

Somnii ſimplicis & compoſiti differentia.

Somnium ſimplex dicemus, quod in eadem ſerie phantaſmatum continuatur. *Somnium* vero *compoſitum* appellabimus, quod in diverſis ſeriebus phantaſmatum continuatur.

Quoniam ſomnia in poteſtate noſtra non habemus per ea, quæ nobis de iis conſtant; exemplis quoque diſcrimen inter ſomnium ſimplex & compoſitum illuſtrare non datur, quorum experimentum in te ipſo facere poteras. Enimvero quoniam ſucceſſiones phantaſmatum, quas vigilantes in poteſtate noſtra habemus, juxta regulas anteriores a ſomniis non differunt, niſi quod juxta ſenſationes continuentur; non modo aliquas ſomniis ſimiles comminiſci licet, ſed illas ipſas, quibus propoſitiones anteriores illuſtravimus, pro ſomniis accipere poſſumus. Etenim ſi phantaſmatum ſucceſſio in eadem ſerie continuatur vi imaginationis, non aliter idem fiet, dum vigilamus, quam dum dormimus: imaginatio enim ſecundum eandem legem in omni caſu operatur. Somniamus igitur vigilantes, quando neglectis ſenſationibus mentis aciem continuo in phantaſmata dirigimus, ut ex uno continuo naſcatur aliud, eaque ſucceſſio per aliquem temporis tractum continuetur. Atque hoc pacto omnia, quæ de ſomniis demonſtrantur, in ſe ſtatim experiri licet.

§. 126.

Senſationes ſomnium ingredientes quales.

Senſationes, a quibus ſomnium initium ſumit & quæ phantaſmatis in eodem interdum interponuntur, debiles ſunt. Etenim ſenſationes, a quibus ſomnium initium capit (§. 123) & quæ phantaſmatis in eodem ſubinde interponuntur (§. 124), a phantaſmatis non diſtiguuntur, ita ut vulgo ignoretur quod adſint. Quare cum alias phantaſmata ab ideis ſenſualibus gradu claritatis diſtinguantur, quo a ſe invicem differunt (§. 97); in præſenti caſu gradu claritatis differre minime debent, adeoque actioni imaginationis æquipollent. Enimvero actibus imaginationis non æquipollent niſi ſenſationes debiles (§. 98). Senſationes igitur, a quibus ſomnium initium ſumit & quæ phantaſmatis in eodem interdum interponuntur, debiles ſunt.

Atque

Digitized by Google

Atque hæc eſt ratio difficultatis agnoſcendi ſenſationes, a quibus vel initium capit ſomnium quodlibet, vel ſeries quælibet in compoſito. Diximus ſupra (*not. §. 101*), in ſomnio ceſſare ſenſationes & ſolos actus imaginationis in anima dari, quia vulgo ſenſationes quasdam adeſſe non agnoſcimus & ob eorum æquipollentiam phantaſmata ideis ſenſualibus ſubſtitui poſſunt. Sufficit ſomnium potiſſimum ex phantaſmatis componi, ideas vero ſenſuales nonniſi ſomnio excitando inſervire, nam ſenſationes, de quibus hic loquimur, in eorum numerum, quæ per ſomnium repræſentantur, non ingrediuntur.

§. 127.

In ſomnio res abſentes nobis videntur præſentes. Somnia enim a ſenſatione quadam initium capiunt & per phantaſmatum ſucceſſionem continuantur (§. 123), vel in eadem ſerie, vel in diverſis, ſi novæ ſubinde ſenſationes interponantur (§. 124). Quoniam vero unica illa vel pauciſſimæ ſaltem ſenſationes debiles ſunt (§. 126), adeoque minorem claritatis gradum quam alias habent (§. 75), ideæ ſenſuales a phantaſmatis non amplius diſtinguuntur (§. 97). Anima igitur phantaſmata pro ideis ſenſualibus habet, conſequenter cum phantaſmata ſint ideæ ab imaginatione (§. 93), ideæ autem ſenſuales a ſenſu productæ (§. 95) adeoque illa res abſentes (§. 92), hæ præſentes (§. 65) repræſentent (§. 48), res abſentes pro præſentibus habet. *Cur in ſomnio præſentia nobis videantur, quæ non ſunt.*

Forſan alicui dubium oriri poterat, cur res præſentes, quæ pauciſſimæ ſunt, non potius habeat pro abſentibus, ſibi conſcia ſe tantummodo imaginari, minime autem ſentire. Sed non difficulter tollitur. Etenim res nobis per imaginationem non aliter extra nos exhibentur, ac quæ præſentes ſunt, niſi quod diverſo id fiat claritatis gradu. Quare conſtanter quæ imaginamur pro præſentibus haberemus, niſi diverſa gradus claritas nos differentiæ admoneret. Quare cum ea in ſomnio tollatur, ratio quidem adeſt, cur te ſenſu percipere exiſtimes, quæ imaginaris; nulla vero adeſt, cur tibi perſuadeas te imaginari etiam pauciſſima illa, quæ ſenſu percipis. Atque ita patent, quæ ſuperius ad illuſtrandam propoſitionem de actibus imaginationis ſolitariis aſſumſimus (*not §. 101*).

§. 128.

Somnium quale sit.

In somnio mutationes contingunt absque ratione sufficiente. Equidem hanc propositionem jam alias stabilivimus a posteriori, cum differentiam inter veritatem & somnium exponeremus (*not.* §. 493 *Ontol.*). Quoniam tamen ex principiis anterioribus ostendi potest, cur id fieri debeat, ideo hic loci doceri debet: id quod fit sequentem in modum. Dum somniamus, res, quas pereipimus, imaginamur (§. 122). Quare si in somnio mutatio aliqua contingit, res una ideo alteri succedit, quod eam aliquando cum praesente una percepimus (§. 117). E. gr. dum somnium te hospitem cum convivis exhibet, persona, quam inspicis, mutatur in aliam, quod hanc alteram cum priore saepius una vidisti, vel quod haec altera aliquid habeat alteri simile, qualecunque tandem fuerit, sive ea adhuc vixerit, sive dudum mortua fuerit. Vel in apparatum convivii intendens mentis aciem reproducis occasione ejus, quod in eodem animadvertis, phantasma personae, quam alias in convivio vidisti, ubi eadem aderat. Enimvero ex eo, quod res quaedam simul perceptae aliquando fuere, non intelligitur, cur una existente existere debeat alia, consequenter in eo, quod ponitur, non continetur ratio sufficiens, cur poni etiam debeat alterum (§. 56 *Ontol.*). Mutationes igitur, quas phantasmata in somnio referunt, absque ratione sufficiente contingunt.

Non repugnat, quod perceptiones, quatenus in mente sibi invicem succedunt, inter se connectantur (§. 113), consequenter cum ratione sufficiente sibi invicem succedant (§. 10 *Cosmol.*): neque enim res ideo inter se connectuntur, quia perceptiones earum in anima connectuntur (§. 114). Nimirum si somnium consideretur subjective, quatenus in anima alia atque alia phantasmata vel coexistunt, vel sibi invicem succedunt, coexistentiae & successionis perceptionum ratio ex regulis imaginationis & lege ejusdem reddi potest: neque adeo mutationes, quae animae somnianti accidunt, ratione sufficiente destituuntur. Sane ideo sequitur anima in producendis phantasmatis legem constantem, ne

quid

Digitized by Google

quid in ea accidat absque ratione sufficiente, dum imaginatur. Enimvero si somnium considèretur objective, quatenus phantasmata exhibent res tanquam exrra nos præsentes, mutationes harum rerum absque ratione sufficiente fiunt, propterea quod ex eadem ratione poni nequeat res una posita altera, ex qua ponitur perceptio rei illius posita perceptione hujus. Mirum igitur videri poterat, quod sibi de acumine gratulentur, qui discrimen hoc non pervidentes contradictionem hinc exsculpere conantur, nisi satis superque constaret, quam sint ad deproperanda judicia promti, qui sibi videntur esse, nec sunt.

§. 129.

Si in duabus personis somnium initium capit ab eadem sensatione debili, somnia tamen diversa sunt. Etenim somnium in utraque persona per phantasmatum successionem continuatur (§. 123), consequenter phantasma primum ideo succedit in locum sensationis debilis, vel eidem superaccedit, quod res, quam ipsum repræsentat, simul fuerit percepta cum re altera, quam exhibet sensatio debilis. Enimvero quoniam res illæ simul perceptæ non sunt prorsus eædem in utroque subjecto, id quod obvia experientia manifestum est; nec phantasmata, quæ easdem referunt, prorsus eadem esse possunt. Quare cum idem valeat de phantasmatis, quæ prioribus succedunt; phantasmata prioribus succedentia multo magis diversa esse debent. Enimvero cum somnia per phantasmatum successionem continuentur (§. 123), phantasmata vero sibi invicem in duobus subjectis succedentia eadem non sint; nec somnia eadem sunt, sed diversa. *Diversitas somniorum ab eadem sensatione ortorum.*

Consultum nobis videtur propositionem præsentem illustrare exemplo, cum multum faciat ad demonstrationem rectius intelligendam, ubi abstractis concipiendis nondum fueris adsuetus. Ponamus in duabus personis dormientibus fragorem tormenti explosi excitare sensationem debilem. Ponamus in utraque eam adhuc superesse perceptioni claritatem, ut fragorem tormenti agnoscat. Ponamus tertio unam personam fragorem tormenti sæpius percepisse, cum in festivitatibus solennibus cives ac milites in foro catervatim congregati bombardas exploderent. Recurret igitur phantasma fori cum militi-

Digitized by Google

bus & civibus ibidem cum bombardis congregatis. Quodſi jam in locum quendam fori particularem mentis aciem dirigis, ubi poma alioſque fructus arborum vendi frequentiſſime vidiſti: civium cum bombardis ibidem conſtitutorum in locum ſuccedunt mulieres poma vendentes & currus pomis onuſti una cum plebis multitudine, qualem adeſſe vidiſti, cum poma venderentur. In poma, qualia in horto aliquo, ad urbem procul diſſitam ſito comediſti, reſpiciens te mox in horto illo deambulantem conſpicis cum perſona, cum qua in eodem deambulaſti ſæpius. Et quia cum eadem perſona ſæpius una fuiſti in templo, te in templo congregata multitudine ſedentem conſpicis. Quoniam vero ibidem ingentem vidiſti multitudinem, quoties tubarum & tympanorum ſtrepitus perſonuit; in frequentiam hominum mentis aciem dirigens hic quoque in mentem venit phantaſma, quod te præſentem fiſtit in templo monachorum diſputantium, quorum ſolennitatem augent tubarum & tympanorum ſonitus. Non difficile foret ſomnium ita continuare vel per integrum diem, ſiquidem ponamus nulla ſenſatione idem interrumpi. Enimvero ponamus jam perſonam alteram fragorem tormenti percepiſſe in adventu ſolenni Principis alicujus: mox imaginatio eidem ſuggeret multitudinem confluentem, qualem cum ſæpius viderit maleficis ad ſupplicium ductis, recurret ipſi latronis phantaſma, qui cruce prælata duobus Eccleſiæ miniſtris comitibus in curiam ducitur ibidem a ſcabinis condemnandus. In crucem intuens ſe vidit in cœmeterio conſtitutum, in quo cruce prælata funus ducitur. In eadem cruce attentionem defigens videt ſe in templo, in quo imago ſalvatoris cruci affixi erecta conſpicitur. Ad ſuggeſtum reſpicienti recurrit phantaſma templi, in quo aliquando verba e ſuggeſtu ad populum fecit, ſeque ad eundem ejusdem finis gratia contendentem percipit & ita porro. Vides itaque ſomnia, quæ ex eadem ſenſatione initium capiunt, eſſe prorſus diverſa pro diverſitate ſubjectorum. Immo ſi vel centum ponas perſonas, ex eadem tamen ſenſatione in ſingulis diverſa ortum trahent ſomnia. Neque enim in una perceptiones rerum ſimultaneæ eodem modo ſeſe habuerunt, quemadmodum in altera, neque in una eædem inter ſe connexæ ſunt, quæ connectuntur in altera.

§. 130.

Diverſorum phantaſmatum Quoniam etiam in vigilantibus ex ſenſationibus oriuntur phantaſmata, & ex his porro alia (§. 104 & ſeqq.); eodem pror-

Digitized by Google

prorſus, quo ante (§. 129), modo oſtenditur, *ſi in diverſis ſubjectis ex eadem ſenſatione continuantur phantaſmata, ſeriem phantaſmatum in uno non fore eandem, quæ eſt in altera.* *tum ex eadem ſenſatione continuatio.*

Propoſitionis præſentis veritatem experiri datur, ſi duæ vel plures perſonæ in eandem rem ſenſu perceptam intentæ reſpicere jubentur ad phantaſmata inde orta & continua ſerie ſibi invicem ſuccedentia. Fieri enim poteſt, modo fueris exercitatus, ut ex eadem ſenſatione non interrupta ſerie phantaſmata continues. Atque ita ſimul veritas propoſitionis præcedentis experimento confirmari poteſt. Series enim phantaſmatum ex eadem ſenſatione continuatorum æquipollet ſomnio, modo directionem acies mentis arbitrio tuo ſubducas, quemadmodum jam ante (*not.* §. 125) docuimus.

§. 131.

In eodem ſubjecto diverſo tempore ex eadem ſenſatione ſeries phantaſmatum diverſæ ortum trahunt, ſive vigilet, ſive dormiat, ſi vel interea temporis facilitatem alterius phantaſmatis vi illius ſenſationis reproducendi ſibi contraxit, vel uno tempore aliud in ſenſatione reſpicit, quam altero. Etenim ſi interea temporis, quo phantaſma aliquod ex perceptione quadam oriri ſolebat, facilitatem contraxiſti phantaſma aliud vi ejusdem ſenſationis producendi (§. 180); ubi ſenſatio iſta in poſterum præſens fuerit, ex eadem poſterius hoc phantaſma oriri debere patet. Enimvero cum ex hoc phantaſmate prodire debeant phantaſmata rerum antea ſimul cum aliqua earum perceptarum, quas ipſum nobis tanquam præſentes exhibet (§. 104), diverſa autem phantaſmata non easdem res exhibeant; ideo porro in hoc altero caſu non eadem ex phantaſmate primo oriri poſſunt phantaſmata, quæ in priori oriuntur. Quare cum idem dicendum ſit de phantaſmatis ulterioribus, evidens eſt ſeriem phantaſmatum fore diverſam, ubi anima contraxit facilitatem phantaſma aliud ex ſenſatione data producendi, quam alias ex eadem oriri ſolebat. *Diverſitas phantaſmatum ex eadem ſenſatione diverſo tempore propagatorum.*

Similiter ſi uno tempore in aliud, quod ſenſatio data re-

Digitized by Google

præſentat; mentis aciem dirigis, quam altero, vi imaginationis quoque uno tempore aliud producitur phantaſma, quam altero (§. 109). Unde porro ut ante oſtenditur, ſeriem phantaſmatum uno tempore ex data ſenſatione ortum trahentium eſſe diverſam a ſerie phantaſmatum alio tempore ex eadem hac ſenſatione propagatorum.

Quoniam utraque ratiocinatio ſubſiſtit, ſive te vigilantem ſupponas (§. 117), ſive ſomnies (§. 122); utrumque tam in ſomniis, quam quando vigilas, evenire debet.

Patet idem a poſteriori. E. gr. Ponamus te in templo, quod frequentare ſolitus fuiſti, e regione habuiſſe altare & in hoc ſæpius ac diu convertiſſe oculos. Templum adſpicienti e longinquo recurret notio altaris. Quodſi jam locum vel in eodem templo mutas, vel aliud deinde frequentes, & e regione ſedeant perſonæ, quæ oculis tuis conſtanter objiciuntur: ubi poſtea templum aliquod vides, recurret tibi phantaſma loci illius templi, in quo ſedere ſoles, una cum perſonis e regione ſedere ſolitis. Jam cum in caſu priori mentis acies in altare dirigebatur & in imaginem quidem Chriſti reſurgentis, quæ principem in eodem locum occupat; mentem ſubibit phantaſma ceremoniæ Chriſti ex ſepulchro reſurgentis, quam in templis Pontificiorum antea vidiſti. Quodſi jam in ſacerdotem veſtitu ſacro indutum & in ſepulchrum Chriſti conſcendentem mentis aciem dirigis, prodibit in anima phantaſma clericorum aliorum cum rebus aliis connexis, & ita porro. Enimvero ſi in caſu altero reſpicis perſonas, quas e regione in templo ſedentes videre ſoles; earum occaſione mentem ſubibunt perſonæ aliæ, quas alibi cum iſtis vidiſti, una cum loco, ubi eas vidiſti. Unde porro alia prorſus naſcuntur phantaſmata, quam in caſu priori. Patet itaque ex eadem ſenſatione in eodem ſubjecto varia ſibi invicem ſuccedere phantaſmata, ubi phantaſma aliud ex ſenſatione data producendi facilitatem tibi comparaſti, quam quod antea vi illius reproducere ſueveras. Enimvero ſi in caſu primo altare templi reſpiciens in candelabras argenteas cogitationem tuam dirigis; mentem ſubit taberna vaſis argenteis inſtructa una cum loco, ubi eandem vidiſti. Si juxta iſtam tabernam collocutus fuiſti cum amico, quem alias vidiſti alibi: phantaſma amici recurrens reproducet phantaſma loci, ubi alias eundem videras & ita porro, Atque ita ex eadem ſenſatione diverſo

Digitized by Google

diverſo tempore diverſæ propagantur ſeries phantaſmatum, prout mentis aciem vel in hanc, vel iſtam perceptionem partialem dirigis, quam ſenſatio continet.

§. 132.

Si diverſo tempore ſenſatio debilis, a qua ſomnium oritur, diverſæ fuerit debilitatis, quamvis alias eadem: eandem tamen rem tibi percipere non videris. Etenim ſi ſenſatio fuerit debilis, minorem claritatis gradum habet, quam alias habere ſolet, ubi debilitata minime fuerit (§. 75), conſequenter pro diverſo debilitatis gradu diverſus quoque eſt claritatis gradus. Quare cum vi claritatis res perceptæ agnoſcantur (§. 31), deficiente magis magisque claritate minus quoque agnoſcuntur & ab aliis perceptibilibus diſtinguuntur, conſequenter cum aliis confundis, quæ per debilitatam perceptionem repræſentantur. Quare cum perceptionis tibi conſcius ſis, quatenus clara eſt, eandem rem tibi percipere in quolibet debilitatis gradu non videris. *Debilitata ſenſationis effectus.*

Propoſitionem præſentem experientia confirmare licet, ſi probe notes, quomodo ſenſus fallat, ſi in luce crepera contueris aliquod objectum, vel etiam idem e longinquo viſum obſcurius evadit.

§. 133.

Quoniam imaginatio non producit niſi perceptionem rei antea ſimul perceptæ cum ea, quæ nunc percipitur (§. 104); ſenſatio autem, a qua phantaſma ortum trahit, pro diverſitate debilitatis non eandem rem exhibet (§. 132); *phantaſma* quoque *diverſo tempore ex eadem ſenſatione debili diverſum oriri debet, ſi debilitas variat.* Unde porro oſtenditur, quemadmodum ſupra (§. 129) *ex eadem ſenſatione debili diverſa ſomnia ortum trahere debere pro diverſo debilitatis gradu.* *Diverſitas phantaſmatum a diverſa debilitate ſenſationis pendens.*

Non opus eſt, ut corollarium præſens exemplo aliquo illuſtretur: cum levi immutatione ſuperiora huc accommodari poſſint, aut ad illorum imitationem alia vi legis imaginationis, aut imaginationis libera operatione, reperiri queant.

§. 134.

Digitized by Google

§. 134.

Quando somnium per somnum extinguitur.

Si phantasmatum claritas successive debilitetur, somnium tandem per somnum profundum extinguitur. Quoniam enim vi claritatis phantasmatum nobis conscii sumus ejus, quod per ea repræsentatur (§. 35), si continuo claritas debilitatur, nobis continuo minus ejusdem conscii sumus, quod repræsentant. Quamobrem cum claritas tandem omnis evanescere debeat, ita ut nihil prorsus appercipiamus, seu nihili prorsus nobis conscii simus (§. 25), somno profundo opprimimur (§. 119). Quare cum in somnio rerum absentium, quas phantasmata repræsentant (§. 93), nobis conscii simus (§. 121); somnium per profundum somnum extinguitur.

Veritas propositionis præsentis confirmatur etiam a posteriori. Cessat enim somnium somno continuato. Somnum autem absque somnio profundum dicimus (§. 119).

§. 135.

Finis somniorum in evigilantibus.

Si evigilamus, somnium extinguitur. Dum enim evigilamus, redeunt sensationes claræ, quas scilicet appercipimus (§. 119); adeoque nobis conscii sumus rerum præsentium (§. 67. 60). Enimvero in somnio nullius rei præsentis nobis conscii sumus (§ 121). Somnium igitur cessat.

Idem etiam sic ostenditur. Dum evigilamus, redeunt sensationes claræ (§. 119), adeoque ideæ sensuales (§. 95), somnium vero nonnisi phantasmata (§. 123), aut sensationem unam vel alteram debilem (§. 126) actibus imaginationis æquipollentem admittit (§. 98), consequenter ideam unam vel alteram sensualem cum phantasmate confundendam (§. 93. 95). Enimvero quoniam phantasmata minus clara sunt ideis sensualibus in statu scilicet vigilantium, quo non debilitantur (§. 96), atque adeo illa ab his distinguimus (§. 97), consequenter nec res absentes pro præsentibus habemus (§. 67. 92). Quare cum in somnio res absentes pro præsentibus habeamus (§. 127); somnium, dum evigilamus, extinguitur.

Poterat

Poterat idem pluribus modis aliis oſtendi: ſed in re manifeſta tanto demonſtrandi apparatu opus non eſt. Ex demonſtratione poſterior patet ratio, cur ſomnium extingui debeat, dum evigilamus. Etenim vulgo ſomnium ideo a phantaſmatum ſucceſſione, quam vigilantes experimur, diſtinguimus, quod in ſomnio præſentia nobis videantur, quæ non ſunt, atque in rei veritate contingere exiſtimemus, quod tamen non contingit. Continet tamen etiam prior aliquam rationem, ſed eam magis ſecretam, ut non quivis eandem animadvertat. Etenim ſomnium, quod a ſucceſſione phantaſmatum, quam vigilantes experimur, diſtinguimus, quod in ſomnio phantaſmata in eadem ſerie continuentur, nobis tale quid non cogitantibus, neque continuationem intendentibus, multo minus promoventibus; in vigilantibus autem ideis ſenſualibus continuo interrumpantur, nec in eadem ſerie niſi noſtro ſtudio difficulter continuentur.

§. 136.

Somnia obſcura quandoſint.

Si actum imaginandi clare percipimus, ſed phantaſmata non multum claritatis habent, aut, ſi mavis, obſcura fuerint, quid ſomniemus, non agnoſcimus. Etenim phantaſmata ſunt ideæ ab imaginatione productæ (§. 93), adeoque repræſentationes rerum (§. 48), conſequenter perceptiones (§. 24) objective conſideratæ. Quando igitur phantaſmata obſcura ſunt, rem, quam repræſentant, non agnoſcimus nec a ceteris perceptibilibus ſatis diſtinguimus (§. 32), etſi actum imaginandi, a quo pendet phantaſma (§. 93), clare percipiamus. Quamobrem nobis conſcii ſumus nos ſomniare (§. 31), non tamen agnoſcimus quid ſomniemus (§. 121).

Dari iſtiusmodi ſtatum animæ experientia obvia loquitur, nec quisquam illorum ignorat, quibus ſomnia ſunt frequentia.

§. 137.

Somniorum obſcurorum & claro-rum differentia.

Somnia igitur perinde ac perceptiones ſingulæ diſtinguenda veniunt in clara & obſcura. *Clarum* ſcilicet *ſomnium* eſt, quando agnoſcimus, quid ſomniemus: *obſcurum* vero *ſomnium* eſt, quando, quid ſomniemus, non ſatis agnoſcimus, etſi actus percipiendi nobis conſcii ſimus.

Digitized by Google

Sunt adhuc plura, quæ de somniis notanda veniunt, sed hic nondum tradi possunt, suo adeo loco tum in Psychologia empirica, tum rationali, tum in aliis philosophiæ partibus in medium afferenda. Similiter plura quoque de imaginatione ipsa observanda occurrunt; sed quæ itidem locis convenientibus trademus. Quoniam enim ea, quæ de anima a posteriori innotescunt, ita proponere visum est, ut ad propositiones determinatas reducta ex aliis deducantur, & observata rationis lumine collustrata universalitati notionis claritatem fœnerent.

CAPUT IV.

De Facultate fingendi.

§. 138.

Phantasmatum divisio.

Partem entis compositi unam absque altera, subjectum item absque modo, non tamen absque attributo, imaginari possumus. In omni ente composito partes a se invicem separari possunt & una absque ceteris existere potest, ita ut nec unam absque altera sensu percipi repugnet: id quod obvia experientia adeo manifestum est, ut nemo id in dubium vocare ausit. Sane a trunco arboris separamus radices atque ramos; radices pro arbitrio dividimus in partes minores; a ramis resecamus surculos; a surculis decerpimus folia & ita porro. Partem unam transferimus in locum unum ceteris alibi relictis. Atque ita illam absque his visu percipimus solam. Similiter a trunco corporis humani amputari potest caput, amputari possunt artus. Anatomici partes singulas pro arbitrio suo a se invicem separant & unam absque ceteris sigillatim oculis subjiciunt. Quoniam igitur in se non repugnat partem entis compositi unam absque ceteris sensu percipi; quæ autem sensu percipimus, ea etiam imaginari valemus (§. 91. 92); partem etiam compositi unam absque altera imaginari possumus.

Idem

Idem confirmatur a posteriori. Pone enim te vidisse animal quoddam antea tibi non visum & diuturna contemplatione acquisivisse facilitatem reproducendi perceptionem, seu phantasma (§. 93) animalis istius absentis. Facto in te ipso experimento constabit, te etiam capitis solius, vel aurium solarum, vel caudæ solius phantasma reproducere posse: qvamvis negari non possit, inexercitato recurrere phantasma totius animalis, dum phantasma unius tantummodo membri reproducere conatur. Ne tamen conatus destituat successus, imaginandam tibi erit, amputari caput & aliorsum transferri; resecari aurem & resectam vel abscondi, vel oculis accuratius inspiciendam subjici; detrahi pellem & mensæ imponi. Quodsi enim actum separationis simul imagineris & partem separatam mente rebus aliis jungas; te quamlibet absque ceteris imaginari posse intelliges.

Quoniam modi inesse & non inesse possunt (§. 150 *Ontol.*); ideo non repugnat, ut subjectum modo instructum, eodemque etiam destitutum sensu percipias. Quamobrem cum imaginari valeamus, quæ sensu percipimus (§. 91. 92); subjectum quoque absque modo imaginari licet.

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus te vidisse florem cœruleum. Quoniam colores, quæ insunt subjectis, mutabiles sunt, adeoque inter modos referuntur (§. 151 *Ontol.*); facto in temetipso experimento reperies, te eundem florem absque colore cœruleo tibi imaginari posse, ut album v. gr. objiciat imaginatio, quem cœruleum sistebat visus. Idem eodem modo deprehenditur in aliis subjectis.

Denique quia attributa enti constanter insunt (§. 150 *Ontol.*) ab eodem quippe inseparabilia (§. 304 *Ontol.*); impossibile est, ut sine attributo sensibili unquam sensu percipias subjectum. Quamobrem cum imaginatio reproducat sensu perceptibilia (§. 91); non minus impossibile est subjectum aliquod imaginari absque attributo perceptibili.

Digitized by Google

Idem confirmatur a posteriori. Ternarius numerus angulorum est attributum trianguli. Quodsi triangulum imagineris, impossibile est ut idem absque tribus angulis tibi repræsentes. Quodsi imaginando montem tibi repræsentare velis, impossibile est ut eum tibi repræsentes absque valle: habere enim vallem aut, si mavis, necessitas coexistentiæ vallis est quasi attributum montis.

Etsi obvia admodum sint, quæ propositione præsente continentur, necesse tamen est, ut probe expendantur, ne defectus claritatis notionis utilis pariat in rebus arduis difficultatem. Ceterum ars pictoria & sculptoria inservit experimentis, quibus comprobetur, quænam visibilia imaginari possimus. Quicquid enim imaginari licet; idem etiam utraque arte repræsentare valemus. Ratio clarius in Psychologia rationali eluceseet.

§. 139.

Phantasmatum divisio quid dicatur.

Divisio phantasmatum est separatio perceptionum partialium a composita.

Ita phantasmata dividimus, dum perceptionem trunci a perceptione composita arboris separamus; dum florem cœruleum absque colore cœruleo imaginamur; dum a phantasmate ignis calorem removemus. Quodsi quæsiveris, quomodo id fieri possit, ut ignem tibi imagineris absque calore; notandum est, calorem tactu percipi. Quamobrem ut ignem absque calore imagineris; phantasma ignis producere debes, quale visu percipis, una cum phantasmate digiti igni immissi. Clare enim percipere poteris cum ignem, tum digitum eidem immissum, nihil tamen percipiens caloris.

§. 140.

Ejus realitas evicta.

Quoniam partem entis compositi unam absque altera, subjectumque absque modo imaginari possumus (§. 138), perceptio vero partis in perceptione entis compositi, perceptio modi in perceptione subjecti continetur, adeoque non minus illa, quam hæc partialis est, perceptio autem entis compositi & subjecti composita (§. 40); perceptiones partiales a composita separare, consequenter *phantasmata dividere valemus* (§. 139).

Exem-

Digitized by Google

Exempla ad paragraphos præcedentes allata huc etiam pertinent. Ne tamen eadem huc transferenti occurrat difficultas, quædam opportune monenda ſunt. Ignem absque calore concipi impoſſibile, quemadmodum in Phyſica docemur. Dubitari igitur nequit, calorem in attributorum numerum eſſe referendum. Enimvero oſtendimus (*not.* §. 139), phantaſma caloris a phantaſmate ignis ſeparari poſſe: id quod contradicere videtur propoſitioni de impoſſibilitate imaginandi ſubjectum absque attributo. Etſi autem difficultas ſit ad ſpeciem compoſita; protinus tamen evaneſcit, ſi modum, quo ignem absque calore imaginari datur, attente conſideres. Conſtat nimirum qualitates ſenſibiles, in quarum numero calor eſt, duplici modo ſpectari poſſe, vel quatenus inſunt ſubjecto, vel quatenus denotant mutationem organo inductam, cui idea ſenſualis reſpondet (§. 90). Calor, quatenus denotat quid igni inexiſtens, attributum ignis eſt; non vero quatenus mutationem tactus organo inductam ſignificat. Nunquam efficies, ut ignem tibi imagineris absque eo, quod in eo concipiendum, ut ad mutationem organo tactus inducendam aptum ſit, cui caloris perceptio in anima reſpondet, utut in ſe non repugnet, ceſſare iſtam mutationem in organo actione ignis in corpus noſtrum ſive naturaliter, ſive per miraculum impedita. Optica adjumento eſt in faciendo experimento, quo phantaſma iſtud illuſtratur. Etenim ope ſpeculi concavi, præſertim cylindrici, imaginem candelæ ardentis in aere exhibere licet, cui ſi digitum immittas, nihil caloris percipies, utut flamma apparens a flamma ardente viſu minime diſtinguatur. Obiter monemus, Opticam haud parum adjumenti ad experimenta pſychologica afferre, modo experimentis opticis in rem tuam ſatis uti valeas.

§. 141.

Potentia perceptiones combinandi.

Perceptiones partiales diverſorum entium compoſitorum pro arbitrio combinare valemus, ſubjecto quoque imaginatio tribuere poteſt modos in eo ſenſu nondum a nobis perceptos, perceptos tamen antea in aliis ſubjectis, modo eidem non repugnent, ut prodeat phantaſma entis ſenſu antea nondum percepti. Perceptiones enim partiales diverſorum entium compoſitorum repræſentant partes entium compoſitorum diverſorum (§. 40). Quare cum partem unam absque altera imaginari

Digitized by Google

possimus (§. 138), ut autem quædam simul imaginemur sufficiat ea simul sensu percepta fuisse (§. 104); nil sane obstat, quo minus partes diversorum entium compositorum simul imaginemur. Et quoniam in perceptione cujuslibet entis compositi idea nexus partium & continuitatis, indeque resultantis unitatis continetur, id quod unicuilibet ad eam, quæ ipsi primum obvia est, attendenti palam fit, consequenter idea nexus partium, continuitatis & unitatis recurrere nobis debet, quoties ens quoddam compositum imaginari conamur (§. 109); quando partes diversorum entium compositorum tanquam in uno coexistentes subjecto imaginari intendimus, ideæ nexus partium & continuitatis simul recurrere debent. His igitur ad ideas partium accedentibus, prodit idea composita (§. 40), ideoque phantasma (§. 93) entis compositi antea sensu nunquam percepti. Patet adeo, perceptiones partiales diversorum entium compositorum pro arbitrio a nobis combinari posse, ut prodeat phantasma entis sensu antea nondum percepti.

Idem confirmatur a posteriori. Trunco corporis humani imaginatio jungit caput cervinum, pedes equinos, geminata brachia humana cum manibus: id quod unusquisque, dum hæc legit, in semetipso experitur. Enimvero homo, cervus, equus & monstrum humanum quatuor brachiis cum totidem manibus instructum sunt diversa entia composita (§. 531 *Ontol.*). Quoniam igitur imaginatio phantasma producere valet, in quo trunco humano junguntur caput cervinum, pedes equini, brachia geminata humana, ita ut partes hæ sint sibi invicem continuæ atque simul ens unum mentiantur, nos perceptiones partiales diversorum entium compositorum combinare valere, ut prodeat phantasma entis sensu antea nondum percepti, patet. Atat non minus in teipso experiri potes, posse te ab ente illo composito removere cornua cervina & iis substituere bovina; posse te removere pedes equinos iisdemque substituere caprinos; posse te removere brachia humana iisdemque

quæ substituere pedes anteriores simiæ & ita porro. Patet itaque te perceptiones partiales diversorum entium compositorum pro arbitrio combinare valere.

Quodsi modus aliquis, minimum genere idem, enti alicui non repugnat; possibile utique est, enti inexistere modum istiusmodi, minime genere talem, v. gr, ens præditum esse colore aliquo (§. 85 *Ontol.*), consequenter ens istiusmodi modo instructum existere valet (§. 133 *Ontol.*). Quoniam igitur subjectum ipsum antea sensu percepimus, nec minus modum in altero subjecto ab eo diverso deprehendimus *per hypothes.* consequenter inexistentiæ istiusmodi in aliquo subjecto ideam habemus; dum subjecto imaginatio modum istiusmodi tribuere conatur, idea quoque inexistentiæ recurrit (§. 109): qua ideis subjecti & modi sociata prodit phantasma subjecti modo quodam instructi, qualem antea in ipso sensu nondum percepisti.

Idem confirmatur a posteriori. Lilia ista, quæ natura candida producit, nunquam nisi candida vidimus. Hoc tamen non obstante imaginatio iisdem colorem luteum, cœruleum, viridem, rubrum, nigrum & alium quemcunque tribuere valet. Etsi autem non constet, utrum natura colorem candidum in alium mutare possit, nec ne, cum mixtionem materiæ, quæ in cepis absolvitur, ignoremus, consequenter num essentiæ liliorum intrinsecæ, quæ mixtione illa & corpusculorum mixti combinatione absolvitur (§. 257 *Cosmol.*) repugnet; quatenus tamen nonnisi structuram externam sensu percipimus, eidem non repugnat color quivis alius: etenim non modo colore quodam lilium obducere valemus salva ipsius structura, verum etiam per vitra colorata idem respicientes eidem colorem quemvis tribuere valemus. Color igitur candidus respectu structuræ externæ, quæ sola oculis obvia est, pro modo habetur (§. 151 *Ontol.*), nec colores alii eidem eodem respectu repugnant,

pugnant, ſeu impoſſibile non eſt, ut alius quidam color loco candidi inſit (§. 170 *Ontol.*). Imaginatio igitur ſubjecto alicui tribuere poteſt modum, qui eidem minime repugnat, ut prodeat phantaſma entis antea ſenſu nondum percepti.

Ex his, quæ de ſubjecto vi imaginationis modo quodam inſtruendo diximus, apparet, fieri poſſe ut pro modo habeamus, qui non eſt, quoniam ſcilicet eidem minime patet interior rei eſſentia. Non tamen imaginamur contradictoria, niſi quodam ſubreptionis vitio. Quodſi enim in ſubjecto imaginabili non admittis niſi ea, quæ in ſenſum incurrunt; minime repugnat idem eidem ineſſe, quod imaginationis vi eidem tribuitur. Quodſi enim iis, quæ phantaſma repræſentat, repugnaret, quod ſuperaddit imaginatio; nec idem ſuperaddere valeret: quin potius ſe tale quid imaginari minime poſſe deprehenderet. Quamohrem imaginatio non fallit niſi eos, qui vitio ſubreptionis non confundenda confundunt, veluti qui phantaſma lilii pro ipſo lilio habent. Sed ea ex ſequentibus evadent clariora.

§. 142.

Phantaſmatum compoſitio quid dicatur.

Compoſitio phantaſmatum eſt combinatio perceptionum partialium ad conſtituendam unam compoſitam.

Illuſtratur phantaſmatum compoſitio iisdem exemplis, quibus ad confirmandum propoſitionem anteriorem a poſteriori uſi ſumus. Non tamen difficile eſt exempla quotlibet alia ſuperaddere, cum uniuscujusque imaginatio iisdem luxuriet.

§. 143.

Realitas iſtius compoſitionis adſtructa.

Phantaſmata componere valemus. Perceptiones enim partium diverſarum entis compoſiti pro arbitrio combinare valemus, ſubjecto quoque in phantaſmate tribuere modum in eodem ſenſu non perceptum, perceptum tamen in aliis, modo eidem non repugnet, ut prodeat phantaſma entis ſenſu antea nondum percepti (§. 141). Enimvero dum perceptiones partiales combinamus ad conſtituendam unam compoſitam, phantaſmata componimus (§. 142). Phantaſmata igitur componere valemus.

Atque ita realitas compoſitionis phantaſmatum fuit evicta, eodem prorſus modo, quo antea diviſionem evicimus.

§. 144.

Digitized by Google

§. 144.

Facultas phantaſmatum diviſione ac compoſitione producendi phantaſma rei ſenſu nunquam perceptæ dicitur *Facultas fingendi*. *Facultas fingendi quid ſit.*

Phantaſmatum diviſio ac compoſitio ſunt operationes imaginationis (§. 139. 142). Quare cum facultas fingendi non ſupponat niſi poſſibilitatem phantaſmata dividendi & componendi; ejus exercitium operationibus imaginationis totum abſolvitur, conſequenter facultas fingendi ipſa facultate imaginandi continetur & quandam ejus veluti partem conſtituit.

§. 145.

Anima habet facultatem fingendi. Poteſt enim phantaſmata dividere (§. 140) atque componere (§. 143), adeoque habet facultatem ea dividendi atque componendi (§. 29). Quare cum in diviſione phantaſmatum perceptiones partiales a compoſitis ſeparentur (§. 139) & in compoſitione perceptiones partiales ad diverſa ſubjecta pertinentes ita combinentur, ut unam compoſitam conſtituant (§. 142); phantaſma ſic prodit rei ſenſu antea nondum perceptæ. Habet igitur anima facultatem phantaſmatum diviſione ac compoſitione producendi phantaſma rei ſenſu antea nondum perceptæ, adeoque facultatem fingendi habet. *Quod anima competat.*

Idem etiam ſic oſtenditur. Anima perceptiones partiales diverſorum entium compoſitorum pro arbitrio combinare valet, ut prodeat phantaſma entis ſenſu antea nondum percepti (§. 141). Enimvero dum perceptiones partiales a compoſitis, ad quas pertinent, ſeparat, phantaſmata dividit (§. 139) & dum has partiales ſeparatas iterum pro arbitrio combinat, ut unam compoſitam conſtituant, eadem componit (§. 142). Phantaſmatum igitur diviſione ac compoſitione producit phantaſma rei ſenſu antea nondum perceptæ, conſequenter facultatem fingendi habet (§. 141).

A poſteriori facultatem hanc fingendi confirmant exempla.

Digitized by Google

pla, quibus paulo ante (§. 141) ſtabilivimus, nos perceptiones partiales diverſorum entium compoſitorum pro arbitrio combinare valere. Fingimus e. gr. ens antea non viſum, dum truncо corporis humani vi imaginandi jungimus caput cervinum, pedes equinos, geminata brachia humana cum manibus. Truncum humanum ab homine, caput cervinum a cervo, pedes equinos ab equo, brachia humana cum manibus denuo ab homine ſeparamus, atque hoc ipſo phantaſmata dividimus (§. 139). Truncum humanum, quem ab homine; caput cervinum, quod a cervo; pedes equinos, quos ab equo & geminata brachia humana, quæ a diverſis hominibus ſeparavimus, pro arbitrio combinamus, utque unum conſtituant ens compoſitum, continuitatem a corpore quolibet viſo mente ſejunctam inſuper iis locis jungimus, ubi partes diverſorum entium coaleſcere debent, atque eo ipſo phantaſmata componimus (§. 142). Quando itaque fingimus ens, quod truncum habet humanum & geminata brachia humana cum manibus, caput vero cervinum & pedes equinos; phantaſma iſtud producimus aliorum phantaſmatum diviſione ac compoſitione. Eodem modo idem confirmatur exemplis quibuscunque aliis, quibus propoſitio anterior (§. 141) confirmari poteſt.

Neque hoc mirum videri debet. Etenim propoſitio de combinatione perceptionum partialium ad diverſa ſubjecta pertinentium eſt notio phantaſmatum compoſitioni reſpondens (§. 142), & phantaſmatum diviſio, quæ in ſeparatione perceptionum partialium a compoſita conſiſtit (§. 39), tacite ſupponitur.

§. 146.

Entia ficta quando imaginatio producat.

Si ea componimus, quæ ſibi mutuo repugnant, vel naturæ vi in eodem ſubjecto conjungi nequeunt, phantaſma ens fictum repræſentat. Ponе enim ea, quæ ſibi mutuo repugnant, componi: ens iſtiusmodi, quale phantaſma repræſentat, impoſſibile erit (§. 83 *Ontol.*). Quare cum exiſtere nequeat, quod impoſſi-

possibile est (§. 132 *Ontol.*); enti istiusmodi existentia repugnat (§. 310 *Log.*), consequenter ens fictum est (§. 140 *Ontol.*).

Pone secundo ea, quæ imaginatio componit, vi naturæ in eodem subjecto conjungi non posse. Quoniam natura universa est aggregatum omnium virium motricium, quæ corporibus in mundo coexistentibus simul sumtis insunt (§. 507 *Cosmol.*); mundus autem seu universum series est entium finitorum tam simultaneorum, quam successivorum inter se connexorum (§. 48 *Cosmol.*); in serie rerum non continentur causæ, quæ in eodem subjecto conjungere possunt, quæ imaginatio componit (§. 881 *Ontol.*). Quare cum in mundo nihil actum consequatur, nisi cujus causa in serie rerum, ex qua constat, continetur (§. 97 *Cosmol.*); ens istiusmodi in mundo hoc adspectabili actum consequi, seu existere nequit, adeoque si non absolute, saltem in relatione ad mundum præsentem existentia eidem repugnat (§. 310 *Log.*). Erit igitur denuo ens fictum (§. 140 *Ontol.*).

Difficile subinde est demonstratu, utrum ea, quæ imaginatio conjungit, sibi mutuo repugnent, nec ne. Truncо humano jungimus caput cervinum, pedesque equinos: ecquis vero demonstret, vel in se repugnare, ut truncus humanus continuus sit capiti cervino & pedibus equinis, vel tale quid minimum vi naturæ existere non posse, etsi in se non impossibile per miraculum ut existat minime repugnet? Multus sane requireretur apparatus, antequam demonstrationem absolvere liceret, utut per se incautis manifestum videatur, ens istiusmodi naturæ viribus existere non posse, quod idem nec existere unquam viderimus, nec alibi existere, aut extitisse acceperimus. Accidit ex hac ratione, ut in numerum entium fictorum referamus, quicquid imaginatio antea nobis non visum producit, etsi nondum inquisiverimus, utrum vel absolute, vel in ordine ad præsentem seriem rerum contradictionem involvat.

§. 147.

Quoniam pro arbitrio nostro componentes, quæ imaginatio nobis suggerit, fieri potest ut ea componamus, quæ sibi mu- *Confusio entis ficti cum reali quo-*

modo evitanda.

mutuo repugnant, vel naturæ minimum vi in eodem subjecto conjungi nequeunt; in eo autem casu phantasma ens fictum repræsentat (§. 146); *si imaginatio phantasma quoddam producit, quod repræsentat in numerum entium referendum non est, antequam demonstratum fuerit, id contradictionem non involvere, nec in mundo hoc adspectabili existere posse sumendum, antequam evictum fuerit, causam ejus in serie rerum præsente contineri.* Si enim contradictionem involvit, impossibile est (§. 79 *Ontol.*), adeoque existere nequit (§. 132 *Ontol.*), consequenter nec ens est (§. 134 *Ontol.*). Quodsi vero causa ejus in serie rerum præsente non contineatur, in mundo hoc actum conlequi nequit (§. 97 *Cosmol.*), adeoque in numerum entium ad præsentem rerum seriem sive mundum adspectabilem (§. 55 *Cosmol.*) pertinentium referri nequit (§. 134 *Ontol.*).

E. gr. Vidimus aves, vidimus pisces. Imaginationi nihil obstat, quo minus alas apponat pisci & sic producat phantasma piscis volantis. Enimvero piscis volans in numerum entium vel simpliciter, vel ad hunc mundum adspectabilem pertinentium referri nequit, antequam ostenderis, non repugnare ut piscis habeat alas, vel naturæ vi pisces volantes produci posse. Jam cum ex relatione illorum constet, qui per maria navigarunt, dari pisces volantes: phantasma piscis volantis si in genere consideretur, ens fictum equidem non refert: quatenus tamen ei, quem refert, pisci eas opponit alas, quas phantasma exprimit, in numerum entium verorum ideo nondum referri potest piscis ille volans, quem tibi imaginaris. Videmus itaque, quam parum sit fidendum imaginationi, & quam caute sit procedendum, ne nobis ab eadem imponi patiamur.

§. 148.

Ars phantasmatum repræsentatrix.

Si imaginatio per arbitrariam compositionem phantasma quoddam producit: ars objectum eidem simile producere valet. Quando enim imaginatio per arbitrariam compositionem phantasma quoddam producit, perceptiones partiales ad constituendam unam compositam combinat pro arbitrio (§. 142). Quare cum perceptiones istæ partiales repræsentent res corporeas

reas antea ſenſu perceptas (§. 91); minime repugnat materiæ iſtiusmodi induci figuras, quales eædem habent (§. 88 *Ontol.*). Quoniam præterea partes ita figuratæ continuum exhibent in phantaſmate *per hypoth.* nec impoſſibile eſt, ut partes ita figuratæ ſibi mutuo fiant continuæ. Nihil igitur obſtat, quo minus materiæ figuræ inducantur iſtiusmodi in ſuperficie continua, conſequenter ars objectum phantaſmati ſimile producere valet (§. 195 *Ontol.*).

Idem etiam confirmatur a poſteriori. Imaginationis vi producimus phantaſma, in quo trunco humano jungitur caput cervinum cum pedibus equinis & brachiis humanis. Quoniam cervinum caput, truncus corporis humani, pedes equini & brachia humana ſunt in numero entium, quæ exiſtunt; non impoſſibile eſt ut materiæ iſtiusmodi figuræ inducantur, quales extus apparent. Et quia non repugnat figuras quaslibet una induci eidem trunco arboris vel lapidi, ut in ſuperficie externa continuitatem exhibeant; ligno vel lapidi incidi poteſt ſimul figura capitis cervini, trunci corporis humani, brachiorum humanorum & pedum equinorum, ut in ſuperficie partes circa extrema ſibi mutuo ſint continuæ. Sculptor itaque effigiare valet ſtatuam, quæ habet caput cervinum, truncum humanum, brachia humana & pedes equinos. Similiter pictor in tabula iſtiusmodi ens delineare valet, & arte fuſoria idem ex metallo fieri poteſt.

Nimirum quæ imaginatio in objecto clare repræſentat, ea non repugnant materiæ, ſed eidem ineſſe poſſunt. Quamobrem nil obſtat, quo minus arte materiæ talia inducantur. Enimvero ſi deinde tacite ſuperaddit, quæ vi naturæ exiſtere nequeunt, non dantur cauſæ naturales, quæ ex materia exiſtente ens iſtiusmodi producere valent. Atque ita ens iſtud, quod phantaſma repræſentat, ex claſſe rerum naturalium exulat. Ita ſi caput cervinum jungimus corpori humano, minime repugnat, ut utraque figura eidem ligno, vel lapidi inducatur, vel diverſis lignis aut lapidis fruſtis inductæ figuræ eo modo jungantur, quo continuitatem mentiantur, cum ſola ſuperficies externa,

qua terminatur materia, & color eidem illitus in ſenſum & imaginationem incurrat. Enimvero ſi tacite ſuperaddimus, caput cervinum ſtructuram habere debere internam, qualem in natura rerum habet, & ſimiliter trunco corporis humani eam tribuimus ſtructuram internam, quam noſtrum habet; illæ ſtructuræ internæ naturæ vi coexiſtere nequeunt in eodem ſubjecto. Quodſi ex anatomia cervi & corporis humani ſtructura interna ſatis perſpecta foret omnisque ratio in utraque pateret; oſtendi forſan poterat, cur repugnet trunco corporis humani adhærere caput cervinum: aut, ſi concedamus, non ſimpliciter repugnare, ut corpus humanum vivum inſtructum ſit capite cervino; nullas tamen dari in natura rerum cauſas iſtiusmodi entis productrices monſtrari poterat, ſiquidem cauſarum naturalium ſeries nobis ſufficienter foret perſpecta. Cavendum igitur, ne phantaſmatis judicando tacite ſuperaddamus, quæ in eodem non continentur, quatenus idem ſimpliciter apprehendimus. Ita imaginatio repræſentare poteſt in phantaſmate motum capitis cervini trunco humano cohærentis: neque hoc repugnat ſimpliciter, cum idem quoque reipſa afficere liceat, ſi caput cervinum arte effictum imponatur trunco corporis hominis viventis, ut caput ejus intra ipſum abſcondatur. Enimvero ſi tacite ſuperaddimus, motum fieri a principio capiti cervino interno eodem modo, quo in natura rerum cervum caput ſuum movere obſervamus; ſubreptionis quodam vitio phantaſmati ingerimus, quod in eodem non continetur.

§. 149.

Ars inveniendi architectorum aliorumque artificum.

Quoniam partes ædificii diverſæ pro arbitrio a nobis fieri poſſunt; *imaginatio ex iis, quæ in pluribus ædificiis diverſis vidit, ideam novi ædificii componere valet. Idem* eodem modo *fit in aliis operibus artis.*

Nititur hoc principio ars inveniendi architectorum communis, qua & utuntur artifices alii. Etenim dum ideam ædificii extruendi animo concipere debent, plures ædificiorum ichnographias & orthographias oculis ſubjiciunt. Sunt ſcilicet imagines rerum phantaſmatum vicariæ, cum non repræſentent niſi ea, quæ vi imaginationis repræſentari poſſunt, ut adeo perinde ſit, ſive imaginatio reproducat ideas rerum antea viſarum, ſive imagines earundem oculis objiciantur. Ex iſtis deinde ichnographiis & orthographiis in ſuam ichnographiam & orthographiam transferunt, quæ commoda videntur, atque ita componendo veluti

Digitized by Google

veluti phantaſmata novum producunt. Obtinet idem in arte pictoria, ſculptoria & re hortenſi, aut, ſi mavis, architectura hortenſi.

§. 150.

Si architectus ex iis, quæ in pluribus ædificiis diverſis vidit, ideam ædificii componit vi principii rationis ſufficientis; ædificium juxta eam extructum eſt regulis architecturæ conforme. Et in genere *ſi artifex ex iis, quæ in pluribus diverſis corporibus artificialibus ad artem ſuam ſpectantibus vidit, ideam corporis cujusdam artificialis ejusdem artis vi principii rationis ſufficientis componit; corpus iſtud regulis artis conforme.* Etenim ſi architectus ex iis, quæ in pluribus ædificiis diverſis vidit, ideam ædificii componit vi principii rationis ſufficientis; in eadem nihil admittit, cujus non dare poſſit rationem ſufficientem, cur adeſſe potius, quam abeſſe debeat, cur tale potius, quam aliud eſſe debeat (§. 70 *Ontol.*). Quoniam itaque in architectura civili rationes ſingularum partium deſumuntur a fine earundem (§. 5. *Arch civil.*) & omnes tandem rationes particulares reſolvuntur in ſcopum fundatoris, qui totius ædificii finis eſt (§. 2 *Archit. civil.*); in rationes eorum inquirit, quæ in aliis ædificiis facta fuiſſe videt, & num ea conſpirent cum fine ædificii, cujus ideam animo concipere debet, judicat. Quare cum propoſitiones enunciantes determinationem rationi conformem ſint regulæ (§. 475 *Ontol.*); in idea ædificii, quæ animo concipitur, ſingula ſecundum regulas architecturæ civilis determinantur. Et quoniam nullas determinationes admittit, niſi quæ ad ſcopum fundatoris obtinendum tendunt *per demonſtrata*; determinationes omnes inter ſe conſentiunt & in ædificio, cujus idea animo concipitur, naſcitur perfectio (§. 503 *Ontol.*). Enimvero illud regulis architectonicis conforme cenſetur ædificium, quod, cum ſit perfectum, a defectu liberum (§. 524 *Ontol.*), adeoque nihil continet regulis contrarium (§. 477 *Ontol.*). Ædificium adeo regulis architectonicis conforme, ſi exſtruitur juxta ideam ex iis, quæ

Quando ars conveniens inveniendi artificium non fallat.

quæ architectus in pluribus ædificiis diverſis vidit, juxta principium rationis ſufficientis compoſitam.

Idem eodem prorſus modo oſtenditur de corpore quocunque alio artificiali ad quamcunque artem ſpectante: neque enim alia re opus eſt, quam ut pro ædificio ſubſtituatur corpus artificiale in genere, & pro regulis architecturæ ſubſtituantur in genere regulæ artis in demonſtratione anteriore. Habere enim unamquamque artem ſuas regulas, vel exinde colligitur, quod in quæcunque corpora artificialia perfectio cadat, vi cujus aliud præſtare judicatur alio; omnis autem perfectio ſuas habeat regulas, per quas explicari, hoc eſt, intelligi poteſt, cur determinationes intrinſecæ tales potius ſint, quam aliæ (§. 509 *Ontol.*). Quodſi dubites, an corporibus artificialibus ſingulis reſpondeat aliqua perfectio, perpendas, quæſo, ſingula certi cujusdam finis gratia fieri: ad quem cum tendant determinationes intrinſecæ ſinguſæ, ex earum conſenſu naſcitur in corpore perfectio (§. 503 *Ontol.*).

Patet adeo uſum imaginationis rectificari per connubium imaginationis cum ratione, ut adeo ars communis inveniendi, quæ vulgo ſeducit, ut opus artis defectu laboret, fiat proba opusque producat perfectum, non ſecus ac ſi ſine imaginationis ſubſidio ſuiſſet inventum.

§. 151.

Significatus hieroglyphicus quinam ſit.

Significatum hieroglyphicum appello, quo res quædam ad denotandam aliam transfertur.

Ita ſignificatus hieroglyphicus eſt trianguli, ſi eodem ad denotandum Deum trinunum utamur. Sumimus vocabulum in recepto ſignificatu. Etenim *Hieroglyphice* dicta fuit veteribus ars ſignificandi aliquid per ſculptas rerum animaliumque figuras: quibus adeo utebantur loco literarum. Ars iſta olim Ægyptiis, Sinis aliisque gentibus uſitata fuit; hodie autem non adeo frequens ejus uſus eſt. Imaginationi multus locus eſt in conſtituendo ſignificatu hieroglyphico, non tamen ſoli; ſed accedere quoque debet ratio, quæ illam in componendis phantaſmatis dirigit. Quamobrem hic locus eſt, quo modum conſtituendi ſignificatum hieroglyphicum diſtinctius explicare debemus.

§. 152.

Digitized by Google

§. 152.

Si phantaſma quoddam ita componitur, ut per ſimilitudinem partium conſtitutivarum cum determinationibus rei cuidam intrinſecis hæ ex iſtis colligi poſſint: phantaſma ſignificatum hieroglyphicum habet ac vi principii rationis ſufficientis componitur. Etenim ſi phantaſma ita componitur, ut per ſimilitudinem partium conſtitutivarum cum determinationibus rei cuidam intrinſecis hæ ex iſtis colligi poſſint; ſingulæ partes, ex quibus phantaſma componitur, ſunt ſigna determinationum in re iſta contentarum (§. 952 *Ontol.*) & phantaſma integrum eſt ſignum rei ipſius (§. *cit*). Res igitur, quam phantaſma repræſentat (§. 48. 93), ad denotandam rem aliam transfertur, conſequenter phantaſma ſignificatum hieroglyphicum habet (§. 551).

Figuræ hieroglyphicæ quomodo inveniantur.

Enimvero quoniam partes hæ ſimilitudinem quondam habent cum determinationibus rei cuidam intrinſecis, *per hypotheſ.* ex ſimilitudine iſta intelligitur, cur hæ potius partes, quam aliæ in compoſitione phantaſmatis admittantur, & cur eædem ſimul jungantur. Similitudo igitur ita continet rationem ſufficientem compoſitionis (§ 56 *Ontol.*), conſequenter phantaſma vi principii rationis ſufficientis componitur (§. 71 *Ontol.*).

Habemus hic principium genuinum idemque fœcundiſſimum conſtituendi ſignificatus hieroglyphicos: quod ut appareat, exemplum unum alterumque in medium proferamus. *Comenius*, qui non inutili inſtituto in gratiam puerorum orbem pictum condidit, ut vocabula rerum cum ideis animo imprimerent, cum animam pingere non poſſet, ad artem hieroglyphicam confugiens phantaſma condidit, cui ſignificatum hieroglyphicum indidit. Animam enim repræſentat per puncta in iſtiusmodi figuram diſpoſita, qualem exhibet umbra corporis humani in planum ad horizontem perpendiculare & corpori atque lumini directe oppoſitum projecta. Puncta enim vi definitionis Geometrarum indiviſibilia ſunt, etſi talia pingi non poſſint, adeoque ſimplicitatem animæ denotant, vi cujus omni prorſus parte caret. Figura cor-

corporis humani, per quam puncta ista disponuntur, cum per ipsa ista puncta absque ullo linearum ductu constituatur, denotat substantialitatem animæ, vi cujus absque corpore subsistere potest. Quatenus tamen puncta ista per figuram corporis disponuntur atque ita disposita eandem figuram necessario exprimunt; animæ cum corpore unio a voluntate ipsius independens denotatur. Denique cum puncta ista per totam corporis humani figuram dispergantur; hoc ipso indigitatur animam esse totam in toto corpore & totam in qualibet ejus parte, juxta doctrinam Scholasticorum tunc temporis in Scholis receptam. Ecce igitur significatum hieroglyphicum phantasmatis, quo *Comenius* animam repræsentavit. Dum enim idem exhibuit, perinde est ac si dixisset, animam esse substantiam simplicem, quæ independenter a corpore subsistere possit, vinculo tamen voluntate ipsius non dissolubili ita unita sit corpori, ac si tota esset in qualibet parte corporis, quemadmodum tota in toto corpore existit. Memini me plus simplici vice vidisse historiam Salvatoris a Diabolo in deserto tentati ita depictam, ut diabolus speciem monachi *Franciscani*, sed pedibus equinis vel caprinis instructi referret. Ab erroribus aliis imputandis adeo abhorrens, ut in casu dubio alteri scientiam majorem ea, quam possedit, tribuere malim, quam errorem, mihi quoque persuadere minime potui factum hoc fuisse ex errore chronologico de origine Ordinis *Franciscanorum*. Quamobrem imagini isti sensum hieroglyphicum ineſſe collegi. Constat *Franciscanos*, qui vitæ austeritate cleros omnem superant, reliquos homines in universum omnes sanctimonia præcellere existimari, ita ut Imperatores, Reges ac Principes veste monachi *Franciscani* induti mori ac sepeliri ament. Quare cum diabolus visibili forma exhiberi nequeat, nisi sub specie humana, in angelum vero lucis se transformare soleat, 1 Cor. XI. 14. nullum mihi dubium est, diabolum simulatorem pingi instar monachi *Franciscani* ad significandum morem ejus, quem Apostolus nos docuit. tribui autem ei pedes equinos, vel caprinos, ut porro indigitetur, ipsum arte sua efficere minime posse, quin attentus formam fallacem detegat. Sensus hic hieroglyphicus convenit historiæ tentationis, adeoque eundem fert phantasma pictura expressum, etiamsi ejus inventor eum non intenderit. Ceterum notatu dignum, antiquissimis temporibus non modo dogmata, sed & historica per figuras hieroglyphicas tradita fuisse, ne quivis promiscue ad hæc arcana cognoscenda admitteretur. Istud de Ægyptiis notissimum est; hoc vero de Sinensibus commemorat

Digitized by Google

morat *Philippus Couplet*, Soc. Jesu, Sinensis Missionis in urbem Procurator, in præfatione ad Tabulam Chronologicam Monarchiæ Sinicæ Parisiis 1686 editam f. 11. Ita primus imperii conditor *Fohi* in lucem editus habuisse fertur caput forma quidem humana, sed corpus serpentina ad denotandam prudentiam callidumque ejus ingenium. Successori ejus *Xin num* caput fuisse dicitur bovina specie, quod industriam in agricultura excolenda posuerit singularem & boves sub jugum mittere ceperit. De eodem narratur, quod, dum agriculturam instituere meditaretur, cœlum pluerit triticum & orizam, ad denotandam fertilitatem agrorum, quam arte promovit. Hieroglyphicum istud scribendi genus qui non intelligunt, historiam fabulosam appellant & contra evidentes veritatis characteres, quos *Couplетus* commemorat, perperam pro conficta venditant.

§. 153.

Si non modo partes singulæ, ex quibus phantasma componitur, denotent diversas determinationes rei intrinsecas, verum etiam singula, quæ in istis partibus distingui possunt, denotent ea, quæ in determinationibus rei discernuntur; phantasma totum significativum est & in genere hieroglyphicorum perfectum. Etenim in phantasmate non considerantur nisi partes, ex quibus componitur, & ea, quæ in his partibus distingui possunt: cetera enim tacite supponenda forent. Quare cum partes singulæ denotent diversas rei cujusdam determinationes intrinsecas & ea, quæ in partibus hisce distinguuntur, significent quæ in determinationibus istis discernuntur *per hypoth.* nihil est in toto phantasmate, quod non habeat significatum hieroglyphicum (§. 151). Phantasma igitur totum significativum est. *Perfectio hieroglyphicorum.*

Jam cum in toto phantasmate nihil detur, quod non habeat significatum hieroglyphicum *per demonstrata:* quæcunque phantasmati insunt ad significatum hieroglyphicum, quo res quædam denotatur (§. 151), tendunt, consequenter quæ phantasmati insunt diversa, ea inter se consentiunt (§. 503 *Ontol.*). Quare cum consensu plurium a se invicem differen-

Digitized by Google

tium in uno constet perfectio rei (§. *cit.*); phantasma istud quatenus sensum fundit hieroglyphicum, perfectum est.

Maximam utilitatem habet theorema præsens in dijudicando significatu hieroglyphico. Illustrat idem exemplum *Comenii* de anima, ad quod paulo ante (*not.* §. 152) provocavimus. Etenim in phantasmate isto distingui non possunt nisi puncta, punctorum horum situs & terminus, quo circumscribitur spatium, in quo nullo ordine collocantur, sed ita ut spatium totum replere videantur. Singula hæc significativa sunt & significatus particulares simul sumti constituunt significatum integrum phantasmatis, quemadmodum ante dicta relegenti apparet. Phantasma igitur totum significativum est &, quatenus significatum hieroglyphicum habet, perfectum est.

§. 154.

Gradus perfectionis in figuris hieroglyphicis.

Si duo fuerint phantasmata eundem significatum hieroglyphicum habentia & singula in se considerata fuerint perfecta; id quidem perfectius est altero, quod ampliorem habet significatum, seu per quod plura significantur. Quoniam phantasmata eundem significatum hieroglyphicum habent & in se considerata respectu ejusdem perfecta sunt *per hypoth.* quoad significatum hieroglyphicum a se invicem differre nequeunt, nisi quatenus unum plura significat in subjecto, ad quod denotandum phantasmata illa destinantur (§. 151), quam alterum. Quare cum in re perfectiore plura observabilia sint, quam in altera, quæ minorem perfectionem habet (§. 520 *Ontol.*); phantasma illud, quatenus significatus hieroglyphicus attenditur, perfectius est, quod plura significativa continet, quam alterum, per quod pauciora in subjecto indigitato significantur.

Idem etiam sic ostenditur. Phantasmati A plura insunt, quæ significant determinationes subjecto per idem indigitato intrinsecas, quam phantasmati B, quo idem denotatur subjectum *per hypoth.* Quoniam itaque phantasmata A & B, quatenus idem denotant subjectum, respectu significatus hieroglyphici tanquam entia ejusdem speciei considerari possunt

(§. 233

(§. 233. 195 *Ontol.* & §. 151 *Pſychol.*); ſignificativa autem ſunt determinationes, quibus in genere hieroglyphicorum phantaſmata iſta conſtituuntur (§. 122 *Ontol.* & §. 151 *Pſychol.*): phantaſma A perfectius eſt phantaſmate B (§. 521 *Ontol.*).

Demonſtratio poſterior magis evolvi poterat: id quod ex plurium citationum cumulatione apparet. Enimvero non eſt, ut, quod jam ante breviter ſatis evictum fuit, longiore demonſtratione corroboretur. Uſum vero inſignem habet theorema præſens in concilianda ſenſui hieroglyphico omni amplitudine, quam habere poteſt.

§. 155.

Definitionis hieroglyphicæ repræſentatio.

Si phantaſma hieroglyphicum repræſentet ſingulas notas, quæ definitionem rei alicujus ingrediuntur; loco definitionis ſervit. Si enim phantaſma hieroglyphicum ſingulas notas repræſentat, quæ definitionem rei alicujus ingrediuntur; per ipſum patent, quænam in definitione iſta notæ contineantur. Quare cum in definitione enumerentur notæ ad rem definitam agnoſcendam & ab aliis diſtinguendam ſufficientes (§. 153 *Log.*), perinde vero ſit, ſive notæ iſtæ verbis tanquam ſignis (*not.* §. 958 *Ontol.*), ſive ſignis aliis, quales ſunt res in hieroglyphicis (§. 151), indigitentur; phantaſma hieroglyphicum loco definitionis ſervit.

Phantaſma *Comenianum* de anima, quod ſupra (*not.* §. 152) explicavimus, definitionis loco inſervire poterat. Enim anima definiri poteſt per ſubſtantiam ſimplicem corpori humano independenter a voluntate ſua ita unitam, ut ſit una in toto & tota in qualibet ejus parte juxta doctrinam Scholaſticorum, immo & ſecundum rei veritatem, ſiquidem intelligibili modo explices, quomodo anima una in toto & citra ſui multiplicationem tota in qualibet ejus parte exiſtat: id quod ſuo loco explicabimus. Quare cum phantaſma *Comenianum* ſingula iſta ſignificet; definitionis loco eſſe poteſt.

§. 156.

Propoſitionum repræſentatio hieroglyphica.

Si phantaſma hieroglyphicum repræſentet ſubjectum confuſe perceptum ſive abſolute, ſive ſub certis determinationibus accidentalibus una cum prædicatis eidem vel abſolute, vel ſub iis-

Digitized by Google

dem determinationibus competentibus; propositionis in casu priori categoricæ, in posteriori hypotheticæ loco servit. Etenim si phantasma hieroglyphicum repræsentat subjectum confuse perceptum sive absolute, sive sub certis determinationibus accidentalibus; per ipsum patet, quale sit subjectum & sub qua conditione in casu posteriori spectetur (§. 151). Et quoniam præterea denotat prædicatum subjecto vel absolute spectato, vel sub datis determinationibus tribuendum, per idem quoque innotescit hoc prædicatum, consequenter phantasma nobis & notionem in memoriam revocat propositioni, quæ ex isto subjecto atque prædicato componitur (§. 200 *Log.*), tribuendam (§. 520. 521 *Log.*). Enimvero perinde est sive notio propositioni respondens excitetur ope verborum, sive ope phantasmatis hieroglyphici, adeoque phantasma propositionis loco servit, tam categoricæ, quam hypotheticæ.

Exempli loco est phantasma, quo justitiam nobis repræsentamus instar virginis velatis oculis libram manu una, gladium altera tenentis. Etenim hic virgo repræsentat justitiam confuse saltem perceptam. Libra indicat, quod suum tribuat utrique. Gladius significat, quod pœnis afficiat delinquentes. Velati denique oculi indigitant, quod non habeat respectum personarum, vel generalius, quod nullis rationibus extrinsecis se permoveri patiatur. Libra ergo, gladius & velati oculi denotant tria prædicata justitiæ tribuenda. Est adeo phantasma hieroglyphicum loco trium propositionum, quæ idem habent subjectum, vel loco propositionis, cui triplex est prædicatum (§. 314 *Log.*). Propositio nimirum copulativa est (§. 315 *Log.*) eaque hujus tenoris: Justitia jus suum tribuit cuique, pœnis debitis afficit delinquentes, nec ullis rationibus extrinsecis se permoveri patitur ad quicquam faciendum. Quodsi velati oculi trahantur ad constantem ac perpetuam voluntatem, quæ rationibus intrinsecis tota nititur, ab extrinsecis prorsus independens, & libra referatur ad modum, quo jus suum tribuit privatis, gladium vero admodum, quo idem tribuit publico seu Reip. quam hic instar personæ considerare licet, prout in Trim. Vern. A. 1729. n. II. §. 7. observavimus; phantasma istud hieroglyphicum *Ulpiani* quoque definitionem repræsentare potest, quod sit constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi: id quod mirum videri mi-

Digitized by Google

minime debet, cum significatus hieroglyphicus sit arbitrarius, etsi ratione non destituatur, quemadmodum ex ipsa ejus definitione (§. 151) colligitur, omnisque definitio in propositiones converti possit & ex propositionibus communis subjecti condantur definitiones ejusdem.

§. 157.

Figuras hieroglyphicas appello, quas phantasmata significatum hieroglyphicum habentia repræsentant. *Figura hieroglyphica definitio.*

Phantasma hieroglyphicum, de quo in antecedentibus locuti sumus, est idea, quæ imaginem quandam repræsentat, cui significatus hieroglyphicus tribuitur. Ita si anima repræsentatur per puncta ita disposita in plano, ut eadem perimetro circumscribantur, qua umbra corporis humani in planum projecta comprehenditur (*not.* §. 152); phantasma hieroglyphicum est, quatenus in mente existit idea; figura autem hieroglyphica, quatenus imago delineatur, per quam puncta isto pacto disponuntur. Phantasma in mente existit; imago eidem similis, quæ figura hic appellatur, extra eandem, sive picta, sive sculpta, sive æri incisa seu arte quacunque expressa fuerit.

§. 158.

Disciplinæ per figuras hieroglyphicas tradi possunt. In disciplinis enim non occurrunt nisi definitiones ac propositiones (§. 1212 *Log.*). Definitiones per figuras hieroglyphicas exhiberi possunt (§. 155); possunt etiam per easdem exhiberi propositiones (§. 156). Disciplinæ igitur per figuras hieroglyphicas tradi possunt. *Usus figurarum hieroglyphicarum in disciplinis.*

Facile apparet, tradi debere propositiones absque demonstratione: prolixum enim nimis foret, etsi non prorsus impossibile, demonstrationem quoque, utpote ex meris propositionibus ac definitionibus contextam (§. 551 & seqq *Log.*), sub involucro hieroglyphico exhibere. Usi sunt temporibus antiquissimis Ægyptii hoc veritates inventas propagandi modo, ne propalando pervenirent ad indignos, qui iisdem pretium statuere minime possent, vel, ut phrasi hieroglyphica idem enuncietur, ne margaritæ suibus projicerentur. Characteres *Sinarum* antiquissimi, quos *Fohi* imperii conditor invenisse dicitur, hieroglyphici sunt ex parte, subinde etiam ex asse. Etenim ex combinatione characteris, quo homo denotatur, & alterius, quo canis indigitatur, oritur character docilitatis atque obedientiæ, vid. Nouveau voyage autour du

Digitized by Google

du monde par Mr. *le Gentil* Tom. 1. p. 259. Nemo tamen diffitebitur artem hieroglyphicam hac in parte fuisse adhuc imperfectam, cum methodus veteribus nondum adeo accurate cognita & perspecta fuerit, quemadmodum ad hunc usum requiritur. Etsi autem non omnino consultum sit veritates generi humano utiles hieroglyphico velamine tegi; usum tamen adhuc habere possunt, ut veritates arduæ atque utiles hoc subsidio memoriæ tenacius infigantur ac felicius in eandem revocentur. Unde figuræ hieroglyphicæ in moralibus plurimum utilitatis afferunt: id quod suo loco abunde patebit. Alchymistæ modum docendi & scribendi hieroglyphicum retinuere ex eadem ratione; id quod vel ex unius *Basilii Valentini* scriptis colligitur. *Caspar Neumannus*, Theologus eximius, literis hebraicis significatum hieroglyphicum tribuit, per quem aliquid ab essentiali trahit, quemadmodum jam alibi (*not.* §. 978 *Log.*) monuimus.

§. 159.

Vis significandi figurarum hieroglyphicarum.

Figuræ hieroglyphicæ signa artificialia sunt. Figuræ enim hieroglyphicæ significatum hieroglyphicum habent (§. 158), adeoque ad denotandas res alias, quam quas repræsentant, transferuntur, (§. 153), consequenter ex iis colligitur, quod aliud quid sit diversum ab ea re, quam repræsentat. Est igitur signum (§. 952 *Ontol.*). Enimvero quoniam in figuris hieroglyphicis res quædam ad aliam significandam ab hominibus transfertur (§. 151); vis significandi ab arbitrio hominum pendet. Sunt igitur figuræ hieroglyphicæ signa artificialia (§. 958 *Ontol.*).

Monuimus jam in superioribus (§. 155), phantasmata hieroglyphicum significatum habentia verbis æquipollere. Idem ergo etiam de figuris hieroglyphicis tenendum (§. 158).

§. 160.

Figurarum hieroglyphicarum differentia.

Figuræ hieroglyphicæ vel primitivæ sunt, vel derivativæ. Figuræ enim hieroglyphicæ sunt signa artificialia (§. 159). Quare cum signa artificialia vel primitiva sint, vel derivativa (§. 694 *Ontol.*); figuræ etiam hieroglyphicæ vel primitivæ sunt, vel derivativæ.

Appli-

Digitized by Google

Applicamus hic ad speciem, quod de genere demonstratum fuit in Ontologia (§. 348 *Log.*). Nisi Ontologiam præmisissemus, poteramus absque demonstratione figuras hieroglyphicas dividere in primitivas & derivativas & ex arbitrio ipsis tribuere significatum, quem vi Ontologiæ obtinent (§. 161).

§. 161.

In quo ea consistunt.

Figuræ hieroglyphicæ primitivæ sunt, quæ ab aliis se prioribus ortum non trahunt; derivativæ autem sunt, quæ ab aliis oriuntur. Figuræ enim hieroglyphicæ sunt signa artificialia (§. 159), adeoque primitivæ primitiva, derivativæ derivativa (§. 160). Quare cum signa primitiva sint, quæ ab aliis signis se prioribus ortum non trahunt; derivativa autem, quæ ex aliis se prioribus oriuntur (§. 964 *Ontol.*): figuræ etiam hieroglyphicæ primitivæ esse debent, quæ ab aliis se prioribus ortum non trahunt; derivativæ autem, quæ ex aliis oriuntur.

Illustrant propositionem præsentem, quæ ad illustrandam notionem signorum derivativorum adduximus (*not.* §. 964 & seqq.).

§. 162.

Notarum resolubilium & irresolubilium diversitas

Notas irresolubiles hic appello eas, quæ a cognoscente in alias simpliciores non amplius resolvuntur, sive quod in se tales sint, sive quod cognoscens eas amplius resolvere non possit, aut nolit. Ex adverso *Notas resolubiles* dico, quæ a cognoscente ulterius resolvi possunt, aut debent.

Non attendimus hic rationes, cur resolutio ulterior non fiat. Quamobrem jam non inquirimus, utrum dentur nationes in se irresolubiles, nec ne: sed eam disquisitionem suo loco reservamus. Dari autem notas, quas nos vel ulterius resolvere non possumus, vel nolumus, quod inutilis eo in loco videatur ulterior resolutio; exempla obvia docent. Ita flavedo auri est nota in se resolubilis, quoniam ex mixtione oritur, adeoque causas suas habet; immo in genere quoque coloris flavi notio suas habet notas, per quas differt ab aliis coloribus. Nos tamen hactenus nec notionem flavedinis auri, nec coloris flavi in genere ulterius resolvere valemus. In Ontologia notiones totius, partis, æqualitatis, majoris, minoris in suas notas resolvi-

Digitized by Google

mus, quæ eas ingrediuntur, ut adeo ipso facto ostenderimus eas esse resolubiles. Hoc tamen non obstante *Euclides* in Elementis notionibus istis utitur tanquam notis irresolubilibus, cum eas distincte non explicet.

§. 163.

Figurarum hieroglyphicarum primitivarum usus.

Notæ irresolubiles, quæ notiones rerum distinctas ingrediuntur, repræsentandæ sunt per figuras primitivas. Quoniam enim notæ irresolubiles, quæ notionem rei distinctam ingrediuntur, non amplius resolvuntur, sive quod in se irresolubiles sint, sive quod eas resolvere amplius nolis, vel non possis (§. 162); nulla adest ratio, cur figuras hieroglyphicas, per quas eas repræsentare constituisti (§. 151. 157), ex aliis componas. Quoniam itaque ex aliis se prioribus non oriuntur; primitivæ sunt (§. 161), adeoque notæ irresolubiles per figuras hieroglyphicas primitivas repræsentari convenit.

In Arte characteristica demonstrari debet, per signum artificiale primitivum repræsentari debere notiones irresolubiles, seu res, quarum istiusmodi habemus notiones. Sed cum ars ista adhuc in desideratorum numero sit; ejus principia hic præsupponi minime potuerunt. De ea quædam trademus in Arte inveniendi.

§. 164.

Notionum distinctarum hieroglyphica representatio.

Notiones distinctæ repræsentandæ sunt per figuras hieroglyphicas derivativas. Si enim notio nobis distincta est, notas, quas continet, distinguere valemus (§. 38 *Log.*). Quare si hieroglyphice repræsentanda; figura singulas illas notas distincte repræsentare debet, consequenter ex figuris hieroglyphicis aliis, tanquam partibus componenda, quarum singulæ notas singulas denotant (§. 151. 157). Quoniam itaque figura hieroglyphica notionem distinctam repræsentans ex aliis se prioribus oritur; derivativa est (§. 161).

Exempli loco esse potest figura hieroglyphica Justitiæ supra allata (*mox*, §. 156).

§. 165.

Digitized by Google

§. 165.

Quoniam definitiones exprimunt notiones completas (§. 152 *Log.*), adeoque distinctas (§. 92. 88 *Log.*); propositioni autem non minus affirmativæ, (§. 520 *Log.*), quam negativæ (§. 521 *Log.*) notio respondet, quæ cum in ea subjectum a prædicato discernatur (§. 199. 200 *Log.*), itidem distincta est (§. 88 *Log.*); *In disciplinis definitiones & propositiones per signas hieroglyphicas derivativas repræsentandæ sunt* (§. 164). *Definitionum & propositionum in disciplinis hieroglyphica repræsentatio.*

In disciplinis definitiones non ingrediuntur termini nisi ante explicati (§. 119 *Disc. prælim.*), nec utendum est in propositionibus terminis nisi accurata definitione explicatis (§. 116 *Disc. prælim.*). Quamobrem si in locum terminorum figuræ hieroglyphicæ surrogandæ sunt; definitiones quoque & propositiones perinde componi debent ex figuris aliis simplicioribus ad denotanda ea, quæ ipsas ingrediuntur, destinatis. Leges enim methodi generales sunt, ut non minus in terminis, quam in signis quibuscunque aliis locum habeant, quibus ad notiones alteri indigitandas utimur.

§. 166.

Notæ resolubiles, quæ notionem rei distinctam ingrediuntur, in disciplinis repræsentandæ sunt per figuras hieroglyphicas derivativas. Quoniam enim notæ resolubiles, quæ notionem rei distinctam ingrediuntur, in alias simpliciores resolvi possunt (§. 162); notio earum distincta est (§. 88 *Log.*). Enimvero notiones distinctæ per figuras hieroglyphicas derivativas repræsentandæ sunt (§. 164). Ergo etiam notæ resolubiles per figuras hieroglyphicas derivativas repræsentandæ veniunt. *Notarum resolubilium repræsentatio hieroglyphica.*

Per se patet, propositionem hanc valere in omni casu resolubilitatis notarum, quousque in iis resolvendis progredi datur, vel consultum fuerit.

§. 167.

Notiones adæquatæ repræsentandæ sunt per figuras hieroglyphicas derivativas. Si enim nobis adæquata est notio, notarum, quæ rei notionem distinctam ingrediuntur, notiones *Notionum adæquatarum hieroglyphica repræsentatio.*

nes itidem distinctæ sunt (§. 95 *Log.*), adeoque in notis denuo distinguimus notas, quæ ipsis insunt (§. 88 *Log.*), consequenter notæ resolubiles sunt (§. 162), & ita progredi licet, donec perveniatur ad notas, quæ a nobis non amplius in alias simpliciores resolvi possunt, vel quos in simpliciores resolvi ulterius minime consultum est, consequenter ad irresolubiles. Quare cum notæ resolubiles in disciplinis (quem casum in hisce theorematis supponimus) repræsentari debeant per figuras hieroglyphicas derivativas (§. 166); figuræ hieroglyphicæ, per quas notiones adæquatæ repræsentari debent, componendæ sunt ex figuris hieroglyphicis derivativis, consequenter ipsæmet multo magis derivativæ sunt (§. 161).

Quemadmodum in disciplinis potissimum spectanda est notionum continua evolutio, unde tandem resultant adæquatæ; ita in Arte hieroglyphica, quando disciplinis servire debet, figurarum derivativarum potissimum habenda est ratio. Majoris autem momenti est invenire figuras hieroglyphicas derivativas, quam primitivas: id quod probatione non indiget. Vicissim tamen negari non potest, quæ in figuris derivativis latent facilius revelari posse, quam quæ in primitivis absconduntur.

§. 168.

Figuræ hieroglyphicæ vicariæ quænam dicantur.

Figuras hieroglyphicas vicarias appello figuras hieroglyphicas primitivas, quæ in locum derivativarum in compositione derivativarum aliarum assumuntur.

Respondent figuræ istæ vicariæ terminis philosophicis & mathematicis jam ante explicatis, quos in definitionibus ac propositionibus assumimus loco eorum, quæ in ipsorum definitionibus continentur.

§. 169.

Vicariarum figurarum usus.

Si figura hieroglyphica ex aliis derivativis & hæ vicissim ex aliis derivativis sint componendæ; ad evitandam confusionem a vicariis ordiendum. Si figura hieroglyphica ex aliis derivativis & hæ vicissim ex aliis derivativis sint componendæ ac ita porro; figurarum primitivarum, quæ ultimas derivati-

vas

vas ingrediuntur, tantus reſultare poteſt numerus, qui figuram compoſitam contemplantes confundit, vel etiam ut figuræ primitivæ ſingulæ exhiberi non amplius poſſint. Neceſſe igitur eſt, ut evitandæ confuſionis gratia a figuris primitivis abſtineamus, quæ in derivativam compoſitam introduci debebant. Quoniam tamen notæ reſolubiles, quibus iſtæ figuræ derivativæ ex primitivis conſtantes conveniunt, per derivativas ſunt exprimendæ (*§. 166*); exceptio quidem ab hac regula (§. 510 *Ontol.*); ſed ita tamen fieri debet, ut ſalva maneat perfectio figuræ compoſitæ (*§. 514 Ontol.*). Enimvero ſi in locum derivativarum, quæ vel ex primitivis, vel ex aliis minus compoſitis conſtant, aſſumas primitivas derivativis æquipollentes, quas figuram compoſitam contemplatus pro arbitrio ſibi invicem ſubſtituere poteſt; figura compoſita non pauciora indigitat, ſi primitivis utaris, quam ſi derivativis locum concedas, adeoque perfectio figuræ hieroglyphicæ non mutatur (§. 154); in figuram autem compoſitam evitandæ confuſionis gratia vicariæ introducuntur (*§. 168*). Quamobrem ſi figura hieroglyphica ex aliis derivativis & hæ viciſſim ex derivativis aliis fuerint componendæ, ac ita porro; ad evitandam confuſionem a vicariis eſt ordiendum.

Patet vicarias figuras hieroglyphicas referri poſſe ad derivativas vel immediate ex primitivis, vel mediate ex vicariis aliis minus compoſitis: ut adeo figurarum vicariarum naſcantur gradus diverſi, quos jam accuratius perſequi non vacat. Quonam vero in gradu dato quolibet in caſu ſit ſubſiſtendum, ipſa neceſſitas docebit, ſine qua vicariarum opem implorari ratio nulla ſuadet. In arte hieroglyphica, præſertim ubi ad diſciplinas tradendas transferrur, intellectus ſuppetias fert imaginationi, & hæc viciſſim ipſi auxilio eſt. Quoniam tamen ex Logica præſupponi poterant, quæ de operationibus intellectus cognoſcenda ſunt, antequam artis iſtius principia intelligere poſſis; placuit hic ſimul proponere, quæ ad partem animæ inferiorem ſolam non ſpectant: id quod & in aliis caſibus ſimilibus tenendum.

Digitized by Google

§. 170.

Figmentum quid ſit & quomodo producatur.

Phantaſma, quod ens fictum repræſentat, dicitur *Figmentum*. Quare cum phantaſma ens fictum repræſentet, ſi ea componimus, quæ ſibi mutuo repugnant, vel naturæ vi in eodem ſubjecto conjungi nequeunt (§. 146); *Figmentum producitur, ſi ea componimus, quæ ſibi mutuo repugnant, vel naturæ vi in eodem ſubjecto conjungi nequeunt.*

Exemplum adeo figmenti præbet homo cum capite cervino & pedibus equinis. Ab his figmentis quomodo differant monſtra inferius demum patebit. Quæ monſtris tribuuntur animalium brutorum figuræ, aliquam ſaltem cum iis ſimilitudinem habent, ſed eadem non ſunt.

§. 171.

Quo reſpectu figmentum poſſit eſſe ens verum.

Si quod figmento reſpondet figura hieroglyphica fuerit, quatenus ſignificativum eſt veri cujusdam entis ſpeciem conſtituit. Si enim quod figmento reſpondet fuerit figura hieroglyphica, ſignificatum hieroglyphicum habet (§. 157), adeoque ens iſtud fictum (§. 170) ad denotandam rem aliam, ſeu ens verum transfertur (§. 151). Aſt cum in figuris primitivis ſignificatus non pendeat a ſignificatu figurarum aliarum ſimpliciorum (§. 161), adeoque tanquam ſigni artificialis (§. 159) arbitrarius ſit (§. 958 *Ontol.*); nihil ſane obſtat ex parte figuræ, quo minus ipſi ejuſmodi ſignificatus ſimul tribuantur, atque adeo ſignificatus totus a contradictione liber (§. 48 *Ontol.*). Quatenus vero per figuras iſtas denotantur ea, quæ enti cuidam vero ſimul inſunt *per demonſtr.* ſignificatus quoque ex parte rei ſignificatæ a contradictione liber (§. 48 *Ontol.*) & per ea, quæ enti inſunt, datur ratio, cur hæc ſimul ineſſe debeant (§. 56 *Ontol.*). Figmento igitur reſpondens figura hieroglyphica, quatenus ex aliis primitivis componitur, non continet niſi talia, quæ per principium contradictionis & rationis ſufficientis (§. 29. 71 *Ontol.*) determinatur (§. 113 *Ontol.*)

Quodſi

Quodſi figuræ ſimpliciores, ex quibus figura hieroglyphica figmento reſpondens componitur, fuerint derivativæ; ſignificatus earum a ſignificatu aliarum, ex quibus componuntur, pendet (§. 161), adeoque partim ex iis, quæ rei ſignificandæ inſunt, partim ex ipſis figuris combinandis intelligitur, cur hæ potius, quam aliæ compoſitionem figuræ hieroglyphicæ, quæ figmento reſpondet, ingredi debeant, conſequenter tam in figuris compoſitionem ingredientibus, quam in re ſignificata continetur ratio, cur hæ potius, quam aliæ eſſe debeant figuræ hieroglyphicæ partes (§. 56 *Ontol.*). Et quatenus non denotant niſi ea, quæ enti cuidam vero inſunt, *per demonſtrata*: ſignificatus nullam contradictionem involvit (§. 47 *Ontol.*). Patet igitur denuo figuræ hieroglyphicæ non ineſſe, niſi quæ per principium contradictionis & rationis ſufficientis determinantur. Enimvero datur in ente veritas, quatenus ea, quæ inſunt, per principium contradictionis & rationis ſufficientis determinantur (§. 498 *Ontol.*). Quare etiam in figuris hieroglyphicis veritas ineſt, conſequenter figuræ hieroglyphicæ, quatenus ſignificativæ ſunt, veri cujusdam entis ſpeciem conſtituunt (§. 496 *Ontol.*).

Diſtinguenda eſt veritas, quæ rei ſignificatæ ineſt, a veritate quæ figuræ hieroglyphicæ ineſt, quatenus ſignificativa. Ego valde ſuſpicor, idolorum figuras fuiſſe primum hieroglyphicas & ſignificaſſe attributa Numini tribuenda; ſed ſignificatum hieroglyphicum ſucceſſu temporis obliteratum fuiſſe, ut, quamdiu is ignoretur, miremur, quomodo homines tam abſurdos ſibi fingere potuerint Deos. Noſtrum vero jam non eſt in eam rem ſolertius inquirere. Sufficit principia noſtra inſervire ſignificatui hieroglyphico, ſi quis figmento ineſt, detegendo. Poteramus hactenus demonſtratis ſubjungere theoremata ad ſignificatum hieroglyphicum detegendum utilia; ſed quoniam hodie arte iſta non utimur ad occultanda arcana ſcientiarum atque artis, operæ pretium non videtur talibus immorari.

§. 172.

Imaginatio arbitrio noſtro ſeſe ſubducens.

Si quod figmentum producere conamur: ſæpius prodit figmentum ab eo, quod intenderamus, diverſum. Vel in genere: *Si quid imaginari intendimus, ſæpius phantaſma prodit diverſum ab eo, quod intenderamus.* Ponamus e. gr. te imaginari velle equitem ſeu virum equo inſidentem: præſto tibi erit phantaſma exhibens fœminam equo inſidentem, vel prorſus phantaſma cameli, cui onus impoſitum eſt, cui porro inſidet fœmina quædam. Etenim ſi videns fœminam alio, quam maribus ſolenne eſt, more equo inſidentem in actum equitandi attentionem tuam direxiſti & in eo eandem diu defixam detinuiſti; imaginatio acquiſivit facilitatem ex actu equitationis reproducendi ideam fœminæ equo inſidentis (§. 108). Quodſi jam phantaſma equitis produ turus in equitationem inprimis attentionem dirigis; loco equitis tibi occurret fœmina equo inſidens. Immo dum in eadem defigis attentionem, quamprimum phantaſma naſcitur, ut equi vix ac ne vix quidem tibi conſcius fueris, ad hunc cogitationem tuam prombturus camelum loco equi vides, ex eadem prorſus ratione. Apparet itaque fieri poſſe, ut loco phantaſmatis, quod producere intendis, prodeat aliud ab eo, quod intenderas, prorſus diverſum.

Quoniam figmenta ſunt phantaſmata (§. 170), adeoque ideæ ab imaginatione productæ (§. 91); accidit autem ut imaginari quid intendenti prodeat phantaſma diverſum ab eo, quod intenderat, *per demonſtrata*: fieri etiam debet, ut, dum figmentum quoddam producere conaris, prodeat ſæpius diverſum ab eo, quod intenderas.

Apparet hinc, imaginationem non ita ſubeſſe arbitrio noſtro, quin eidem ſeſe nobis vel invitis ſubducat. Quibus vero mediis eandem coercere valeamus, ex inferius dicendis demum eluceſcet. Facultas fingendi etiam ſeſe in cognitione ſymbolica exerit, ibique periculoſa eſt, cum incauti facile in errorem prolabantur; ſed de hiſce atque aliis ſuo loco dicentur, quæ ſatisfaciunt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

De Memoria, Oblivione & Reminiſcentia.

§. 173.

Ideam reproductam recognoſcere dicimur, quando nobis conſcii ſumus, nos eam jam antea habuiſſe. *Idearum recognitio quid ſit.*

Videmus hominem in templo alibi jam ante viſum. Dum eum intuemur, conſcii nobis ſumus, nos eum jam ante vidiſſe. Similiter librum botanicum evolventes intuemur plantæ cujusdam exoticæ figuram atque nobis conſcii ſumus nos eam jam alias contemplatos fuiſſe. Annulum conſpicientibus imaginatio offert phantaſma alterius, nobisque ſumus conſcii hunc poſteriorem nobis jam alias viſum, aut illius phantaſma ſæpius jam oculis noſtris oberraſſe. Dicimur in hiſce caſibus recognoſcere hominem, quem videmus; plantam, cujus figuram in libro delineatam contuemur; annulum, cujus phantaſma nobis occurrit. Atque ita ſimul patet, nos ideas reproductas recognoſcere poſſe, ut adeo tantummodo inquiri debeat, quandonam & qua de cauſa id fiat: quem in finem propoſitionem ſequentem ſubjicimus.

§. 174.

Si idea reproducta in alia perceptionum ſerie continetur, quam ante percepta continebatur & utriusque ſeriei nobis conſcii ſumus; illam recognoſcimus. Ponamus te vidiſſe Mevium in templo, nunc vero denuo videre in ædibus Titii. Dico te recognoſcere Mevium, hoc eſt, tibi conſcium eſſe, quod eum jam ante videris, quod nunc eum ſenſu percipis una cum ædibus Titii, imaginatio vero phantaſma ejus producit una cum phantaſmate templi & actuum mentis ſuper Mevio in templo reflectentis. Ita nimirum idea Mevii, quæ ſenſu reproducitur, in alia perceptionum ſerie continetur, quam antea conti- *Quando id fiat.*

nebatur, & in hac differentia recognitionis ratio consistit. Etenim dum Mevium vides altera vice & imaginatio reproducit ideam ejusdem; anima utriusque sibi conscia idearum identitatem agnoscit. Enimvero quoniam nunc Mevium vides in ædibus Titii, imaginatio vero eum sistit in templo, atque conscium te reddit actuum mentis, quos videns in templo Mevium in te expertus fuisti; hoc ipso conscius tibi es, te Mevium jam antea vidisse, adeoque eum recognoscis (§. 173). Recognoscis autem ex eo, quod idea Mevii nunc in alia perceptionum serie continetur, quam ante, cum eum primum videres.

Idem etiam sic ostenditur. Mevium videns in ædibus Titii, quem ante videras in templo, recognoscis: id quod experientia certum in dubium vocari nequit (*not. §. præc.*). Ratio igitur adesse debet, cur eum recognoscas (§. 70 *Ontol.*). Enimvero ex eo, quod ab imaginatione producta idea prorsus similis est Mevio, quem vides, non intelligis, quod eum jam ante videris, adeoque similitudo ratio sufficiens recognitionis non est (§. 56 *Ontol.*). Alia igitur detur necesse est. Jam vero per se patet, rationem istam in perceptionibus contineri debere. Quoniam itaque non continetur in ipsa idea Mevii sensus atque imaginationis ope bis producta; necesse est ut contineatur in ideis cum ista simul productis. Ideæ autem simul productæ sunt objectorum & antea, & nunc cum persona Mevii simul perceptorum, atque præterea actionum mentis, quas ante in te expertus es, cum primum videres Mevium, & nunc in te experiris, cum eundem denuo vides. Ergo in his perceptionibus sociis, quæ in utroque casu diversæ sunt, cognitionis ratio continetur. Enimvero si quem in templo vidisti, eum denuo in templo vides; eundem non minus recognoscis, quam si eum alibi vides, etiamsi in objectis utrobique simul perceptis nullam differentiam observes. Sola igitur objectorum simul perceptorum diversitas ratio sufficiens recognitionis non

est

eſt (§. 56 *Ontol.*), conſequenter aliud adhuc præterea requiritur (§. 70 *Ontol.*). Quare cum aliorum tibi conſcius non ſis, quam actionum mentis ſuper objectis perceptis reflectentis; in his ſimul quærenda ratio eſt. Mevium adeo recognoſcis, quatenus ejus idea nunc in alia perceptiorum mentis ſerie eſt, quam in qua continebatur, cum eum primum videres.

Propoſitio præſens propemodum ad notiones communes referri poterat. Etenim quæſitus, unde Mevium, quem in templo videras, nunc vero in Titii ædibus vides, recognoſcas, reſpondes ex eo, quod eum videris in templo. Quæſitus porro, unde certus ſis, quod eum in templo videris, reponis exinde, te certiſſimum eſſe, quod eum ibidem videris, quoniam agnoſcens hominem eſſe tibi ignotum noſſe avebas, quinam eſſet. Accidit nimirum, ut homines quæſiti attentionem dirigant ad ea, quæ in notionibus confuſis involvuntur, adeoque ad reſponſiones eorum attentus plurima addiſcere poſſit, quæ ad evolutionem notionum faciunt. Ceterum propoſitioni præſenti plurimum lucis infertus affundetur, quando de judiciis & ratiociniis dicturi ſumus: tum enim clarius conſtabit, quinam ſint illi actus, ſeu operationes iſtæ mentis, quæ ſeriem perceptionum ingredientes animam juvant in ideis denuo oblatis recognoſcendis. Notandum denique eſt, ideas, quas ante jam habuimus, reproduci vel ſenſuum, vel imaginationis ope, & utrumque caſum in propoſitione præſente ſupponi.

§. 175.

Facultatem ideas reproductas (conſequenter & res per eas repræſentatas) recognoſcendi *Memoriam* dicimus. Quoniam itaque ideas reproductas recognoſcere valemus (*not.* §. 173); *memoriam habemus.* *Memoriæ quid ſit.*

Equidem nemo dubitat, hominem memoria pollere: Quoniam tamen memoriam definivimus, neceſſarium utique videbatur oſtendere, nobis competere memoriam eo ſenſu, quem voci tribuimus, præſertim cum notio memoriæ imaginariæ, quæ communiter obtinet, diverſum quid indigitare videatur. Ne vero hæc quemquam turbet, ſequentem propoſitionem addere libet.

Digitized by Google

§. 176.

Reproductio idearum cur non pertineat ad memoriam.

Facultas ideas, quas antea habuimus, reproducendi, non pertinet ad memoriam. Facultas enim reproducendi ideas rerum, quas antea habuimus, rebus licet abſentibus, quam nobis competere certum eſt (§. 104), ad imaginationem ſpectat (§. 92), adeoque citra confuſionem imaginationis atque memoriæ, duarum facultatum a ſe invicem utique diſcernendarum, ad memoriam referri nequit.

Et fieri ſane poteſt, ut idea aliqua in nobis reproducatur, non tamen recognoſcatur: quo in caſu nemo effectum iſtum memoriæ tribuerit. Ponamus te quid legiſſe in libro quodam, & alio tempore vi imaginationis ideam iſtam in mente tua reproduci, ſed ita ut tibi non ſis conſcius ea, quæ jam mentem tuam ſubeunt, te jam in libro iſto legiſſe. Memoriæ non tribues hunc effectum, quamdiu conſcientia ejus rei abeſt. Unde colligitur, quod notio memoriæ, nec ab uſu loquendi communi abhorreat, etſi inconſtantia loquendi ſignificatum vagum fecerit, ut ſubinde tantiſper varietur, quemadmodum ſæpiſſime accidit eo in caſu, quo definitiones accuratæ deſunt.

§. 177.

Notio imaginaria memoriæ, ſed minus exacta.

Notio memoriæ, quod ſit receptaculum idearum, in quo conduntur & unde rerum uſu exigente denuo promuntur, imaginaria eſt eademque minus exacta. Quoniam enim ideas, quas habuimus, reproducere (§. 104) & reproductas recognoſcere valemus (§. 173); id quandam ſimilitudinem habet cum rebus, quas in receptaculo quodam recondimus, & uſu exigente iterum inde depromimus. Nimirum ideæ, quas habemus, ante non habueramus, reſpondent rebus, quas recondimus, & earum reproductio actui, quo eas depromimus, quando iisdem opus habemus. Fingimus igitur ob hanc ſimilitudinem, quod non eſt, ſcilicet receptaculum quoddam, in quo ideæ acquiſitæ conduntur & ex quo iterum depromi poſſunt, quando iisdem opus habemus, ut facultatem animæ, quæ in oculos non incurrit, veluti iisdem præſens per imaginem ſiſtere valeamus.

Digitized by Google

mus. Quare notio memoriæ, qua nobis eam repræſentamus tanquam receptaculum idearum, in quo conduntur & ex quo uſu ſic exigente iterum depromuntur imaginaria eſt (§. 110 *Ontol.*).

Enimvero quoniam ideas depromere ex receptaculo, in quo reconditæ fuerant, idem eſt ac eas, quas jam ante habuimus, reproducere; facultas vero ideas, quas ante habuimus, reproducendi ad memoriam minime pertinet (*§. 176*); notio imaginaria memoriæ aliquid continet, quod ex ea exulare debebat, adeoque accurata non eſt (*§. 153 Log.*). Accedit quod ad memoriam requiratur idearum reproductarum recognitio (*§. 175*), quæ in notione imaginaria nonniſi tacite ſupponitur, quatenus nempe ſumitur, animam ſibi conſciam eſſe, quod jam ideam ex receptaculo, in quo eam repoſuerat, depromat.

Notio imaginaria memoriæ involvit facilitatem ideas acquiſitas reproducendi, quæ cum in animam cadat, eatenus vicaria veri eſt & in ratiocinando adhiberi poteſt (*not. §. 104 Ontol.*). Admodum circumſpectus tamen eſſe debet ejusdem uſus, ne in errorem incidas. Reproductio enim idearum ſequitur legem imaginationis (§. 104), ad quam ſpectat, neque adeo arbitrii noſtri eſt, cui ſeſe ſubinde vel nobis invitis ſubducit (§. 172), etſi vi idearum juxta legem imaginationis reproductarum reproductionem aliarum intendere ac in eandem deſtinato conſilio tendere valeamus, quemadmodum ex iis liquet, quæ de figuris hieroglyphicis (§. 152 & ſeqq.) & in genere de arbitraria phantaſmatum combinatione (*§. 141*) dicta fuere. Notio autem imaginaria incautis facile imponit, ac ſi arbitrio noſtro prorſus ſubjecta eſſet, quatenus ideas in receptaculo reconditas depromere dicitur, dum eas reproducit ſuppreſſa lege imaginationis, quam violare nequit. Quoniam præterea nonniſi tacite ſupponit, quod maxime omnium ad memoriam ſpectat, immo rationem ejus formalem conſtituit, ut cum Scholaſticis loquar; vix conſultum eſt, ut notione imaginaria unquam utamur, præſertim cum nihil difficultatis habeat facilitas reproducendi ideas & facultas reproductas recognoſcendi, quam utramque menti competere conſtat absque ulla fictione (§. 108. 174), ac diverſæ iſtæ facultates non commode eodem nomine inſigniantur. Habemus nimirum in mente facultatem res ſenſu

perceptas denuo reproducendi (§. 104), quæ ita comparata est, ut facilitatem id faciendi nobis acquirere valeamus (§. 108), itemque facultatem ideas reproductas recognoscendi (§. 173). Has igitur facultates a se invicem nominibus distingui convenit. Facultas prima sensus dicitur (§. 67), secunda Imaginatio (§. 92): tertiæ igitur relinquitur Memoriæ nomen. Si quis tamen facilitatem reproducendi ideas a facultate easdem reproducendi separate & ad memoriam trahere velit, is per nos abundet suo sensu: nulla tamen ratio nobis suadet, ut idem faciamus.

§. 178.

Memoriæ mandare dicimur illud, cujus ideam reproducendi facilitatem nobis comparamus.

Memoriæ mandari quid dicatur.

Supponit phrasis notionem memoriæ imaginariam: quam etsi non probemus (§. 177), multo minus autem admittamus, si quis ea uti velit ad memoriam veluti a priori per causas suas explicandam, cum sic in notionem deceptricem degeneret (§. 38 *Log.*); consultum tamen est communes loquendi formulas ad significatum naturæ mentis humanæ conformem reduci, ut iisdem circa veritatis dispendium uti liceat.

§. 179.

Quomodo id fiat.

Quoniam itaque facilitas reproducendi ideas acquiritur, si res sæpius ac diu sensu, sive imaginatione simul percipiantur (§. 108); *memoriæ mandamus ea, quæ sæpius vel diu simul percipiuntur, sive id fiat sensuum, sive imaginationis ope* (§. 178).

Consentanea hæc sunt experientiæ obviæ. Neque enim alius memoriæ quid mandandi modus in praxi communi receptus est, quam ut objectum aliquod sæpius, vel diu sensibus præsens sistamus & verba, quæ memoriæ mandari debent, sæpius repetantur. Atque hinc apparet, nos in explicandis formulis communibus ab usu loquendi non recedere (§. 139 *Log.*).

§. 180.

Memoria retinere dicimur id, cujus ideam reproducendi & reproductam recognoscendi facilitatem conservamus.

Memoria quid retineri dicatur.

Etsi

Etſi enim proprie loquendo memoriæ tantummodo ſit ideam reproductam recognoſcere (§. 175): quoniam tamen recognoſci nequit, niſi ante reproducatur; ſi quid memoria retineri debet juxta communem uſum loquendi, eandem quoque reproducendi facilitatem conſervare debemus.

§. 181.

Quomodo id fiat.

Quoniam facilitas reproducendi ideam acquiritur, ſi eam ſæpius reproducas (§. 108), atque adeo, ſi vel maxime amiſſa fuerit, eodem modo reparatur; ea vero recognoſcimus, quæ ſæpius ſimul cum aliis percipimus (§. 174); multo magis hoc pacto facilitas ideam reproducendi & reproductam recognoſcendi conſervare debemus. *Memoria* igitur *retinemus ea, quorum ideam ſæpius in nobis reproducimus, ſive id fiat ſenſuum, ſive imaginationis ope.*

Conſentit denuo praxis communis: neque enim habemus aliud medium, quo memoriæ ſemel infixa eadem retinere ſtudemus, quam *repetitionem*, quæ in iterata idearum earundem reproductione conſiſtit. Propoſitio adeo præſens ita etiam efferri poterat: *Memoria retinemus, quæ frequenter repetimus*; ſiquidem definitionem repetitionis præmittere libuiſſet.

§. 182.

Differentia memoriæ in diverſis ſubjectis.

Alii diuturniore objecti contemplatione, vel pluribus actibus iteratis facilitatem ideas reproducendi & reproductas recognoſcendi ſibi comparant; alii minus diuturna contemplatione & paucioribus actibus iteratis ad id opus habent. Experientia obvia idem loquitur, ad quam hic provocare ſufficit (§. 666 *Log.*).

Continetur in his ratio, cur in memoria gradus admittamus, & unum altero memoria præſtare affirmemus, etſi ea non ſit unica.

§. 183.

Alia differentia.

Alii plures ideas reproductas recognoſcere valent, alii pauciores. Loquitur & hoc experientia obvia, ut adeo denuo ad eam provocare ſufficiat (§. 666 *Log.*).

In

In his quoque continetur ratio, cur in memoria gradus admittantur & uni majorem, alteri minorem memoriam tribuamus.

§. 184.

Ulterior differentia.

Alii frequentius iterata idearum reproductione memoria retinent, quod eidem demandarunt; alii minus frequenter iterata idearum reproductione memoriæ semel infixa retinent. Nec hoc a communi, & obvia experientia abhorret, ut adeo hic etiam ad eam provocare sufficiat.

En rationem ulteriorem graduum memoriæ in diversis subjectis diversorum.

§. 185.

Alia memoria differentia.

Alii ideam memoriæ demandatam reproducere & recognoscere valent, etsi multo tempore eandem non reproduxerint: alii eam non amplius reproducere, nec reproductam recognoscere valent, si aliquo tempore eandem non reproduxerint. Patent hæc non minus obvia experientia, ut ad eam provocasse sufficiat (§. 666 *Log.*).

Gradus hinc memoriæ tribuuntur ab diversitatem temporis, quo eadem idea a duobus subjectis memoriæ demandata fuit: sed in comparatione subinde quoque habenda ratio modi, quo quid memoriæ infixum fuit. Multa attentione opus est, ne inter se comparemus, quæ ob diversitatem aliquam intercedentem comparare non licet.

§. 186.

Citò quinam memoriæ quid mandet.

Citò memoriæ quid mandare dicitur, qui minus diuturna contemplatione objecti paucioribusque actibus iteratis id facit, quatenus actus pauciores ceteris paribus minus temporis spatium exigunt. Unde ex adverso colligitur, quinam *tardius memoriæ quid demandare* dicendus sit.

Numerus actuum, quibus quid memoriæ infigitur, hic non attenditur; sed tantummodo tempus, quod uni eorum necessario impendendum pro eorundem numero reduplicari debet, ita ut actus idem bis, ter, quater iteratus exigat tempus duplum, triplum, quadruplum ejus, quod uni impenditur.

§. 187.

Digitized by Google

§. 187.

Absque multo labore ſeu *facile quid memoriæ mandare* dicitur, qui paucioribus iteratis actibus id facit, vel etiam minus diuturna objecti contemplatione, quatenus ea pauciores operationes mentis continet. Unde ex adverſo colligitur, quinam *difficulter quid memoriæ mandare* dicendus ſit. *Facile quinam memoriæ quid mandet.*

Nimirum hic temporis nulla habetur ratio, ſed ſpectantur tantummodo operationes mentis, quibus in contemplatione objecti utimur ad ideam ejus memoriæ infigendam.

§. 188.

Diu memoria quid retinere dicitur, qui ideam ejus reproducere & reproductam adhuc recognoſcere valet, etiamſi longo tempore eandem non reproduxerit. *Diu memoriæ quinam quid retineat.*

Revocamus ad notiones diſtinctas & determinatas communes loquendi formulas, ne notiones confuſæ, quæ iisdem adhærent, cum aliquid imaginarii a notione memoriæ imaginaria trahant (§. 177), incautis imponant. Id enim plurimis ſolenne eſt, ut notionem ex verbis, non ex rebus derivent.

§. 189.

Bonam memoriam habere dicitur, qui cito & facile quid eidem mandat, diuque retinet. *Bona memoria quænam.*

Utrumque ad bonam memoriam ex communi uſu loquendi requiri ad communes ſermones attenti diſcimus. Videas enim homines mirantes, ſi quis cito & facile quid memoriæ mandat, ſed non diu retinet: cum ex priore bonitatem memoriæ colligant, poſterius tamen eidem adverſari exiſtimant.

§. 190.

Bonitas memoriæ diverſos admittit gradus, tum quatenus quid memoriæ cito, tum quatenus facile mandatur, tum quatenus diu retinetur. Bonitas enim memoriæ cum conſiſtat in aptitudine animæ aliquid cito ac facile eidem mandandi diuque retinendi (§. 189); in determinationum animæ (§. 122. *Gradus bonitatis memoriæ.*

Digitized by Google

112 *Ontol.*) & quidem intrinsecarum numero est (§. 545 *Ontol.*). Quare cum fine tertio assumto intelligatur, quod per se patet; in qualitatum animæ numero est (§. 452 *Ontol.*). Jam vero qui cito quid memoriæ mandat, minus diuturna contemplatione objecti ac paucioribus actibus iteratis id facit, quatenus scilicet actus pauciores ceteris paribus minus temporis spatium exigunt (§. 186): Qui facile quid memoriæ mandat, paucioribus iteratis actibus id facit, vel etiam minus diuturna contemplatione, quatenus ea pauciores operationes mentis continet (§. 187): Qui denique diu quid retinet, ideam ejus reproducere & reproductam adhuc recognoscere valet, etiamsi longo tempore eandem non reproduxerit (§. 188). Quare cum alii diuturniore objecti contemplatione, vel pluribus actibus iteratis facilitatem ideas reproducendi & reproductas recognoscendi, consequenter memoriæ quid mandandi (§. 178), sibi comparent; alii minus diuturna contemplatione opus habeant (§. 182), alii frequentius iterata idearum reproductione memoria retineant, quod eidem demandasunt; alii minus frequenter iterata earum reproductione memoriæ semel infixa retineant (§. 184): alii denique ideam memoriæ demandatam reproducere & recognoscere valeant, etsi multo tempore eandem non reproduxerint; alii eam non amplius reproducere, nec reproductam recognoscere valeant, si aliquo tempore eandem non reproduxerint (§. 185): qualitas illa animæ in diversis subjectis differt, consequenter cum id, quo qualitates eædem salva identitate differre possunt in diversis subjectis, sit gradus (§. 746 *Ontol.*); bonitas memoriæ gradus admittit, tum quatenus quid memoriæ cito, tum quatenus facile mandatur, tum denique quatenus diu retinetur.

Bonitas memoriæ consideratur instar termini simplicis, cui aliqua notio respondet independenter a memoria in se considerata (§. 108 *Log.*). Unde bonitas memoriæ spectatur tanquam qualitas animæ, non tanquam qualitas memoriæ: quamvis respectu motionis

tionis imaginariæ memoria instar qualitatis ejusdem considerari possit (§. 177), a qua tamen abstinemus, cum nulla necessitas exigat ut quid ficticii admittamus (*not.* §. *cit.*).

§. 191.

Gradus bonitatis memoriæ æstimantur ex tempore impendendo, ut quid memoriæ mandetur; ex numero actuum, quibus ideæ reproductæ memoriæ demandantur; ex numero denique actuum, quibus infixæ retinentur. Bonitas enim memoriæ gradus admittit, quatenus quid eidem cito ac facile demandatur, diuque eadem retinetur (§. 190). Quare cum cito quid memoriæ mandetur, quod minus diuturna contemplatione objecti & paucioribus actibus iteratis mandatur, quatenus actus pauciores ceteris paribus minus temporis spatium exigunt (§. 186); in bonitate memoriæ æstimanda, quatenus quid cito eidem demandatur, temporis inprimis ratio habetur. Gradus igitur bonitatis memoriæ, quatenus quid cito eidem demandatur, æstimatur ex tempore, quo quid memoriæ mandatur. *Mensura graduum bonitatis memoriæ.*

Porro qui facile quid memoriæ mandat, paucioribus iteratis actibus id facit, vel etiam minus diuturna contemplatione, quatenus ea pauciores operationes mentis continet (§. 187). In bonitate igitur memoriæ æstimanda, quatenus quid facile eidem mandatur, numeri actuum habetur ratio, quibus aliquid eidem mandatur, consequenter gradus bonitatis memoriæ, quatenus quid facile eidem mandatur, æstimanda venit ex numero actuum, quibus repetitis quid eidem mandatur.

Denique qui diu quid memoria retinet, ideam ejus reproducere & reproductam adhuc recognoscere valet, etiamsi longo tempore eandem non reproduxerit (§. 188). In bonitate igitur memoriæ æstimanda, quatenus quid diu eadem retinetur, numeri actuum habetur ratio, quibus diverso tempore re-

Digitized by Google

repetitis ideæ memoriæ mandatæ retinentur, conſequenter gradus bonitatis memoriæ, quatenus eadem diu quid retinetur, æſtimatur ex numero actuum, quibus diverſo tempore repetitis memoriæ ſemel infixa in eadem retinentur.

Etſi ope propoſitionis præſentis gradus bonitatis memoriæ inter ſe diſtingui poſſint in diverſis ſubjectis; in applicatione tamen circumſpectione opus eſt, ne fallamur. Seponimus enim impedimenta, quæ ſeſe offerre ſolent atque mentem ab attentione avocant, quam ad res memoriæ mandandas affere debet. Hæc certe abſente & tarde, & difficulter memoriæ mandatur, quod alias cito ac facile mandari poterat. Unde accidit, quædam ab eodem ſubjecto tarde ac difficulter memoriæ mandari, cum alia cito atque facile eidem infigantur, prout ſcilicet vel voluptatem, vel tædium quis percipit ex iis, quæ memoriæ retingri debent. Sed hæc ex inferius dicendis partim de attentione, partim de voluptate ac tædio patebunt.

§. 192.

Magnæ memoriæ quænam dicantur.

Magnam memoriam habere dicitur, qui multarum rerum ideas reproducere & reproductas recognoſcere, longam quoque rerum ſeriem memoria retinere valet.

Ita memoriam magnam ei tribuimus, qui integra loca, ne ſyllaba quidem immutata, ex Autoribus recitare valent. Magnam quoque memoriam tribuimus, qui multarum rerum notitiam ita animo comprehenſam tenent, ut data occaſione ideas in ſe reproducere & reproductas recognoſcere valeant. Exempla ſpecialia in priori caſu præbent illi, qui integra Biblia, vel Corpus juris integrum memoriæ ita infixerunt, ut ſingula juſto ordine recitare aliisque in calamum dictitare potuiſſent, ſi Biblia amiſſa, vel Corpus juris amiſſum reſtitui debuiſſent. In poſteriori caſu exemplum ſpeciale offerunt, qui plurimarum diſciplinarum campum ita emenſi ſunt, ut de ſingulis, quotiescunque fert occaſio, diſſerere valeant.

§. 193.

Gradus memoriæ & imaginationis.

Memoria & imaginatio admittunt gradus, quatenus rerum multarum ideas reproducere & reproductas recognoſcere valemus. Imaginatio eſt facultas ideas reproducendi (§. 104.),

nec-

memoria facultas reproductas recognoſcendi (*§.* 175), adeoque utraque determinatio animæ (*§.* 122. 112 *Ontol.*), eaque intrinſeca (§. 545 *Ontol.*), conſequenter cum ſine tertio aſſumto intelligi poſſit, qualitas (*§.* 152 *Ontol.*). Enimvero alii plures ideas reproducere & reproductas recognoſcere valent, alii pauciores (*§.* 183). Quare cum id, quo qualitates eædem identitate ſalva in diverſis ſubjectis differre poſſunt, ſit gradus (*§.* 746 *Ontol.*); imaginatio & memoria gradus habent, quatenus rerum ideæ reproducuntur & agnoſcuntur.

Gradus memoriæ ipſius diſtinguendi ſunt a gradibus bonitatis ipſius. Quemadmodum enim in iſtis memoriæ magnitudo conſiſtit (§. 192); ita hi bonitatis magnitudinem conſtituunt (§. 190).

§. 194.

Magnitudo memoriæ æſtimatur ex numero rerum, quarum ideas reproducere & reproductas recognoſcere valemus, tum diverſo tempore ſigillatim perceptarum, tum eodem tempore in continua ſerie ſimul perceptarum. Qui enim magnam memoriam habent, multarum rerum ideas reproducere & reproductas recognoſcere, longam quoque rerum ſeriem memoria retinere valent (*§.* 192). In magnitudine igitur memoriæ æſtimanda habenda eſt ratio multitudinis rerum, ſive diverſo tempore ſigillatim, ſive eodem in continua ſerie ſimul perceptarum, quas reproducere ac reproductas recognoſcere valemus, conſequenter numeri illarum rerum (§. 340 *Ontol.*). *Magnitudo memoriæ unde æſtimetur.*

Duplicem magnitudinis memoriæ menſuram offert propoſitio præſens, ſcilicet numerum rerum ſigillatim antea perceptarum, & numerum rerum in continua ſerie eodem tempore perceptarum. Menſura una non æquipollet alteri, cum una in alterius locum ſurrogari non poſſit: neque enim qui longam rerum ſeriem memoriæ mandare valet, ut eandem, quando ita viſum fuerit, denuo recitare poſſit, ideo multarum quoque rerum diverſo tempore perceptarum ideas retinere valet; nec ex adverſo longam rerum ſeriem ſucceſſive perceptarum memoria tenere valet, qui rerum ingentem multitudinem

memoriam quasi obrutam habet. Non tamen repugnat, ut uterque gradus locum habeat in eodem subjecto.

§. 195.

Exercitium quid dicatur.

Actuum specie vel genere eorundem iteratio dicitur *Exercitium:* quod adeo *gradus admittit pro numero actuum partim eodem, partim diverso tempore repetitorum.*

Ita exercitium scribendi consistit in iteratione actuum scribendi, sive eadem continuo scribas, sive diversa. Similiter exercitium saltandi consistit in iteratione actuum ad saltationem requisitorum. In utroque casu iteratio eodem tempore continua esse potest; diverso autem tempore interrupta est, quatenus inter unam & alteram actuum continuo iteratorum seriem tempus interjicitur, quo nullus istiusmodi actus existit.

§. 196.

Exercitia, quibus quid memoriæ mandatur & retinetur.

Quoniam actibus eodem tempore, vel etiam diverso iteratis memoriæ mandamus, quod retinere volumus (§. 176); *ut quid memoriæ mandetur & eadem retineatur, exercitio opus est* (§. 195).

Per naturam & essentiam nimirum animæ fieri potest, ut ideas rerum semel perceptarum reproducamus, reproductas recognoscamus & facilitatem utrumque faciendi conservemus. Sed ut actu in anima obtineat, quod per naturam & essentiam ejus possibile, exercitio opus est. Hinc oleum & operam perdunt in ideis rerum sibi comparandis, qui negligunt exercitia eas memoriæ mandandi & semel eidem mandatas eadem retinendi. Sed de his plura paulo inferius, ubi de oblivione agemus.

§. 197.

Modus extendendi imaginationem & memoriam.

Exercitio obtinetur, ut imaginatio ideas plures simul reproducat & per longius temporis spatium immutatas conservet. Illustre exemplum nobis præbet *Joannes Wallisius*, Mathematicus merito suo celeberrimus, qui Algebræ C. 103 f. 449 Vol. II. Oper. narrat, se nocte mera peregisse operationes arithmethicas in numeris multo majoribus, quam quis speret clara

luce

luce fieri posse. Sane cum *Joannes Georgius Pelshover*, Regiomontanus Borussus, A. 1670 d. 18 Februarii stylo Angliæ ipsum inviseret; noctu in tenebris decumbens, sola fretus memoria, ex numero 53 locorum 246813579101214111315161820171921222426283023252729 31 radicem quadratam 27 locorum 157103016871482805817152171 fere extraxit non alia usus methodo, quam quæ communiter usitata. Immo f. 550 addit, se res mathematicas, etiam subtilissimas longaque consequentiarum serie connexas, & demonstrationes bene longas & satis intricatas haud felicius expedire potuisse quam nocte silente & meris tenebris, quando nihil adfuit, quod aures oculosve alio abriperet, quin posset tota mentis attentione illis incumbere, totumque rei ambitum, etiam late patentem, una quasi synopsi animo præsentem sistere, eamque sic enodare & ordinare, ut alias vix potuerit. Ipse autem ingenue fatetur, quod eam vim imaginationis atque memoriæ exercitio fuerit consecutus. Etenim f. 449. Cum antehac, inquit, curiositatis gratia tentaverim aliquando, quousque vis memoriæ mihi suppeteret ad peragendas operationes arithmeticas (puta multiplicationem, divisionem, radicum extractionem similesve) absque ope calami & atramenti, aut quæ horum instar sunt: remque satis succedere deprehenderim (verbi gratia) in extrahenda radice quadratica, ex numero figuris 8, 10, 12 aut etiam pluribus scripto: procedere visum est pedetentim (non quidem uno impetu eodemque tempore, sed successive pluribus intervallis) idem experiri (nec sine successu) in numeris (quod ajunt) locorum 20, 30, 40. Ad domesticam quoque provocare possum experientiam. Etenim initio studii mathematici ac inprimis algebraici in lecto decumbens meris tenebris problemata algebraica solvi & calculo ad finem perducto formulas geometricæ construxi sola imaginationis ac memoriæ vi, eumque interdiu solutionem ac constructionem repeterem, nec nihil a vero aberrasse depre-

deprehendi. Satis autem ſuperque recordor, me nonniſi prævio exercitio id obtinuiſſe.

Cur tempus nocturnum faveat in præſente negotio, jam non inquirimus, etſi *Walliſius* in iis, quæ adduximus, verbis haud obſcure id innuat. Paulo enim deinceps ex inſtituto ea de re nobis dicendum erit, ubi de attentione agemus. Ceterum quæ præſens fert propoſitio, ea unusquisque in ſeipſo experiri poterit, juniore præſertim ætate, utut cum *Walliſio* non ad eandem metam perveniat.

§. 198.

Extenſio imaginationis & memoriæ quid ſit.

Imaginatio dicitur extendi, ſi plures ideas ſimul producere & per longum temporis ſpatium productas conſervare apta redditur. Et *Memoria* extendi dicitur, quatenus ideas iſtas continuo recognoſcit. Quoniam itaque exercitio efficitur, ut imaginatio ideas plures ſimul producere & per longius temporis ſpatium immutatas conſervare valeat (§. 197); nos autem identitatis idearum conſervatarum nobis continuo conſcii ſumus, experienria teſte, easdemque adeo continuo recognoſcimus (§. 173); *imaginationem & memoriam exercitio extendere valemus.*

Extenſio imaginationis & memoriæ adeo firmiter cohærent, ut hæc una cum illa obtineatur. Quodſi tamen ſufficiente acumine utamur, memoriæ quid acquiri, dum imaginatio extenditur, quod ante iſti non aderat, haud difficulter perſpicitur. Etenim memoriæ tribuitur, quod omnium iſtarum idearum, quas ſimul appercipimus, identita tem per omnem temporis tractum agnoſcamus, quemadmodum ex demonſtratione corollarii præſentis liquet, quodque quasdam reproductas recognoſcamus. Exemplo anteriori (§. 197) idem palam redditur. Etenim dum *Walliſius* ſibi primum propoſuit numerum 63 locorum, ut inde extraheret radicem; fieri non potuit, ut totum continuo obtutu comprehenderet. Quamobrem tot ejus notas reproducere debuit in ipſa operatione, quot neceſſariæ erant ad ſingulas operationes particulares. Duplex vero hic fuit memoriæ officium, ſcilicet ut ejus vi agnoſceremus identitatem notarum reproductarum cum iis, quæ in ſerie vi imaginationis primum aſſumta locum iſtum occupabant, & ut durante operatione aliqua particulari agnoſce-

Digitized by Google

agnoſceret, notas, quarum nobis conſcii ſumus, eſſe conſtanter easdem. In his extenſio memoriæ conſiſtit, quæ ab extenſione imaginationis, quæ ideas producit & conſervat, utique diverſa.

§. 199.

Si quis imaginationem & memoriam extendere velit; a gradu minori extenſionis continuo progrediendum ad maiorem. Probat idem exemplum *Walliſii* & quilibet experimentum in ſemetipſo capere poteſt. Etenim *Walliſius* operationes prolixas arithmeticas ſola imaginationis, atque memoriæ vi abſoluturus initium fecit in numeris ex 8, 10, 12 figuris conſtantibus ac deinde progreſſus continuo eſt ad prolixiores, donec tandem in numero 53 locorum eandem perficere poſſet. Si enim exercitia per ſingulos dies continuentur, & ſingulis diebus inſenſibiliter difficiliora inſtituantur; nulla eſt ratio, cur his imaginatio & memoria ſufficere non debeat, cum anterioribus ſeu proxime præcedenti ſufficerent. Per inſenſibilia autem incrementa cum differentia quantumvis magna ſucceſſu temporis inter exercitia prima & ultima enaſcatur; imaginatio quoque & memoria continuo magis magisque extenditur. *Initium & progreſſus extenſionis memoriæ.*

Domeſticam hic quoque experientiam appellare poteram, ad quam ante (§. 197) provocavi: ipſe enim probe memini, me a facilioribus exorſum ad difficiliora progreſſum fuiſſe per inſenſibilia incrementa. Et ſane ſi quid memoriæ mandandum, quod prolixius eſt; citius ac facilius idem efficitur, ubi particulam unam alteri continuo addis, quam ſi uno veluti impetu totum eidem ingerere conaris. Conſultiſſimum eſt, ſi quis experimentum in ſeipſo capere ſtudeat. Quousque progredi poſſit, experientia docebit.

§. 200.

Quæ diſtincte percipiuntur, memoriæ facilius mandantur diutiusque ea retinentur, quam quæ confuſe percipiuntur. Si quid enim diſtincte percipimus, plura ſigillatim enunciabilia in eadem diſtinguimus (§. 38). Ponamus majoris evidentiæ *Diſtincta perceptio cur juvet memoriam.*

tiæ gratia nos in objecto O discernere, quæ insunt, A, B, C, D, E &c. & ea eodem ordine se invicem excipere, quo literæ se invicem consequuntur. Patet nos primo ipsum A sigillatim nobis repræsentare, non attentis ceteris quæ adsunt, atque deinde cogitationem successive ad B, C, D, E &c promovere. Quare dum per aliquem temporis tractum singula hæc, quæ insunt, A, B, C, D, E &c. sensui vel imaginationi præsentia sistimus & ad ordinem, quo se invicem consequuntur, respicientes, A & B simul, D & E simul &c. percipimus, facilitatem acquirimus una cum A reproducendi perceptionem ipsius B, & cum ipso B perceptionem ipsius C ac ita porro (*§.* 108), ut adeo excitata idea ipsius A recurrat quoque idea ipsius B & hinc porro ipsius C ac ita porro (*§.* 109). Atque ita ipsum O memoriæ mandamus (*§.* 178), eo quidem successu, ut perinde sit ac si unicum saltem A, vel B, vel C, vel D, vel E eidem mandassemus.

Enimvero qui objectum O nonnisi confuse percipit, quæ ipsi sigillatim enunciabilia insunt, A, B, C, D, E &c. non distinguit (*§.* 39), adeoque totum uno obtutu comprehendit. Quoniam igitur non attendit ad numerum eorum, quæ ipsi O insunt, nec ad ordinem, quo invicem sequuntur; subsidio illo destituitur, quo in distincta perceptione idea ipsius B producitur ope alterius A, idea ipsius C ope alterius B ac ita porro. Quamobrem cum in priori casu subsidium quoddam reproducendi & recognoscendi ideas suppeditetur, quo in altero casu caremus; diuturna objecti contemplatione in casu priori memoriæ idem mandari debet, quam in posteriori, secus enim subsidium istud nullum foret, consequenter distincte percepta facilius memoriæ mandari debent, quam quæ confuse percipiuntur.

Si quis de veritate facti dubitet, eum a posteriori convinci consultum est. Quamobrem propositionem præsentem experientia adhuc confirmare lubet, utut rationem ejus perspexe-

spexerimus. Ponamus te legere historiam quandam præsertim prolixiorem multisque circumstantiis perplexis involutam. Quodsi lectionem ita instituas, ut textum autoris distincte resolvas, singula facta, singulas circumstantias a se invicem separans ac ordinem, quo se invicem excipiunt, perpendens; te quæ legisti exactissime enarrare posse intelliges, cum idem a te fieri nondum posse animadvertas, etsi eodem tempore consumto textum autoris aliquoties relegeris. In casu priori historiam distincte percipis (§. 38); in posteriori confuse (§. 39). Quoniam historiam in casu primo accurate enarrare vales; in posteriori non item; ideam ejus reproducendi & reproductam recognoscendi facultatem in casu priori tibi comparasti, quam in casu altero nondum acquisivisti, adeoque in priori memoriæ eandem mandasti (§. 178), eandemque eadem retinuisti (§. 180), cum in priori eandem memoriæ nondum mandaveris, nedum retinueris. Idem vero lectioni impendisti tempus, adeoque æque diuturna fuit objecti contemplatio. Quamobrem in casu priori facilius memoriæ historiam mandasti & retinuisti, quam in altero. Distincte igitur percepta facilius memoriæ mandari ac diutius eadem retineri, quam confuse percepta patet. Idem experiri licet in demonstrationibus præsertim prolixis, quæ distincte resolutæ & sensui ac imaginationi objectæ multo facilius memoriæ mandantur diutiusque eadem retinentur, quam ubi in confuse percepta acquieseis. Immo idem experiri licet in lectione librorum quorumcunque.

Maximæ utilitatis est propositio præsens, cum ostendat modum multa memoriæ facile mandandi ac firmiter eadem retinendi. Et huic sane consentanea est praxis omnis, qua memoria juvatur, qualiaeunque tandem sint artificia, quibus eidem succurritur. Inter illa artificia occurrit dogmatum in tabulas relatio, in quibus uno quasi conspectu exhibentur, quæ de eodem subjecto tenenda sunt, ac præterea in classes quasdam generales revocantur numerisque distinguuntur, ut & distincte percipi possint, si singula sigillatim perlustrantur & quo ordine se invicem excipiant perpenditur, & confuse quoque percipian-

cipiantur, ſi uno obtutu totam tabulam comprehendis. Ita enim obtinetur, ut & integram tabulam ſolius imaginationis ac memoriæ vi tibi repræſentare ac eadem ſingulas in eadem claſſes deſignare, & in ſingulis deſcribere valeas, quæ iisdem conveniunt. Quodſi diſtincta perceptione juves imaginationem atque memoriam, ut tabulam, quam conſtructam perluſtraſti, tanquam præſentem tibi repræſentare & ſingula in eadem collocanda tanquam in iisdem deſcripta exhibere valeas; eo ipſo imaginatio & memoria haud parum extenditur (§. 198). Quamobrem etſi diſciplinis conveniat methodus ſcientifica, quæ unumquodque eo loco tradi jubet, quo per antecedentia intelligi ac demonſtrari poteſt (§. 133 *Diſc. prælim.*); non tamen ideo contemnendæ ſunt tabulæ mnemonicæ, quæ doctrinis, quibus imbutus eſt animus & quarum evidentiam ex demonſtrationibus, ſicuti claritatem ex definitionum legitima concatenatione per ſubordinationem decentem facta (§. 119 *Diſc. prælim.*) hauſit, facile retinendis inſerviunt. Noſtra ætate fere in deſuetudinem abiit tabularum iſtarum uſus, ſane eximius, ſi in præjudicium methodi ſcientificæ non tendat, qua in re peccatum eſt a majoribus; ſed vel ad ſyſtematicam tractationem præparet tyronem, vel eidem abſolutæ ſuperaccedat, quando nimirum nihil amplius ſupereſt, quam ut clare ac evidenter percepta memoriæ fideliter mandentur, ut, quæ didiciſti veraque cognoviſti, occaſione ita ferente dextre ac utiliter applicare poſſis. De tabulis iſtis mnemonicis plura diximus in Horis ſubſecivis A. 1730. trim. æſtiv. num. III.

§. 201.

Artificioſa idearum reproductio & recognitio.

Si ideas rerum vel verborum reproducendas ad objecta quædam viſibilia referimus, veluti ſi verba in iis deſcripta imaginamur; conſpectu objectorum ideæ in nobis reproducuntur & recognoſcuntur. Quodſi enim verba quædam aut nomen rei cujusdam objecto cuidam viſibili veluti inſcripta tibi imagineris (id quod fieri poſſe, quovis momento in temetipſo experiri poteris); objectum iſtud verbaque eidem inſcripta vi imaginationis ſimul percipis, actusque imaginationis tibi conſcius es. Quodſi jam objectum iſtud intueris, illud neceſſario percipis (§. 79). Enimvero ſi qua ſimul percepimus & unius perceptio

cepti o denuo producitur ſenſus vi, imaginatio etiam perceptionem alterius producit (§. 104). Ad conſpectum igitur objecti ideæ verborum, quæ eidem veluti inſcripta imaginatus fueras, ſimul reproducuntur una cum actu imaginationis, quo ea quaſi inſcripſeras, conſequenter reproductas recognoſcis (§. 174). Si verbis ideam rei ſubſtituas; demonſtrationem adhuc eandem ſubſiſtere animadvertes.

Propoſitio præſens eſt fundamentum artificiorum, quibus ad juvandam imaginationem & memoriam utimur. Per legem enim imaginationis patet (§. 117), reproductionem idearum non aliter arbitrio noſtro ſubjici poſſe, quam ubi eas cum ideis aliis per coexiſtentiam aut immediatam ſucceſſionem copulamus. Quicquid igitur ad reproductionem idearum dato tempore abſolvendam inſervire debet, ex hoc fonte derivandum, niſi quatenus eorum ratio ſimul haberi poteſt, quæ imaginationi ac memoriæ extendendæ inſerviunt (§. 199. 200).

§. 202.

Artificium memoriæ dicimus actionem, qua quid aptum efficitur ad idearum reproductionem & recognitionem juvandam, quod per ſe eandem juvare non poterat. *Artificium memoriæ.*

Ita ſi nobis imaginemur, verba quædam parieti adſcripta; hoc ipſo efficimus, ut conſpecto pariete verborum iſtorum idea in nobis reproducatur & reproducta recognoſcatur (§. 201): conſiſtit igitur in hac actione, qua parietem aptum efficimus ad ideam verborum reproducendam & eorum recognitionem juvandam, artificium memoriæ. Scilicet memoriæ artificium eſt, quod diu vel ſæpius verba iſta veluti parieti inſcripta nobis imaginemur, & parietem intuemur, quando verborum illorum meminiſſe voluerimus.

§. 203.

Quoniam per artificium memoriæ aptum quid redditur ad idearum reproductionem & recognitionem juvandam, quod per ſe ad eandem nil quicquam conferre poterat (§. 202); imaginationis vero eſt ideas reproducere (§. 104), memoriæ re- *Artificiorum iſtorum uſus.*

Digitized by Google

productas recognoscere (§. 175); *per artificia memoriæ imaginatio & memoria arbitrio nostro subjicitur.*

Artificiis nimirum istis obtinetur, ut ideas reproducamus & reproductas recognoscamus, quando & ubi nobis libuerit.

§. 204.

Artis mnemonica definitio.

Ars mnemonica seu *Ars memoriæ* dicitur ars memoriam extendendi artificiisque juvandi, *Mnemonicorum* nomine veniunt præcepta illius artis.

Veteribus hanc artem fuisse cultam, ex autore ad *Herennium* lib. 4. constat, ubi tamen eandem restringere videtur ad sola artificia, quibus memoria juvatur (§. 202). Sed consultius esse videtur, ut arti huic tribuamus, quicquid a nobis ad memoriam amplificandam, perficiendam & quocunque modo juvandam proficisci potest. Eccur enim entia multiplicemus præter necessitatem? Fertur *Simonides* primum invenisse hanc artem, quemadmodum narrat *Cicero* lib. 2. de Oratore. Artem mnemonicam in se significatu strictiori describit laudatus antea autor ad *Herennium*, quem si consulere volueris, constabit utique eam non alio niti fundamento, quam quod paulo ante adstruximus (§. 201).

§. 205.

Memoria naturalis & acquisita, atque artificialis differentia.

Memoria naturalis dicitur, quæ homini absque ulla exercitatione prævia & ullis artificiis inest. *Acquisita* appellatur, quæ prævia exercitatione & artificiorum ope comparatur. Ejus adeo species est *artificiosa*, quæ nonnisi artificiorum ope in nobis datur.

Hoc sane sensu memoriam artificiosam sumunt veteres, ut videre est apud *Ciceronem* atque *Herennium*: sed iidem exercitatione comparatum a naturali non distinguunt, quod tamen fieri nobis commodum visum. Maluimus adeo memoriæ naturali opponere acquisitam, quæ duas sub se complectitur species, alteram innominatam, alteram artificiosam. *Goclenio* in Lexico memoria artificiosa & acquisita synonyma sunt.

§. 206.

Memoria acquisita

Memoria acquisita ac in specie artificiosa arte mnemonica obti-

Digitized by Google

obtinetur. Memoria enim acquiſita prævia exercitatione & artificiorum ope obtinetur (§. 205), ac in ſpecie quidem artificioſa artificiorum ope comparatur (§. *cit.*). Enimvero arte mnemonica memoria extenditur (§ 204), adeoque exercitatione prævia (§. 192): arte etiam mnemonica per artificia juvatur memoria (§. 204). Memoria igitur acquiſita & in ſpecie artificioſa arte mnemonica obtinetur. *quomodo obtineatur.*

Apparet adeo uſus artis mnemonicæ, quæ memoriam naturalem perficit, ut imaginationis ac memoriæ ope efficere valeamus, quod alias a nobis fieri minime poſſet.

§. 207.

Memoria dicitur *labi*, ſi ideam reproductam habemus pro eadem, quam ante nos habuiſſe conſcii nobis ſumus, etſi immutata fuerit, ſeu corrupta. Memoria in hoc caſu etiam *nos fallere* dicitur, quatenus in cauſa eſt ut diverſa habeamus pro iisdem. *Memoria quando labatur, nosque fallat.*

E. gr. Vidimus Sempronium veſte viridi indutum. Recurrit nobis idea Sempronii vi imaginationis producta, ſed quæ cum veſte rubra indutum fiſtit. Quodſi nobis perſuadeamus nos vidiſſe Sempronium veſte rubra indutum, memoria labi nosque fallere dicitur.

§. 208.

Quoniam nihil frequentius eſt, quam ut homines diſſentiant in iis, quæ ſimul viderunt; cum repugnet idem ſimul fuiſſe & non fuiſſe (§. 28 *Ontol.*): neceſſe eſt ut vel uni imaginatio rem aliter repræſentet, quam erat, vel utrique. Quia tamen uterque ſibi conſcius eſſe videtur, ſe talem vidiſſe, qualem ſibi repræſentat; memoriam vel unius, vel utriusque labi neceſſe eſt (§. 207). *Memoriam* igitur *labi poſſe manifeſtum eſt.* *Quod memoria labi poſſit.*

Lapſus memoriæ nemo non in ſe unusquisque experiri poteſt, modo attendere velit. Errores inprimis calculi lapſu memoriæ committuntur ab iis, qui in eodem exercitati ſunt. Immo plures alii eidem debentur, quemadmodum inferius oſtenſuri ſumus.

§. 209.

Digitized by Google

§. 209.

Labilitas memoriæ.

Memoria dicitur *labilis*, quatenus fieri poteſt, ut labatur, ſeu lapſus eidem non repugnat. Quare cum manifeſtum ſit memoriam labi poſſe (§. 208); *memoria* utique *labilis*.

Memoriam eſſe labilem, adeo compertum eſt, ut eam eſſe labilem in proverbium fere abierit. Utinam vero eam perpenderent, qui ex erroribus lapſu memoriæ commiſſis, & a quovis tyrone facile colligendis neſcio quid adverſus errantes colligere volunt! Aſtronomi æquiores ceteris ſe præbent, qui errores calculi memoriæ lapſu commiſſos facile condonant alteri.

§. 210.

Lapſus memoriæ cauſa.

Si imaginatio ad rerum olim perceptarum ideas diverſas ſpectantia in unam confundit, nec anima ſibi conſcia eſt ideæ rei unius, quam reproductam cognoſcit, quidpiam ex idea rei alterius admiſceris memoria labitur. Etenim dum ideam olim perceptæ rei vi imaginationis reproducit anima reproductamque recognoſcit *per hypoth.* conſcia ſibi eſt ſe rem iſtam olim percepiſſe (§. 173). Quoniam vero imaginatio eidem aliquid admiſcet ex idea rei alterius antea ſimiliter perceptæ; ideam quoque ejus, quod alteri admiſcetur, reproductam recognoſcit (§. 174), adeoque non minus ſibi conſcia eſt, ſe idem olim percepiſſe (§. 173). Enimvero quia ſibi conſcia non eſt, id ex idea rei alterius ideæ rei reproductæ admiſceri *per hypoth.* id ad eam pertinere putat. Ideam igitur vi imaginationis jam reproductam pro eadem habet, quam olim habuit, cum rem ſenſu perciperet, utut immutata fuerit (§. 172). Memoria igitur labitur.

Memorabile mihi ſuccurrit exemplum, quo propoſitio præſens confirmatur. Titius adoleſcens in lectione poetarum Græcorum *Homeri, Heſiodi, Pindari* verſatus fuerat. Cum ab eadem abſtinuiſſet, in manus ipſius inciderat libellus, qui ſub titulo Hellenodiæ Lutheranæ editus eſt & in quo cantiones in Eccleſia uſitatæ in rhythmos Græcos ejusdem terminationis, retentis melodiis, converſæ leguntur. Eum curioſitatis gratia aliquoties perlegerat & ope melodiarum ipſi admodum familiarium identitatem terminationum, qualis in verſibus Ger-

Digitized by Google

Germanicis recepta, memoriæ firmiter infixerat. Aliquot annis elapſis ubi ſermo incidebat de Poeſi Germanica, quod ob identitatem terminationum in verſibus præter metrum obverſandam ſit difficilis; Titius contendebat, eandem difficultatem obtinere in verſibus Græcis, qui perinde ac Germanici eandem admittant terminationem, & quicquid ceteri, qui aderant, in contrarium dicebant, ſe a ſententia ſua dimoveri non patiebatur: ſe enim optime recordari ejus ajebat, quod in *Homero*, *Heſiodo*, *Pindaro*, aliis obſervaverit. Immo tam certus ſibi videbatur ſententiæ ſuæ, ut vix propriis oculis fidem haberet, cum in *Homero* contrarium videret, & attonita mente hæreret, quid reſponderet non habens. Evidens hic eſt lapſum memoriæ contigiſſe ex eo, quod vi imaginationis eædem terminationes rhythmorum in Hellenodia ideæ verſuum Græcorum Poetarum fuere admixtæ, nec Titius ejus ſibi conſcius fuit, tantummodo ſibi conſcius verſuum *Homeri*, *Heſiodi*, *Pindari* a ſe aliquando lectorum, & terminationum earundem in rhythmis Græcis obſervatarum. Hinc vero ſimul liquet, quam facilis ſit memoriæ lapſus ac ſubinde inevitabilis, ut adeo abſonum ſit eundem labentibus imputari.

§. 211.

Ideas reproducendi & reproductas recognoſcendi impotentia.

Si res nec diu, nec ſæpius ſive ſenſu, ſive imaginatione percipiantur: ideas earum vi imaginationis reproducere non poſſumus, nec reproductas ſenſu recognoſcere valemus. Etenim ſi res nec diu, nec ſæpius, ſive ſenſu, ſive imaginatione percipiantur; fieri non poteſt, ut, ſi idea rei ſimul perceptæ in anima producatur, illius etiam idea ſimul recurrat (§. 107) Quare cum imaginatio in reproducendis ideis rerum antea perceptarum conſtantem hanc legem ſequatur, ut, ſi unius rerum ſimul perceptarum perceptio in nobis producatur, perceptionem quoque alterius producat (§. 117); ſi res nec diu, nec ſæpius, ſive ſenſu, ſive imaginatione percipiantur, ideas earum vi imaginationis reproducere non poſſumus.

Quodſi ideam rei antea perceptæ vi imaginationis reproducere non valemus, ejusdemque ſenſu jam productæ nobis conſcii ſumus; perinde eſt, ac ſi eam prima vice perciperemus, cum prima vice eandem percipientis imaginatio ſimiliter eam

Digitized by Google

ideam cum aliis non reproducat (§. 117). Nulla igitur adest ratio, cur nobis conscii esse debeamus, quod rem istam jam perceperimus, vel ideam istam jam ante habuerimus, consequenter conscii nobis esse non possumus, quod eandem jam habuerimus (§. 70 *Ontol.*). Quamobrem ideam rei antea perceptæ, etsi jam sensuum vi reproducatur, recognoscere non valemus. Enimvero si res nec diu, nec sæpius, sive sensu, sive imaginatione percipiantur; ideas earum reproducere non possumus *per partem primam.* Ergo nec ideas seusu reproductas recognoscere valemus.

Utrumque confirmatur a posteriori. Experimur enim deesse nobis facultatem reproducendi ideas rerum antea perceptarum: experimur etiam deesse nobis facultatem ideas rerum antea perceptarum recognoscendi, si sensuum ope denuo producantur, ubi res, cum primum perciperentur, non diu percepimus, neque deinde eas sæpius percepimus. Quod vero deesse debeat, inde colligimus, quod jam cesset ratio, cur in casu opposito adsit. Si vero ratio sufficiens cessat, illud etiam cessare debet, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118 *Ontol.*).

Propositio præsens a posteriori adeo manifesta nobis videtur, ut eam unusquisque statim largiatur, qui sibi conscius est, quomodo objecti diuturna vel sæpius iterata contemplatione ideam ejus reproducendi & reproductam recognoscendi facilitatem sibi comparaverit. Quodsi tamen in notionem evidentiæ curatius inquiras; notioni principii ontologici, quod adduximus (§. 118 *Ontol.*), claræ quidem, etsi confusæ, id tribuendum esse animadvertes.

§. 212.

Nexus recognitionis & reproductionis idearum.

Si ideam sensuum ope reproductam non recognoscere valemus, nec eam vi imaginationis reproducere valemus. Si enim ideam sensuum ope reproductam recognoscere non valemus; nobis conscii non sumus, quod eam jam antea habuerimus (§. 173), consequenter ratio cessare debet, cur nobis conscii simus,

Digitized by Google

simus, nos eam jam antea habuisse (§. 818 *Ontol.*). Quare cum ideam reproductam recognoscamus, adeoque nobis conscii simus nos eam jam antea habuisse (§. 173), quia idea reproducta in alia perceptionum serie continetur, quam ante percepta continebatur & utriusque seriei nobis conscii sumus (§. 174), utriusque autem seriei nobis conscii esse nequeamus, nisi vi imaginationis rei, quæ nunc sensu percipitur, idea cum ideis ceterarum rerum antea cum eadem perceptarum simul reproducatur, quod per se patet; idea vi imaginationis non producitur, dum sensuum ope reproducitur, ubi eam recognoscere non valemus. Patet itaque si ideam sensuum ope reproductam recognoscere non valeamus; nos nec eam vi imaginationis reproducere valere.

Idem etiam sic ostenditur. Ponamus nos imaginationis vi reproducere valere ideam ejusdem rei, quæ nunc sensu denuo percipitur. Quoniam res sensu jam percipitur *per hypoth.* necesse est ut idea ejus cum ideis rerum aliarum simul perceptarum actu reproducatur vi imaginationis (§. 104). Anima igitur perceptiones sensuales cum phantasmatis conferens perspicit, ideam rei sensu nunc reproductam in alia perceptionum serie contineri, quam antea percepta, ab imaginatione nobis exhibita continebatur, adeoque illam recognoscere valet: id quod hypothesin evertit.

Veritatem propositionis præsentis etiam in nobis ipsis experimur, modo ea attentione uti possimus, quæ ad impotentiam observandam sufficit. Etenim si rem sensui oblatam admoniti recognoscere non valeamus, clausis oculis, ut mentem a sensu abducamus, ejus aciem in ideas, quas habemus, intendimus, si forsan exiguam claritatem habeat idea vi imaginationis cum sociis reproducta, eam tamen animadversuri (§. 101). Enimvero dum nihil ejus animadvertere valemus, in hæc tandem verba erumpimus: nos nullo prorsus modo me-

miniſſe poſſe, quod rem iſtam jam antea ſenſu perceperimus; quo ipſo ſignificamus impotentiam ideam vi imaginationis reproducendi (§. 177).

Quoniam recognitio idearum, conſequenter rerum, quas repræſentant, cum earum reproductione vi imaginationis facta adeo firmiter cohæret; mirum videri non debet, quod vulgo facilitas ideam reproducendi ad memoriam referatur, & facultas reproductam recognoſcendi, in qua proprie memoria conſiſtit (§. 175), nonniſi tacite ſupponatur (§. 177).

§. 213.

Recognitionis iterata ratio.

Si res aliqua ſæpius ſenſu vel vi imaginationis percepta & in iteratis perceptionibus recognita fuit; eandem poſtea reproductam anima recognoſcit ex eo, quod eam jam ante recognoverit. Etenim ſi res aliqua ſæpius ſenſu vel imaginationis vi percepta & in iteratis perceptionibus recognita fuit, vi legis imaginationis (§. 117) poſthac idea iſta cum perceptione actus recognitionis reproduci debet (§. 107). Quoniam igitur anima ſibi conſcia eſt, ſe ideam iſtam jam antea recognoviſſe, conſequenter ſe jam antea ſibi conſciam fuiſſe, quod eandem ideam, quæ nunc in eadem reproducta fuit, jam antea habuerit, (§. 173); ex eo utique intelligit, quod ideam, quæ nunc in eadem reproducta fuit, jam antea habuerit, conſequenter ratio ſufficiens recognitionis in eo continetur (§. 56 *Ontol.*). Quare cum poſita ratione ſufficiente ponatur etiam id, quod per eam poſitum eſt, quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); ex eo, quod ideam, quæ nunc denuo reproducitur, jam antea reproductam recognovimus, recognoſcimus.

Actiones ſeu operationes animæ in recognitionem idearum reproductarum influere, vidimus jam ſuperius (§. 174), cum recognitionem ideæ primæ præſertim vice reproductæ demonſtraremus. Immo nihil magis influit in iſtam recognitionem, quam operationum mentis circa eas ſimultanea reproductio.

§. 214.

Recognitio-

Si res aliqua ſæpius cum aliis aliisque percepta & in ite-

ra-

Digitized by Google

ratis perceptionibus recognita fuit: ideæ postea reproductæ ad- *nis, iterata*
hæret perceptio quædam confusa, unde recognoscitur. Si enim *ratio alia.*
res aliqua sæpius cum aliis aliisque percepta & in iteratis perceptionibus recognita fuit; idea ejusdem reproducta fuit secunda vice cum iis perceptionibus, quas anima in prima simul habuit, in tertia tam cum iis, quas in prima, quam cum istis, quas in secunda habuit; in quarta tam cum iis, quas in prima & secunda, quam quas in tertia habuit & ita porro (§. 174): id quod etiam experimur, dum singulas ideas reproductas mentis acie perlustramus, utpote successive in eas incidentes, quæ diversis vicibus una percepimus. Quoniam vero toties quoque recognita fuit, quoties iterato reproducta fuit, *per hypoth.* perceptio quoque iteratæ recognitionis una cum idea rei toties perceptæ ac recognitæ reproduci debet (§. 107, 117). Quoniam igitur multiplices perceptiones cum idea rei sæpius jam perceptæ una reproducuntur, anima vero omnes simul uno veluti obtutu comprehendens in perceptione hac composita non distinguit eas a se invicem, quæ ipsam ingrediuntur, perceptio ista confusa est (§. 39). Atque adeo patet perceptioni rei sæpius cum aliis aliisque perceptæ & in iteratis perceptionibus recognitæ adhærere perceptionem quandam confusam.

Enimvero quoniam ipsa experientia edocti sumus, perceptionem istiusmodi confusam adhærere rebus antea jam perceptis; ex perceptione ista confusa perceptionis reproductæ socia intelligitur, quod eam jam antea habuerimus. Est igitur confusa illa perceptio ratio sufficiens, cur intelligamus, quod perceptionem reproductam jam habuerimus (§. 70 *Ontol.*), consequenter ratio sufficiens recognitionis (§. 173). Quare cum posita ratione sufficiente poni etiam debeat id, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118 *Ontol.*); ex confusa ista perceptione ideæ reproductæ socia anima ideam reproductam recognoscere debet.

Digitized by Google

Propositio præsens plurimum prodest ad perceptiones confusas, quæ vi imaginationis, sive ideis sensualibus, sive phantasmatis sociantur, evolvendas, ut successive singulæ reddantur claræ. Ad eam vero atque præcedentem attendere debent, qui veritatem propositionis de modo recognoscendi ideas reproductas (§. 174) experimento in se facto intelligere gestiunt. Alias enim accidit, ut in casum propositionis præsentis, vel præcedentis incidentes modum recognitionis non agnoscant, adeoque tanquam spurium rejiciant, quod eum experientiæ contrarium judicent. Referenda igitur est propositio præsens in earum numerum, quæ mentis aciem intendit, qua semetipsam cognoscit.

§. 215.

Oblivionis definitio. Memoriæ opponitur *Oblivio*, quæ adeo est impotentia ideas reproductas (consequenter res per eas repræsentatas) recognoscendi.

Memoria enim est facultas ideas reproductas recognoscendi (§. 175). Ergo si oblivio contraria esse debet memoriæ; in impotentia eas recognoscendi consistere debet: facultati enim agendi opponitur impotentia, cum in posteriori casu impossibile esse debeat, quod in priori possibile. Definitio oblivionis cum nominalis sit, arbitraria utique est, atque ideo nulla prorsus probatione indiget. Quoniam tamen arbitrium regi debet rationibus, nec a significatu recepto temere sit recedendum (§. 142 *Disc. prælim.*); cur oblivionem ita definiamus, reddenda nobis fuit ratio.

§. 216.

Impotentia reproducendi ideas ad oblivionem pertinens. Quoniam ideam imaginationis reproducere nequit, qui eandem ope sensuum reproductam recognoscere non valet (§. 212); qui vero rei cujusdam oblitus est, eam recognoscere non potest, dum sensu eandem percipit (§. 215): *Qui rei cujusdam oblitus est, ideam eius vi imaginationis reproducere nequit.* Hinc & *ad oblivionem spectat impotentia reproducendi ideas rerum antea perceptarum.*

Impotentia reproducendi ideas opponitur facultati easdem reproducendi, adeoque imaginationi (§. 104), consequenter ad eandem referri nequit. Quamobrem quoniam oblivio absque ista impotentia locum

Digitized by Google

locum habere nequit, nulla vero ratio eſt, cur iſtam peculiari nomine inſigniamus, neque ullum peculiare nomen ſuppetit, quod eidem tribui poſſit; ad oblivionem utique referenda. Conſentit quoque communis loquendi uſus, quo impotentia reproducendi ideas rerum antea perceptarum una cum impotentia easdem recognoſcendi oblivio ſalutatur.

§. 217.

Si quas ideas longo tempore non reproducimus; rerum per illas repræſentatarum obliviſcimur. Etenim ſi longo tempore ideas aliquas non reproducimus, ceſſat ratio, cur memoriæ retineantur (§. 181), conſequenter eadem retineri nequeunt (§. 118 *Ontol.*). Anima igitur faciliatem ideam reproducendi & reproductam recognoſcendi, quam habuerat, amittit (§. 180), conſequenter ad eas reproducendas & recognoſcendas impotens redditur. Quare cum in iſta impotentia ideas recognoſcendi atque reproducendi oblivio conſiſtat (§. 215. 216); eorum obliviſcimur, quorum ideas longo tempore non reproducimus. *Quorum non obliviſcimur.*

Idem etiam ſic oſtenditur. Si quas ideas longo tempore non reproducimus; eas poſthac vi imaginationis nec reproducere, nec ſenſuum miniſterio reproductas recognoſcere valemus (§. 260). Quare cum eorum obliviſcamur, quorum ideas miniſterio ſenſuum reproductas recognoſcere non poſſumus (§. 215), neque vi imaginationis reproducere valemus (§. 216); illarum rerum obliviſcimur, quarum ideas longo tempore non reproducimus.

Veritatem propoſitionis præſentis unusquisque in ſemetipſo experitur. Lubet tamen in medium afferre exemplum memoratu dignum, quod a *Leibnitio* me accepiſſe memini. Ex duabus epiſtolis *Johannis Huddenii* de reductione æquationum & de maximis & minimis, quæ inter Commentarios in Geometriam *Carteſii* leguntur, apparet, virum fuiſſe Algebræ ac Geometriæ ſublimioris peritiſſimum. Quodſi opus MSC. proſtaret, in quod inventa ſua retulit, multo magis idem appareret. Enimvero Conſul Amſtelodamenſis factus rerum

gerend-

gerendarum cura a calculis algebraicis & figuris geometricis avocabatur, ut horum ideas in se reproducendi occasione destitueretur. Quamobrem cum *Leibnitius* ex Gallia redux eundem accederet de rebus ad Geometriam sublimiorem spectantibus cum ipso collocuturus; librum suum MSC. ei obtulit, ut eundem perlustraret, quem facete se doctiorem appellabat, propterea quod ideas rerum geometricarum & algebraicarum oblivioni dederat. Propria igitur inventa non amplius intelligebat, nedum noverat *Huddenius*, propterea quod rebus aliis intentus diu de iisdem non cogitaverat. *Isaacus Newtonus* inventorum mathematicorum gloria tumet, quae inprimis in eximio opere Principiorum philosophiae naturalis mathematicorum leguntur. Communis fama fuit non modo in Anglia, verum etiam in Germania, in quam inde translata, eum aetate provectiore libros a se conscriptos non amplius intellexisse. Probabilitate non destituebatur vi propositionis praesentis. Cum enim ultra seculi quadrantem distet editio secunda a prima, nulla tamen inventa ulteriora huic accesserint, qualia uberrima & maxima a tanto viro proficisci poterant intra tantum temporis intervallum; haud obscure hinc colligitur, quod intra istud temporis intervallum de rebus geometricis, quales in Opere Principiorum continentur, non amplius cogitaverit. Eas igitur rursus obliviscI debebat. Nihil autem hoc ipsum derogat laudibus summis tanti viri, quas ex inventis consecutus. Manet enim inventor, sive inventa propria ipsemet iterum oblivioni dederit, sive ad extremum usque vitae halitum eadem memoria retinuerit. Absit etiam ut quis sibi persuadeat, vires intellectus decrevisse, si quis oblivioni dedit, quae noverat in aliqua scientiae parte, animum deinde ad alia appellens! Eadem igitur *Newtonum* laus manet, sive fama de oblivione inventorum propriorum vera fuerit, sive fallax, quemadmodum *Pembertonus* contendit in praefatione ad Conspectum Philosophiae *Isaaci Newtoni*, quem idiomate Anglico edidit. Quatenus fama sumitur vera, propositionem praesentem illustrat.

§. 218.

Quomodo oblivio a potestate nostra pendeat.

Si rei cujusdam ideam pro arbitrio nostro reproducere & non reproducere possumus: easdem oblivioni tradere valemus. Si enim arbitrii nostri est ideam rei cujusdam reproducere; ab eadem reproducenda tanto tempore abstinere possumus,

Digitized by Google

mus, quanto libet. Quare cum rei illius obliviscamur, cujus ideam longo tempore non reproducimus (§. 217); rem istam oblivioni tradere valemus, cujus ideam pro arbitrio nostro vel reproducere, vel non reproducere possumus.

Utilitatem non exiguam habet præsens propositio in Moralibus, ubi sæpius interest ut norimus, utrum in potestate nostra positum sit, nec ne, ut quid oblivioni tradamus, ne præcipiamus, quæ fieri nequeunt. Ceterum dari talia, quorum ideas num reproducere velimus in potestate nostra positum est, obvia experientia confirmat.

§. 219.

Si rem antea perceptam sensu denuo percipiamus, & vi imaginationis reproducta a ejus & rerum aliarum idea fuerit obscura; in ea recognoscenda hæremus seu certo eam recognoscere non valemus. Etenim si idea reproducta vi imaginationis fuerit obscura, rem repræsentatam ex ea non agnoscere, nec a ceteris perceptibilibus distinguere valemus (§. 32). Quamobrem si eam ad præsentem referamus, identitatem rei sensus atque imaginationis vi repræsentatæ agnoscere minime valemus (§. 181 *Ontol.*). Et quoniam ideæ rerum ceterarum non minus obscuræ sunt *per hypoth.* nec eas agnoscere atque ab aliis distinguere valemus (§. 32), consequenter nec nobis conscii sumus, ideam sensu nunc reproductam in alia perceptionum serie contineri, quam cum ante perciperetur continebatur. Illam igitur recognoscere non valemus (§. 174). Quoniam tamen idea illa obscura vi imaginationis reproducta ideæ rei sensu denuo perceptæ adhæret *per hypoth.* eique subinde, quæ clare percipiuntur, inesse possunt (§. 33); anima ex idea confusa, quæ sensu perceptæ vi imaginationis adjungitur, rem recognoscere adsueta (§. 214), aliquid adesse videt, unde res recognoscitur, quatenus nempe rei perceptæ imaginationis vi quædam reproducta idea adhæret, præsertim si ex iis, quæ obscuræ perceptioni clare percepta insunt, aliquid identitatis rei sensu perceptæ ac vi imaginationis repræsentatæ simul percipit. Ponitur igitur aliquid rationis, sed

Quando in re recognoscenda hæreamus.

ſed non ſufficiens ad rem recognoſcendam (§. 56 *Ontol.*), quatenus ſcilicet notio obſcura & confuſa in genere notionum conveniunt, a ſe invicem tamen differunt (§. 31. 32), neque diverſitas ſerierum, in quibus res nunc percepta & antea percepta continetur, clare percipitur. Quamobrem non prorſus impoſſibile nobis videtur, nos ideam ejus rei jam antea habuiſſe, immo ſubinde probabile videtur, nos eam jam ante habuiſſe (§. 578 *Log.*), certo tamen id nobis conſtare nequit (§. 574 *Log.*). Rem igitur ſenſu nunc perceptam certo recognoſcere non valemus (§. 173), ſeu in ea recognoſcenda hæremus.

Idem confirmatur a poſteriori. Ponamus Titium vidiſſe Mevium in loco aliquo publico, ubi multus erat hominum ſibi ignotorum confluxus, ut adeo oculos in eodem defixos non diu retinuerit. Ponamus porro Titium denuo videre Mevium in ædibus Sempronii ac in eo recognoſcendo hærere. Hanc hæſitationem ſignificaturus ait, videri ſibi quaſi Titium jam viderit, ſe tamen id pro certo aſſeverare non poſſe. Quodſi jam in caſu ſimili conſtitutus ad temetipſum attenderis; obſcuras quasdam ideas menti tum obverſari animadvertes, quæ probabilitatis quandam ſpeciem cum formidine oppoſiti inducunt. Hæres igitur in re, quam nunc percipis, recognoſcenda, quod idea vi imaginationis reproducta ad conſpectum ejusdem ſit obſcura, utut quidpiam inſit, quod clare percipitur, ad rem tamen recognoſcendam minime ſufficiens.

Hæret nimirum in re recognoſcenda, qui probabile ſibi eſſe conſcius eſt, quod ideam ejus jam ante habuerit, non tamen certo novit. Ita enim aliquid rationis perſpiciens in aſſenſum trahitur vi probabilitatis: ſed ejus inſufficientiam agnoſcens ab eodem retrahitur. Etſi adeo pronus ſit ad aſſentiendum, quandam tamen adhuc repugnantiam animadvertit, quam ſuperare non valet.

§. 220.

idea rei reproducta

Si rei antea clare perceptæ idea vi imaginationis reproducta fuerit obſcura: anima nonnullorum oblita eſt, quæ in eadem

dem clare perceperat. Quoniam enim idea vi imaginationis reproducta obſcura eſt *per hypoth.* ad rem repræſentatam (§. 48) agnoſcendam & ab aliis perceptibilibus diſtinguendam non ſufficit (§. 32). Enimvero quia eandem ante clare percepiſti *per hypoth.* idea, quam habebas, eidem agnoſcendæ ac ab aliis diſtinguendæ ſufficiebat (§. 31). Quare cum res agnoſcatur ac ab aliis diſtinguatur per ea, quæ ipſi inſunt, quod per ſe patet & obvia experientia confirmatur; in poſteriori caſu, quando rem clare percipiebas, tibi nonnullorum in ea conſcius eſſe debebas, quorum tibi conſcius non es in priori, quando eam obſcure percipis. Quando igitur obſcuram rei antea clare perceptæ ideam vi imaginationis reproducis; nonnulla ad eam pertinentia reproducere minime vales. Jam vero ea obliti ſumus, quorum ideas reproducere (§. 216), vel etiam ſenſu reproductas recognoſcere non valemus (§. 215). Quædam itaque obliti ſumus, quæ in re clare percepta apperceperamus, quando vi imaginationis ideam nonniſi obſcuram reproducimus rei antea clare perceptæ.

vi imaginationis quando fit obſcura.

Oblivione ideæ deteriorantur, ut claræ in obſcuras abeant: id quod unusquisque in ſeipſo experiri poteſt, quando negligit media, quibus res clare perceptæ memoriæ mandantur & ſemel mandatæ eadem retinentur, hoc eſt, ſi ideam rei clare perceptæ non ſæpius in ſe reproducit (§. 179. 181). Inprimis hic commoda ſunt exempla, quæ oblivioni tradita exhibent in ideis obſcuris rerum antea clare perceptarum, quarum ideas claras antea etiam vi imaginationis reproducere poteras.

§. 221.

Idea rei, quæ percipitur, ſocia dicitur, idea tota compoſita, quæ vi ideæ rei, quæ jam percipitur, ab imaginatione producitur.

Idea rei in præſenti percepta ſocia.

Ponamus te videre Titium in foro, quem ante videras in templo & ab imaginatione (§. 104) produci ideam Titii tanquam ſedentis in templo una cum partialibus aliis templi & rerum in eodem præſentium. Dicimus ideam totam compoſitam ex ideis templi, Titii,

Digitized by Google

personarum ac rerum aliarum in templo præsentium ideam sociam Titii, quatenus eum jam in foro videmus, aut, si mavis, ideam socium ideæ sensualis Titii, quam jam habes.

§. 222.

Quando nobis videamur rem antea perceptam jam vidisse, sed ignorantes quando & ubi.

Si rem ante sensu perceptam sensu denuo percipias & in idea socia obscura aliquid tantummodo claritatis fuerit ideæ partiali ejusdem rei; videris tibi rem antea percepisse, sed ubi vel quando perceperis ignoras. E. gr. si Titium jam in foro vides, quem ante videras in templo, & idea socia tantummodo aliquid claritatis habet in idea partiali personæ Titii; dico te tibi videri Titium vidisse alibi, sed non meminisse ubi eum videris. Etenim quia idea socia obscura est *per hypoth.* ad ea omnia agnoscenda atque ab aliis distinguenda, quæ in eadem continentur, non sufficit (§. 32). Quoniam itaque in idea socia continentur ideæ partiales, quas imaginatio occasio ideæ sensualis Titii una cum idea ejusdem Titii antea in templo visi producit (§. 221. 40), adeoque ideæ templi, personarum rerumque aliarum in eodem præsentium (§ 104); ad personam Titii, templum, personas ac res in templo præsentes agnoscendum minime sufficit. Enimvero quia ideæ Titii vi imaginationis reproductæ aliquid claritatis adest *per hypoth.* quidpiam ad personam Titii spectans clare percipitur, consequenter idem agnoscere ac ab aliis distinguere valemus (§. 31). Jam cum phantasma Titii cum idea ejus sensuali componimus, identitatem ejus, quod clare in phantasmate percipitur, in utraque idea animadvertimus, atque inde probabile efficitur, phantasma istud referre Titium, quem jam videmus (§. 578 *Log.*), adeoque eundem jam antea videmur nobis vidisse (§. 214). Quoniam vero ideis partialibus ceteris, quæ compositionem sociæ ingrediuntur, nihil claritatis inest *per hypoth.* nec templi, nec rerum in eo præsentium tibi conscius esse potes (§. 32), consequenter ignoras, ubi vel quando eundem videris.

Idem

Digitized by Google

Idem confirmatur a poſteriori: etenim caſus hic frequentiſſimus eſt, quo perſonam, quam videmus, ita alloqui ſolemus: Videor me te alicubi vidiſſe, ſed recordari nequeo, ubi & quando te viderim. Quodſi vero tunc temporis, quando aliquem ita alloquimur, ad noſmetipſos attendimus & ad interiora mentis rimanda ſatis acuti ſumus; in id incidemus, quod in perſona, quæ oculis noſtris præſens ſiſtitur, obſervatum nobis probabile reddit, quod eam jam alias viderimus. Mentis vero aciem in ipſam magis adhuc intendentes, ea intentione, num ſuccurrat forſan locus vel tempus, quo perſonam iſtam vidimus; nonniſi obſcuram quandam ideam animo obverſari animadvertemus, quæ præter locum in genere, vel tempus ſeu ſucceſſionem quandam, aut multitudinem in genere nil repræſentat, ut impoſſibile ſit vel locum in ſpecie, vel res, quarum ſucceſſione notionem temporis habemus, vel res multitudinem conſtituentes agnoſci ac a ſe invicem diſtingui.

Propoſitio præſens eſt caſus ſpecialis antecedentis (§. 220). Neque enim piget caſus ſpeciales a ſe invicem accurate diſtinguere, ut excitemus acumen ad interiora mentis perluſtranda neceſſarium.

§. 223.

Si rem ante ſenſu perceptam ſenſu denuo percipias & in idea ſocia obſcura aliquid tantummodo claritatis fuerit ideæ partiali rei alicuius antea cum præſente ſimul perceptæ; videris in te rem, quam nunc percipis, quodam in loco, vel aliquo tempore, vel cum re quadam alia percepiſſe, etſi parum certus ſis, num eadem præciſe res fuerit, quam nunc percipis. Quoniam idea ſocia rei, quæ percipitur, tota idea compoſita eſt, quæ vi ideæ rei, quæ jam percipitur, ab imaginatione producitur (§. 221), vi imaginationis autem producuntur ideæ rerum cum ea, quam nunc percipis, antea ſimul perceptarum (§. 104); ſi ponamus e. gr. te videre aliquem fructum in foro, quem ante videras in horto, imaginatio reproducit horti rerumque aliarum

Quando hæreamus in eo, quid alicubi perceperimus.

Digitized by Google

in eodem præsentium ideam. Quoniam idea horti partialis clara est *per hypoth.* ad eum agnoscendum & ab aliis distinguendum sufficit (§. 32), adeoque videris tibi aliquid vidisse in horto isto (§. 214). Enimvero quia idea fructus vi imaginationis producta obscura est, *per hypoth.* ad eum agnoscendum & ab aliis distinguendum non sufficit (§. 32), adeoque ignoras utrum fructum quempiam videris, nec ne, multo minus nosti, num hunc præcise fructum videris, quem nunc præsentem intueris. Patet itaque te quidem tibi conscium esse, quod in horto aliquid videris; non tamen certum esse, utrum hunc præcise fructum, num aliud quid videris.

Idem etiam ostenditur a posteriori. Casus enim propositioni præsenti respondens is est, quo rem quandam veluti plantam exoticam, videntes in hæc verba erumpimus; videri nobis nos plantam istiusmodi jam vidisse in horto Titii; pro certo tamen id asseverare minime posse. Respondet etiam eidem casus alter agnatus, quo affirmamus, nos aliquid vidisse in horto Titii, sed quid fuerit non recordari. Prior nimirum casus obtinet, quando idea plantæ vi imaginationis producta vegetabile quodpiam in genere exhibet; casui autem posteriori locus est, quando objecti in horto visi idea nonnisi ens in genere refert.

Immiscet sese hisce memoriæ atque imaginationis actibus cognitio symbolica, de qua inferius suo loco dicemus. Quamobrem qui experimentum eorum, quæ hic stabilimus, in seipsis capere volunt; illi probe attendere debent, num quid cognitionis symbolicæ subsit. Sane non exiguus attentionis gradus, nec acumen leve requiritur, si quis vel quotidie in anima sua observanda ad notiones distinctas revocare voluerit, notiones confusas evoluturus & quid in obscuris lateat conjectando assecuturus. Ubi quis Psychologiæ & Ontologiæ assiduam navaverit operam ac methodi vim perspexerit & in potestatem suam redegerit; is sensim sensimque illam attentionem illudque acumen acquiret, plurimum sibi in philosophiæ moralis, tam theoris, quam praxi profuturum.

§. 224.

Digitized by Google

§. 224.

Si rem ante sensu perceptam sensu denuo percipis, & in idea socia obscura aliquid claritatis est ideæ partiali eiusdem rei, nec non ideæ partiali rei cujusdam alterius antea cum præsente simul perceptæ; videris tibi rem, quem nunc sensu percipis, antea percepisse quodam in loco, vel aliquo tempore, vel etiam cum re quadam, antamen præcise hanc rem perceperis, & num hoc præcise in loco, vel hoc præcise tempore, vel cum hac præcise re eandem perceperis, pro certo asseverare non potes. Quodsi enim rem ante sensu perceptam sensu denuo percipis & in idea socia obscura aliquid claritatis est ideæ partiali ejusdem rei *per hypoth.*; videris tibi rem antea percepisse, utut certo affirmare non possis, quod eam jam ante perceperis (§. 222). Quoniam porroali quid etiam claritatis adhæret ideæ partiali rei cujusdam alterius antea cum præsente perceptæ *per hypoth.* & rem, quam nunc percipis, videris tibi jam ante percepisse *per demonstrata*; rem, quam nunc percipis, tibi percepisse videris quodam in loco, vel aliquo tempore dato, vel cum re quadam alia, utut non certus sis, quod eam præcise in isto loco, vel isto tempore, vel cum re ista perceperis (§. 223). Enimvero nec pro certo asseverare poteras, quod rem istam præcise jam antea perceperis *per demonstrata.* Ergo videris tibi rem, quam nunc sensu percipis, antea percepisse quodam in loco, vel aliquo tempore, vel etiam cum re quadam, an tamen præcise hanc rem perceperis, & num hoc præcise in loco, vel hoc præcise tempore, vel cum hac præcise re eandem perceperis, pro certo asseverare non potes. *Quando utrumque contingat.*

Confirmatur propositio præsens etiam a posteriori. Etenim eidem respondet casus, quo rem intuentes, quam percipimus, in hæc tandem verba erumpimus: videri nobis nos personam hanc vel rem præsentem vidisse in horto Titii, etsi id pro certo asseverare non possimus, scilicet quod hanc præcise personam, vel rem in horto præcise Titii viderimus; sed fieri posse, ut in utroque fallamur.

Atque

Atque ita casus singulos speciales contemplati sumus, in quibus anima in objectis denuo perceptis recognoscendis hæret (§. 219). Quoniam obscuritas perceptionum vi imaginationis reproductarum in causa est (§. 222 & seqq.); oblivioni tribuendum esse apparet, quod subinde in rebus denuo obviis recognoscendis hæreamus (§. 220). Et oblivio nos admonuit, ut hanc animæ in rebus recognoscendis hæsitationem hic loci consideraremus.

§. 225.

Diversi gradus hæsitationis animæ in recognoscendis rebus.

Quoniam ideis particularibus, ex quibus socia constat (§. 221. 40), diversi convenire possunt obscuritatis gradus, prout plus vel minus claritatis iisdem inest, seu in rebus obscure perceptis plura vel pauciora insunt, quæ clare percipiuntur (§. 33); hæsitatio autem animæ in objectis recognoscendis ab idearum istarum obscuritate pendet (§. 222 *& seqq.*); *hæsitationis animæ in rebus recognoscendis pro diverso obscuritatis ideæ sociæ gradu diversi sunt gradus.*

Experientia corollarium hoc generale propositionum præcedentium abunde confirmat. Quodsi enim attendere velimus ad eos casus, in quibus recognitio rerum antea perceptarum dubia nobis est; non aliam, quam obscuritatem ideæ sociæ hæsitationis causam esse intelligemus, ita ut nunc magis, nunc minus hæsitemus, prout major vel minor fuerit illius obscuritas. Equidem haud difficile nobis foret diversitatem obscuritatis ideæ sociæ ad differentias quasdam generales revocare ac pendentem inde animæ in rebus recognoscendis hæsitationem diversam distincte explicatam demonstrare: sed non consultum nobis videtur tanta uti prolixitate, ubi generalibus contenti esse possumus, quibus excitatur & juvatur acumen in ceteris per se videndis, quando occasio eorum observandorum nobis sese offert.

§. 226.

Rei quando meminerimus.

Rei meminisse dicimur, quando ideam ejus reproductam recognoscere valemus, consequenter nobis conscii sumus, nos eam jam antea habuisse (§. 173).

E. gr. Narrat tibi Titius, qui peregre iter faciens te invisit, quod tecum in Academia aliquoties conversatus fuerit, provocans ad circum-

cumſtantias ſingulares. Quodſi horum omnium tibi probe conſcius fueris, quod ita facta olim fuerint; reſpondes: te omnium probe meminiſſe. Reproducit Titius tibi ideas rerum antea factarum, quas tum, cum fierent, percepiſti, aut, ſi mavis, anſam earum reproducendarum tibi ſuppeditat. Dum tibi conſcius es, te illa olim percepiſſe, ideas reproductas recognoſcis (§. 173). Dicis igitur te eorum meminiſſe, quia ideam eorum reproductam adhuc recognoſcis. Tamdiu adeo rei cujusdam meminimus, quamdiu ideam ejus reproductam recognoſcere valemus. Facultas ideam reproductam recognoſcendi memoria dicitur (§. 175). Actum igitur memoriæ exprimimus dicentes, nos rei meminiſſe. Abſentia hujus actus non ſemper oblivionem in caſu dato denotat (§. 215), adeoque nec quaſi ejus actum exprimimus dicentes, nos rei non meminiſſe. Quamobrem conſultum eſt ut adhuc exponamus, quid interſit inter hoſce duos animæ ſtatus, quorum altero dicimus, nos rei non meminiſſe; altero vero affirmamus, nos ejusdem eſſe oblitos.

§. 227.

Quando rei non meminiſſe & oblivioſci dicamur.

Rei non meminiſſe dicimur, quando nobis videmur eam antehac nondum percepiſſe. Aſt *rei obliti* dicimur, quando nobis conſcii ſumus nos ideam ejus percepiſſe, eam vero nunc reproducere non poſſumus.

Nimirum oblivio denotat impotentiam ideas reproductas recognoſcendi (§. 215) easque reproducendi (§. 216). Non igitur ante cognoſcimus nos rei fuiſſe oblitos, quam impotentiæ hujus nobis conſcii ſumus (§. 48 *Log.*). Enimvero impotentiæ hujus nobis conſcii eſſe non poſſumus, niſi nobis conſcii ſimus, nos rem iſtam vel olim percepiſſe, quam tamen nunc recognoſcere non valemus, vel cujus nunc ideam reproducere minime poſſumus. Ut appareat, quomodo id fieri poſſit, paulo diſtinctius id nobis erit exponendum. Ponamus te vidiſſe crocodilum, atque meminiſſe, quod crocodilum videris, beneficio cognitionis ſymbolicæ, de qua poſtea dicemus, quatenus nempe memoriam habes horum verborum: Vidi crocodilum. Enimvero ſi jam ſermo incidit de crocodilo & ex te quærit aliquis, qualis iſte fuerit, ejus autem ideam reproducere non vales; vel ſi quis tibi monſtrat animal, cui iſtud nominis convenit, tu vero idem recognoſcere non potes, non tibi conſcius utrum crocodilus,

quem vidisti, tale animal fuerit, nec ne; te oblitum esse ais, quale animal fuerit crocodilus. Aſt ſi tibi nec conſcius es, te crocodilum aliquando vidiſſe, immo dubitas, utrum videris, nec ne; te non meminiſſe affirmas, quod unquam videris crocodilum. Status hos animæ eſſe a ſe invicem diverſos, nemo non videt, eosque cum ratione diſtingui non minus in propatulo eſt.

§. 228.

Quid ſit in memoriam revocare.

Res illa, quæ jam percepta perceptioni alterius reproducendæ inſervit, eam nobis *in memoriam revocare* dicitur. Atque hinc affirmamus, quod *alter nobis in memoriam quid revocet, ſi in nobis producit ideam, cujus ope altera reproducitur.*

E. gr. Videns Sempronium, quem ante in nundinis videras, nundinarum meminiſti rerumque ibi viſarum & a te geſtarum. Perſona igitur Sempronii tibi nundinas atque res ibidem viſas & a te geſtas in memoriam revocat. Quodſi Sempronium non vidiſſes, nec nundinæ cum rebus ibidem viſis atque geſtis in memoriam veniſſent. Quodſi vero ponas Titium loqui vel de Sempronio, vel de ipſis nundinis atque audito ſermone in te naſcatur idea Sempronii ac inde porro idea nundinarum rerumque ibidem viſarum & geſtarum; Titium perſonam Sempronii & nundinas cum rebus ibidem viſis ac geſtis tibi in memoriam revocaſſe affirmas.

§. 229.

Difficultas ideas reproducendi & reproductas recognoſcendi.

Subinde ideam rei una cum re præſente perceptæ reproducere non poſſumus, vel etiam ideam rei antea perceptæ reproductam recognoſcere non valemus; ſed ejus ope reproducimus ideas rerum aliarum ſimul perceptarum & harum demum ſubſidio ideam illam, quam reproducere non poteramus, reproducimus, vel, quam recognoſcere non poteramus, recognoſcimus. Quoniam obvia experientia utrumque manifeſtum eſt, ad exempla provocaſſe ſufficit, quibus excitatur attentio, ut unusquisque eadem in ſeipſo obſervare queat & notio propoſitioni præſenti reſpondens clarior redditur. Ponamus te vidiſſe Titium in templo & poſthac de eodem ſermonem incidere, quod in templo præſens fuerit. Vi autem ideæ templi;

quæ

Digitized by Google

quæ audito nomine ab imaginatione producitur, ideam Titii reproducere nequis, quemadmodum per legem imaginationis fieri debere videbatur (§. 117). Dum vero aciem mentis in ideam templi intendis; recurrunt ideæ personarum aliarum in templo visarum, in mentem veniunt cogitationes, quas easdem respiciens foviſti, & tandem eandem quoque subit idea Titii, in quem oculos te convertisse jam meministi, ubi cogitationes istas fovebas. Hic igitur templum & personam Titii simul percepisti: sed, dum templum denuo percipis, idea ejus vi imaginationis reproducta, non tamen simul reproducitur idea Titii, etsi eam reproducere intendas. Enimvero vi ideæ templi reproducuntur successive ideæ rerum aliarum, scilicet aliarum personarum visarum & cogitationum mentis, quas habuisti, donec tandem succedat Titii quoque idea, quam initio reproducere non poteras immediate ope ideæ templi. Eodem modo sese res habet in casu altero. Ponamus te vidisse in horto Mevii plantam quandam exoticam, & posthac eandem plantam denuo videre in horto Caji. Sempronius monet plantam hanc esse eandem, quam in horto Mevii jam videras; sed quod eandem videris minime meministi. Dum constanter asseverat Sempronius, te eandem plantam in horto Mevii jam vidisse; mentis aciem in hortum Mevii dirigis, vi imaginationis repræsentatum. Succedunt variarum rerum ibidem visarum ideæ, in quarum serie dum contineri quoque animadvertis plantam, quam præsentem contueris, subito eam recognoscis & Sempronio jam assentiris, quod eadem sit, quam videras in horto Mevii. Hic ideam rei antea sensu jam perceptæ, quando eam denuo percipis, non recognoscis, etsi subeat mentem idea rei antea simul perceptæ, quemadmodum per legem memoriæ fieri debere videbatur (§ 174). Enimvero ope ideæ rei simul perceptæ reproducis reproductasque recognoscis rerum aliarum tunc temporis quoque

Digitized by Google

perceptarum ideas, atque earum tandem auxilio eam recognoſcis, quam initio recognoſcere non poteras.

Non inquirimus in rationem, cur id fiat, etſi manifeſta ſit ſuperiorum gnaris. Nimirum ideæ junguntur potiſſimum actibus reflexis mentis, atque adeo non omnia ſimul percepta ita inter ſe connexa ſunt, ut unius idea reproducta reproducatur etiam altera, ſi præſertim non ſæpius ſimultanea perceptio iteretur, ubi recognitio quoque actuum reflexorum numerum ingreditur. Plenior adeo lux hiſce affulget ex ſequentibus, ubi de actibus reflexis mentis plura dicemus exinſtituto.

§. 230.

Reminiſcentia definitio.

Perceptionum præteritarum mediata reproductio & recognitio, aut, ſi mavis, facultas perceptiones præteritas mediate reproducendi & recognoſcendi *Reminiſcentia* dicitur. Vocatur etiam *Recordatio.*

Ita in exemplis anterioribus (§. 229) remimiſceris, te Titium, de quo ſermo eſt, vidiſſe in templo, quem te ibidem vidiſſe meminiſſe non poteras. Similiter reminiſceris te plantam, quam in horto Caji vides, in horto Mevii jam vidiſſe: id quod meminiſſe non poteras, cum Sempronius te admoneret.

§. 231.

Reminiſcentia medium.

Quoniam dum reminiſcimur rei alicujus, vel ejusdem recordamur, ejus ideam mediantibus aliis reproductis reproducimus & recognoſcimus (§. 229); *dum rei cujusdam reminiſci volumus, ad circumſtantias loci & temporis aliasque res tum præſentes, quando eam percepimus, vel alias eidem ſimiles, affines aut contrarias attendimus.*

Utimur eodem medio, quoties alter recordari nequit eorum, quæ ipſum meminiſſe volumus. Atque eodem modo etiam utimur locis in tabulis mnemonicis, quoties non ſatis fidelem experimur memoriam in iis, quæ per tabulas mnemonicas diſpoſita ſunt, quemadmodum intelligitur ex iis, quæ de iisdem propoſuimus in Horis ſubſecivis A. 1730. Trim. æſtiv. num. III. Medium hoc ſe-

mi-

miniſcentiæ notiſſimum eſt, atque vulgo adhibetur ab omnibus; reſpondet enim corollario præſenti notio communis, quæ per experientiam domeſticam ingeneratur omnium hominum animis. Hinc *Goclenius* in Lexico philoſophico recordationem ſeu reminiſcentiam definit per ſimulacri amiſſi inſtaurationem, quæ fit diſcurſu ab uno principio noto ad aliud ignotum & conſideratione circumſtantiarum temporis præſentis, quo per ſenſum vel per intellectum res cognita eſt, vel ſimilium & affinium, vel contrariorum. Appellat is ſimulacrum ideam vi imaginationis productam, quam ſupra phantaſma diximus. Refert autem reminiſcentiam etiam ad cognitionem ſymbolicam, de qua nos demum paulo inferius dicemus. Simulacrum amiſſum eſſe affirmat, quatenus ideam rei reproducere non valemus, dum volumus.

§. 232.

Quoniam eorum, quæ reminiſcimur, ideam reproducere vel reproductas recognoſcere non valemus, ſicuti ceterorum, quorum meminimus (§. 229. 230), eorum obliti nobis videmur (§. 215). Quia tamen mediantibus perceptionibus præteritis aliis ideas iſtas tandem reproducimus & recognoſcimus (§. 230); *dum rei reminiſcimur, eam recognoſcere nobis videmur, quam obliti fueramus.* *Recognitio rei oblivioni tradita.*

Hinc apud *Goclenium* in Lexico philoſophico Reminiſcentia ſeu recordatio etiam definitur, quod ſit recognitio rei, quam homo oblitus eſt. Nempe homo denuo cognoſcit, quod cognoverat ante, ſed oblitus fuerat, novitque ſe id denuo cognoſcere. Etſi enim videri poſſit *Goclenium* per recognitionem tantummodo intelligere iteratam cognitionem, dum oblivionem factam eſſe dicit propter ſimulacri rem repræſentantis amiſſionem & recognitionem fieri ait per ſimulacri amiſſi inſtaurationem; non tamen iteratæ cognitionis apperceptionem excludere poteſt, quippe ita in præſenti caſu cogitationibus noſtris adhærens, ut ab iis eandem ſeparari impoſſibile ſit. Rectius tamen alii ſpecies ſive ideas rerum dixerunt rectas, quam amiſſas, ideo reminiſcentiam definientes per diſquiſitionem rectarum ſpecierum.

Digitized by Google

§. 233.

Scholion generale. Et hactenus quidem dicta ſufficiant de facultatis cognoſcitivæ parte inferiori, quantenus eam a poſteriori agnoſcimus. Progrediendum igitur nunc erit ad partem quoque ſuperiorem, quatenus eadem experientia magiſtra cognoſcitur. A parte inferiori ad ſuperiorem non progreſſus ſit per ſaltum, ſed per gradus intermedios, quos tamen rectius ad ſectionem ſecundam rejicimus. Quoniam gradus iſti inter utramque partem intermedii ſunt, ideo fieri non potuit, quin jam in præſente ſectione, in notis præſertim, eorum ſubinde fieri debuerit mentio, cum per notiones communes confuſas ſatis intelligantur, etſi jam inſtituti ratio poſtulet, ut eos quoque diſtincte explicemus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

DE FACULTATIS COGNOSCENDI PARTE SUPERIORI.

CAPUT I.

De Attentione & Reflexione.

§. 234.

Apperceptionis dependentia a noſtro arbitrio.

Efficere poſſumus, ut in perceptione compoſita partialem unam magis appercipiamus, quam ceteras. Hoc unusquisque quovis momento in ſe experiri poteſt. Intuere quæſo faciem hominis; videbis frontem, oculos, genas, naſum, os & mentum ſimul & tibi conſcius eris, quod ſingulas haſce partes uno obtutu comprehendas: oculis enim a facie averſis, dum quærenti, quid videris, reſpondes, te faciem hominis & in ea ſingulas iſtas partes vidiſſe, confiteris. Enimvero fieri poſſe deprehendis, ut faciem alterius intuens magis tibi conſcius ſis oculorum, quam ceterarum partium faciei. Similiter ponamus te ſimul videre objecta in templo præſentia & verba concionatoris audire; ponamus porro te etiam æſtum percipere, quo fervet aër. Fieri a te poſſe deprehendes, ut magis tibi conſcius ſis verborum oratoris ſacri, quam objectorum, quæ in oculos incurrunt, & æſtum corpori moleſtum. Patet itaque a te effici poſſe, ut in iis, quæ ſimul percipis, unius tibi magis ſis conſcius, quam ceterorum, conſequenter ut in perceptione compoſita partialem unam magis appercipias, quam ceteras (§. 40. 25).

Videmus itaque apperceptionem pendere aliquatenus a poteſtate noſtra.

§. 235.

Digitized by Google

§. 235.

Diversitas claritatis in simul perceptis.

Dum perceptionem partialem magis appercipimus quam ceteras, quæ in eadem totali continentur; ea nobis ceteris clarior est. Quando enim perceptionem quandam partialem magis appercipimus, quam ceteras, quæ in eadem totali continentur; magis nobis ejusdem conscii sumus, quam ceterarum (§. 25). Quodsi ejusdem magis conscii sumus, quam ceterarum; rem quoque per eam repræsentatam (§. 24) magis agnoscimus ac ab aliis perceptibilibus distinguimus, quam ceteras per ceteras perceptiones repræsentatas (§. 31). Perceptio igitur partialis, quam magis appercipimus ceteris, clarior nobis est ceteris, quæ una cum ipsa in eadem perceptione continentur.

Non solum hoc obtinet in rebus sensu perceptis, verum etiam in iis, quæ vi imaginationis percipiuntur. Immo valet etiam, quatenus mens seipsam percipit ac operationum suarum sibi conscia est. Præterea locum habet in omni rerum cognitione, sive ea intuitiva fuerit, sive symbolica. Non e longinquo hic petenda probatio, cum domestica unumquemque experientia eaque admodum obvia id docere possit.

§. 236.

Animæ potestas in claritatem perceptionum.

Quoniam efficere possumus, ut in perceptione composita partialem unam magis appercipiamus, quam ceteras (§. 234); dum autem perceptionem partialem magis percipimus quam ceteras, quæ in eadem totali continentur, ea nobis ceteris clarior est (§. 235); *efficere* utique *possumus ut in perceptione composita partialis una majorem claritatem ceteris habeat.*

Patet adeo esse aliquam animæ in claritatem perceptionum potestatem eandemque ab arbitrio ipsius pendere aliqua ex parte.

§. 237.

Attentionis definitio.

Facultas efficiendi, ut in perceptione composita partialis una majorem claritatem ceteris habeat, dicitur *Attentio.*

Po-

Digitized by Google

Ponamus e. gr. nos simul percipere verba loquentis, videre præterea objecta in eo, quo sumus, loco præsentia & oculis nostris opposita, percipere etiam calorem, quo abundat aër in eodem loco. Quodsi perceptiones istas simultaneas inter se compares, non eodem gradu claritatis omnia simul percipi animadvertes. Quodsi enim verba loquentis probe agnoscis eaque a se invicem distinguis; non æque tibi conscius es objectorum, quæ lumine suo oculos feriunt, immo subinde caloris prorsus non tibi conscius es. Tum vero dicis te attendere ad verba loquentis: immo quæsitus annon hoc vel illud in objecto præsente animadvertas, aut an non calor molestus tibi accidat; respondes, te jam ad objectum istud & calorem non attendere, attendere autem ad verba loquentis, significaturus scilicet te illud in objecto non animadvertere, nec calorem admodum clare percipere, atque hoc ipso rationem redditurus, cur id fiat. Hinc non modo apparet definitionis præsentis realitas, quæ per præcedentia jam satis manifesta; verum etiam intelligitur vocabulum attentionis sumi a nobis in significatu recepto: sit ita quod aliter videatur illis, qui notionem, quæ ipsis est, confusam nunquam ad distinctam revocarunt.

§. 238.

Sensatio impedit, quo minus ad phantasma simus attenti, & sensatio fortior impedit, quo minus ad debiliorem simus attenti. Phantasmata vi imaginationis producuntur (§. 93), adeoque per actus imaginationis subsistunt. Quoniam itaque sensationes actus imaginationis obscurant, ita ut hos subinde prorsus non appercipiamus (§. 99); impediunt utique, quo minus phantasmatis magis nobis conscii simus, quam rei sensu perceptæ (§. 25), consequenter quo minus efficiamus, ut phantasma nobis fiat clarius ideis sensualibus. Impediunt itaque quo minus ad phantasma simus attenti. Quoniam sensatio fortior obscurat debiliorem, ita ut subinde debiliorem prorsus non percipiamus (§. 76); eodem, quo ante, modo patet sensationem fortiorem impedire, quo minus ad debiliorem simus attenti. *Impedimenta attentionis a sensu objecta.*

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus te vi imagi-

Digitized by Google

nationis tibi repræsentare imaginem *Mosis* in templo visam & ad eam attendere. Quodsi objectum aliquod præsens in oculos incurrit, v. gr. arbor vicina, dum in hortum prospicis; attentionem ad imaginem illam deficere experieris, ad arborem nunc directam nonnisi difficulter ad illam retrahi, præsertim ubi attentionem nondum in potestatem tuam redegisti. Impedit igitur in hoc casu sensatio attentionem ad phantasma afferendam. Similiter visum claritate sua vincere sensationes ceteras constat. Orator ad verba, quæ recitat attentus, ubi oculum convertit in personam, deficere sentit attentionem ad sermonem suum.

Propositioni huic notio communis respondet: unde audias vulgo omnes conqueri, sese non posse ad rem præsentem esse attentum, si organa sensoria ab objectis sensibilibus feriuntur.

§. 239.

Quomodo tollantur.

Quare si ad phantasmata attenti esse velimus; ne objecta externa in organa sensoria agant, impedimus. Ita claudimus oculos, ne in eos incurrere possit objectum præsens, dum attentionem ad imaginem conservare volumus, quod alibi a nobis visum meminimus. Idem a nobis fieri solet, ubi majorem ad operationes mentis attentionem conservare voluerimus.

Videmus subinde oratores & concionatores clausis oculis orationem recitare, ne objecta visibilia impediant attentionem ad ea, quæ verbis proferunt. Alii oculos ab auditoribus avertunt, ne eorum conspectu ab attentione avocentur. Tacemus exempla alia, quæ unusquisque posthac facile per se agnoscet, ubi attentione usus principium præsens applicat, aut, si mavis, eruere studet.

§. 240.

Attentio quando facilius, quando difficilius conservetur.

Quoniam sensatio impedit, quo minus ad phantasma simus attenti, & sensatio fortior impedit, quo minus ad debiliorem simus attenti (§. 238); *attentio facilius conservatur, quando pauca in sensus externos agunt; difficilius vero, quando multa simul, præsertim fortiter, in organa sensoria agunt.*

Inde

Inde est, quod aurora dicatur Musis amica, quoniam matutino tempore pauca sunt objecta, quæ in organa sensoria agunt, tum nondum ferveat solis æstus, aër strepitu hominum non resonet, nec corpus sit sibimetipsi molestum, quemadmodum a prahdio præsertim fieri solet. Accedunt rationes aliæ ab imaginatione, quæ ex sequentibus patent. Patet per se auroram non esse Musis amicam, si eo fueris in loco, ubi primo statim mane multus hominum strepitus esse solet, aut ubi sedes in conclavi, in quo calidus nimium aër molestus. Ceterum ex eadem ratione multi eruditorum lucubrationes amant, quæ tamen aliis incommodis premuntur.

§. 241.

Si multa phantasmata in imaginatione continuo sibi invicem succedunt; attentio difficulter conservatur. Quodsi enim multa phantasmata in imaginatione continuo sibi invicem succedunt; nova continuo nobis objiciuntur objecta, quorum nobis conscii sumus. Quare ubi ad ea attendimus, cessat attentio ad objectum, ad quod eandem conservare constitueramus. *Attentio ab imaginatione impedita.*

Patet idem a posteriori. Ponamus enim te heri fuisse in frequentia multorum hominum ac interfuisse convivio lauto atque opiparo, ubi ad singula probe attendisti. Cras meditaturo in mentem veniunt ideæ hesternæ diei: experieris, quam difficile sit mentem conservare attentam ad ea, quæ meditaris, ubi præsertim (quod hic supponitur) attentionem ad gradum quendam eximium exercitatione nondum evexeris, quemadmodum fieri posse mox docebimus.

Casus sunt complures alii, ubi idem experiri licet. Quodsi multæ in imaginatione continuo sibi invicem succedant ideæ, atque his fueris intentus; non audis, quæ ab Oratore sacro dicuntur, etsi verba in aures incidant, teque eadem audire tibi videris. Impossibile nimirum est, ut apertis auribus non audias: enimvero quoniam deest attentio ad ea, quæ audis, quid audias tibi probe conscius non es, adeoque multo minus quid audiveris recordari potes. Imaginatio sane non minus turbat attentionem, quam sensus: quod enim sensus efficit claritate, id imaginatio variatione ac novitate idearum.

Digitized by Google

§. 242.

Concursus sensuum atque imaginationis in impediendaattentione & imaginationis ea in re a sensu dependentia.

Quoniam phantasmata oriuntur prævia sensatione (§. 106), quatenus repræsentant res cum iis, quæ sensu percipiuntur, antea simul perceptas (§. 117); ubi objecta multa in sensus agunt, vi imaginationis quoque multorum objectorum absentium ideæ reproducuntur, & eorum ope in continua serie continuantur, ubi attentionem animæ ad se trahunt (§. 104): *Sensus atque imaginatio in impedienda attentione vires mutuas conjungunt & imaginatio a sensu excitatur.*

Unusquisque hæc in seipso experiri potest, quamprimum sensus attentionem ad se trahit, eandem postea imaginationi nova continuo suggerenti inhærere. Sensus claritate sua attentionem ab objecto, ad quod ea dirigitur, avocant & imaginatio vi dependentiæ a sensibus eam in tramite retinet, donec a sensu denuo aliorsum flectatur vel vi operationum mentis in viam pristinam reducatur.

§. 243.

Gradus attentionis.

Aliorum attentio tanta est, ut vix ac ne vix quidem appercipiant objecta, quæ organa sensoria feriunt; aliorum attentio minor est, ut statim appercipiant objectum, quod vel leviter organum sensorium ferit. Posterius frequentissimum est atque vulgo obtinet, ita ut non opus sit exemplis specialibus idem confirmari (§. 666 *Log.*). Prius autem non experiuntur in se nisi illi, qui longis, perplexis atque abstrusis meditationibus sunt adsueti. Exemplo nobis est *Petrus Remundus de Monmort*, Mathematicus Gallus, qui, referente *Fontenellio* in Elogio, quod legitur in Historia Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1719. p. 115 edit. Bat. inter plurimos strepitus resolutionibus problematum admodum perplexorum incubuit. In eodem conclavi, quo meditationibus vacabat, pulsabantur instrumenta musica, filiolus hinc inde cursitabat & patrem interpellabat, problematum difficilium solutionem ad finem perducebat. Testatur autem experientia, quod tanta attentione utentes ad objectum præsens, non sint sibi conscii eorum, quæ sensu percipiunt,

Digitized by Google

cipiunt, & ſeſe excuſare, quod hoc vel iſtud non audiverint, ſeu non viderint, quod non attenderint.

Gradus hic in aliis major eſt, in aliis minor: in omnibus haud quaquam idem. Quamobrem ubi quis ad exempla animum adverterit, varietatem ea in re obviam deprehendet. Cavendum vero ne ex uno exemplo judicemus de eo, quod in omni caſu obtinet, aut obtinere debet. Diverſitas graduum hic dependet a diverſa obfuſcatione idearum ſenſualium. Sed naſcitur quoque aliunde: quemadmodum propoſitionibus ſequentibus docere volumus.

§. 244.

Alii attentionem ad idem objectum diu conſervare poſſunt; aliorum attentio ſtatim exſpirat. Exemplum nobis præbent illi, qui Matheſi vel philoſophiæ operam navant. Sunt enim nonnulli, qui attentionem conſervare poſſunt, etiamſi demonſtrationes fuerint longæ, atque perplexæ: alii ex adverſo eam ſtatim deſiderare patiuntur, ubi longa evadit ratiociniorum concatenandorum ſeries. Attentionis ſingularis exempla hic nobis præbent *Clavius* & *Walliſius*. Quanta fuerit attentio *Clavii*, ex ſolo Mathematici hujus opere de Aſtrolabio intelligitur, quod Operum Tomo tertio legitur: etenim ſchemata tam implexa ſunt ac intricata, demonſtrationes tam prolixæ, ut *Tacquetus* Opticæ lib. 3. f. 178 ſibi perſuadere minime poſſit, quod ullus unquam mortalium volumen iſtud totum perlegerit. Teſtatur idem opus ejus Gnomonicum, quod Tomo quarto Operum continetur: in eo enim demonſtrationes non minus ſunt prolixæ, ſchemata non minus implexa ac intricata, ut adeo exercendæ patientiæ in conſervanda attentione inſervire poſſit. Quamdiu *Walliſius* attentionem ſuam conſervare potuerit, Mechanicorum ſive Tractatus de motu pars ſecunda, quæ eſt de centro gravitatis ejusque calculo, & Operum Vol. II. f. 643 & ſeqq. legitur, ſatis intelligitur, Legat enim, cui volupe fuerit & qui talibus intelligendis par eſt, vel unam propoſitionem, quæ ſola aliquot folia occupat, &

Alius attentionis gradus.

Digitized by Google

adjunctam prolixissimam demonstrationem, nec dubitabit amplius de *Wallisii* in diu conservanda attentione patientia summa.

Quod vero non omnibus datum sit attentionem tamdiu conservare, quamdiu *Clavius* & *Wallisius* eandem conservare potuerint; haud difficulter probatur. Videmus enim, plerorumque attentionem initio studii mathematici deficere, si brevem aliquam demonstrationem concipere debeant. Et *Tacquetus* judicavit, paucissimorum attentionem fore tam diuturnam, ut demonstrationibus *Clavianis* de Astrolabio polari perpendendis sufficiat.

Habemus hic alteram attentionis mensuram, tempus scilicet, per quod ea continuatur.

§. 245.

Gradus attentionis alius.

Alii ad plura simul attenti esse possunt; alii nonnisi ad unum. Posterius plerique in se experiuntur, observantes quod attenti ad ea, quæ vident, non simul attenti esse possint ad ea, quæ audiunt, aut alio sensu percipiunt. Quodsi attentionem inter plura dividere voluerint; minorem esse ad singula sensum deprehendunt. Non desunt tamen exempla eorum, qui ad plura simul attendere possunt, ita ut eorum æque sibi conscii sint, sive objecta attentionis referantur ad unum sensum, sive ad diversa. Exemplo hic nobis est *Julius Cæsar*, quem eodem tempore, quo ipse epistolam scripsit, quatuor quoque aliis epistolas dictare potuisse constat, immo, qui septem epistolas diversas eodem tempore dictare potuit, si ipsemet nullam scriberet.

In hoc Cæsaris exemplo singularis quoque memoriæ vis elucet: unde vulgo ad probandum vim memoriæ ejus prorsus singularem factum hoc adduci solet. Merentur istiusmodi exempla quæ eximias animæ corporisque dotes ac virtutes loquuntur, in usum psychologicum annotari, quibus monumenta Historicorum perlustrandi otium suppetit, cum plus iisdem ordinarii insit, quam quidem vulgo putatur. Neque enim ratissima sunt exempla, quod pauci istiusmodi do-

Digitized by Google

dotium ac virtutum sint capaces, sed quod pauci dentur, qui de iisdem sibi acquirendis sunt solliciti. Ceterum de iis, quæ de diversis attentionis gradibus docemus, in genere tenenda sunt, nobis jam non propositum esse nisi ostendere, quod plures dentur attentionis gradus: nondum autem inquirimus, quænam sint eorundem graduum rationes. De his enim hic loci defectu principiorum dicere nondum licet. Utile autem est nosse, quænam sint in gradibus attentionis æstimandis attendenda, ne de ea præcipitemus judicia & ne in ea perficienda desiderari patiamur industriam nostram. Maximi enim fieri debet attentio ob multiplicem ejus, quem experimur, usum. Raritas illius attentionis gradus, de quo propositio præsens loquitur, peperit verbum istud vulgatum: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

§. 246.

Alii eandem attentionem afferre possunt ad objectum quodcunque; alii ad quædam nullam prorsus, ad alia vix levem quandam afferunt attentionem. Exempla, quibus propositio præsens confirmatur, inter viros doctos inprimis obvia sunt. Prout enim unumquemque sua trahit voluptas, attentione quoque sua utitur. Ita Poetæ attentione utuntur ad versus, quos legunt, & ad objecta, quorum notiones in fundendis versibus utilia sunt; ad alia difficile ipsis est eandem adhibere attentionem. Geometra stupenda uti potest, attentione ad calculos algebraicos & figuras geometricas: quodsi versus legere debeat vel alia, quæ sunt a foro suo aliena, etsi ea intelligere possit, attentionem tamen ad ea vix ac ne vix quidem aliquam afferre potest. Ita memini me adolescentem cognovisse virum quendam eruditum, qui continua utebatur attentione ad sermones sacros promiscue omnes eaque constanter eadem, qualiacunque tandem proferret concionator, cum ceteris auditoribus non perinde esset, quinam suggestum conscenderet. Multorum eruditorum is mos est, ut in musæo suo ad lectionem librorum & meditationes suas sufficientem afferant attentio-

Alius attentionis gradus.

Digitized by Google

tionem; ſed ad vitæ negotia, res domeſticas & ea, quæ ad cultum corporis ſpectant, nullam.

Influit hic in determinationem attentionis appetitus: de quo influxu ſuo loco dicemus. Pertinet huc illud Poetæ: Trahit ſua quemque voluptas. Hoc ipſo enim ratio determinans attentionis ad objecta indigitatur.

§. 247.

Alius attentionis gradus.

Alii ad rem præſentem, quæcunque tandem fuerit, omnem afferre poſſunt atque ſolent attentionem: alii animum ſemper habent abſentem, niſi objectum fuerit præſens, ad quod attentionem adhibere aſſueti ſunt. Exempla inprimis inter eruditos obvia ſunt. Pertinent huc illi, de quibus ante dixi (§. 246), qui in Muſæo ſuo ſunt attenti; ſed ad res domeſticas, vitæ negotia cultumque corporis attentionem afferre nequeunt. Hi enim plerumque animum ſemper habent in Muſæo præſentem, attendentes ad ea, quæ de rebus literaris ſuppeditat memoria vigore imaginationis. Exempla quoque obvia ſunt inter artifices. Dantur enim aliqui, quos præter artem, quam colunt, nihil juvat, atque adeo quæ ſunt artis continuo ipſis præſentia ſunt & attentionem eorum in ſe trahunt, ut nunquam habeant animum ad alia præſentem. Sunt etiam e ſexu præſertim ſequiori, quas Venus vexat, omnem in ſe attrahens attentionem, quam adeo deſiderari patiuntur in omni negotio.

Plurimum utilitatis habet animus ad omnia præſens: plurimum vero obeſt, ſi quis animo conſtanter abſens fuerit. Utilitas ſuo tempore in moralibus eluceſcet. Ex defectu attentionis ad rem quamlibet præſentem conſtanter afferendæ culpa oritur, quam Moraliſtæ & Jcti in actionibus humanis dolo opponunt, & qua plurimum damni datur aliis, plurimum quoque damni arceſſunt ſibimetipſi agentes. Quemadmodum itaque attentionis gradus alii in cognitione rerum utiles ſunt; ita ex adverſo is, de quo jam nobis ſermo eſt, potiſſimum in actionum liberarum legitima ac prudente determinatione locum habet.

§. 248.

Digitized by Google

§. 248.

Gradus attentionis exercitatione comparantur. Infantes recens nati ad nihil prorsus attenti sunt; sed successive illorum ad objecta nonnulla excitanda attentio est, atque ita demum ad aliqua attendere adsuescunt. Etsi autem successu temporis ad objecta nonnulla attendere discant; levis tamen tantummodo eorum attentio est, nec provectiore ætate ad eximium quendam gradum promovetur, nisi actus ad eum spectantes sæpius iterentur, adeoque exercitia præcedant (§. 195). Sane *Monmortius, Clavius & Wallisius, Julius Cæsar* aliique non pervenere ad eos attentionis gradus, nisi attentione sæpius exercita in diversis istis circumstantiis, quas paulo ante annotavimus (§. 243 & seqq.). Insigne attentionis exemplum præbet *Archimedes*, qui meditationibus geometricis intentus, cum urbe ab hoste capta miles in conclave ingressus ad eum accederet gladio virum divinum perfossurus, eum non agnovit, sed famulum suum esse ratus in hæc verba erupit: noli turbare circulos. Constat autem ex scriptis *Archimedis*, quod meditationibus profundissimis fuerit adsuetus, & ex historia, quæ *Vitruvius lib. 9. c. 3.* de invento ejusdem portionem argenti auro mistam in integro opere deprehendendi ac discernendi narrat, colligitur quod habuerit animum ad præsentia quævis attentum, etsi alias meditationibus suis constanter inhæreret. Etenim ab *Hierone* Rege jussus portionem argenti aureæ coronæ a fabro mixtam in integra discernendi modum excogitare, cum casu in balneum veniret ibique in solium descenderet, animadvertit, quantum corporis sui in eo insideret, tantum aquæ extra solium effluere, atque adeo non ita inhæsit suæ meditationi, qua tunc animus ejus distinebatur, quin simul attenderet ad præsentia & pro acumine suo attentionem ad abstracta in concretis contenta promoveret. Solum igitur *Archimedis* exemplum probat, quam necessaria sit ad attentionis eximium gra- *Gradus attentionis comparandi modus.*

dum ſibi comparandum exercitatio. Ceterum omnium omnino Mathematicorum exemplum veritatem propoſitionis præſentis confirmat. Nullum enim videris, qui attentione non vincat alios. Quilibet autem in ſeipſo experiri poteſt, quod initio ſtudii mathematici attentionis gradus ſit exiguus, ſucceſſu autem temporis continuo augeatur. Quodſi vero etiam inter alios eruditos atque artifices eximium quendam attentionis gradum deprehendas; in omni caſu ex eodem intelliges, quod eum non a natura habuerit, ſed continuo uſu eandem ſibi comparaverit.

Plurimum refert noſſe cum in genere, quænam in anima exercitio comparentur; tum in ſpecie, quod attentio in eorum numero ſit. Utrumque in Moralibus inprimis plurimum habet uſum: id quod ſuo tempore ſuoque loco conſtabit. Enimvero cum diverſi ſint attentionis gradus; diverſis quoque exercitiis opus eſt. Quamobrem nec omne attentionis genus ſtudio Matheſeos acquiritur, etſi idem in ſuo genere ſit medium præſtantiſſimum attentionem ſibi comparandi. Quoniam itaque attentio maximam utilitatem habet, cujuscunque tandem gradus fuerit; a ſcopo præſenti non alienum eſt, ut jam porro in ſpecie doceamus, quibusnam exercitiis unusquisque attentionis gradus acquiri poſſit.

§. 249.

Modus acquirendi potentiam attentionis inter impedimenta ſenſuum conſervanda.

Si quis attentionem inter multos ſtrepitus, ſeu in genere inter vehementes objectorum in organa ſenſoria actiones conſervandi ſibi comparare voluerit; ſæpius omnem adhibere debet conatum eandem inter ſtrepitus ſenſim ſenſimque majores, vel actiones objectorum in organa ſenſoria ſenſim ſenſimque vehementiores ad objectum aliquod pro arbitrio conſervandi. Quoniam enim non omnes inter eosdem ſtrepitus, ſeu, in genere inter easdem actiones objectorum in organa ſenſoria conſervare attentionem poſſunt; ſed alii inter majores ſtrepitus, alii inter minores tantum conſervare valent, vel in genere aliis vehementior objectorum in organa ſenſoria actio non obſtat, quo minus ſint

ad

Digitized by Google

ad rem ſuam attenti, aliis vero minus vehemens jam impedimento eſt (*§.* 243); attentio unius inſtar partis attentionis alterius ſpectari poteſt (*§.* 341 *Ontol.*), conſequenter attentio unius minor, attentio vero alterius major eſt (§. 352 *Ontol.*). Quare cum attentiones duorum ſubjectorum in hoc caſu ſint inæquales (§. 354 *Ontol.*); erunt quantitate diverſæ (*§.* 350 *Ontol.*), conſequenter attentio quantitatem habet. Enimvero quia attentio eſt animæ quædam facultas (§. 237), in numero determinationum intrinſecarum animæ (*§.* 122. 545 *Ontol.*), adeoque qualitas animæ eſt (*§.* 454 *Ontol.*). Ergo potentia conſervandi attentionem inter multos ſtrepitus, ſeu vehementes actiones objectorum in organa ſenſoria eſt qualitatis cujusdam quantitas, conſequenter gradus quidam (§. 747 *Ontol.*). Jam vero gradus attentionis exercitio comparantur (*§.* 248). Ergo exercitio quoque comparatur potentia conſervandi attentionem inter multos ſtrepitus, ſeu vehementes quascunque objectorum externorum actiones in ſenſoria organa. Quoniam itaque exercitium in iteratione actuum ſpecie vel genere eorundem conſiſtit (§. 195); ſi quis attentionem inter multos ſtrepitus, ſeu in genere inter vehementes objectorum in organa ſenſoria actiones ſibi acquirere voluerit, is ſæpius eandem inter ſtrepitus, ſeu actiones vehementes objectorum in organa ſenſoria conſervare debet. Et quia potentiam iſtam initio nondum poſſidemus, quam demum acquirere ſtudemus; ideo incipiendum eſt exercitium ab iis caſibus, ubi ſtrepitus vel actio objecti in ſenſus attentionem impediens non eſt ingens; progrediendum vero continuo ad alios, in quibus ſtrepitus ſit major, vel actio in organa ſenſoria vehementior. Pars prior demonſtrationis brevior fieri poterat hoc modo. Attentio qualitas animæ eſt, quod eodem, quo ante, modo oſtenditur. Quare cum eadem in diverſis ſubjectis differre poſſit potentia, qua conſervatur inter ſtrepitus vel actiones

Digitized by Google

vehementes objectorum in organa ſenſoria attentio (§. 243); ipſa hæc potentia gradus attentionis eſt (§. 746 *Ontol.*), conſequenter exercitio comparatur (§. 248) ſi attentionem inter ſtrepitus, ſeu actiones objectorum in organa ſenſoria pro arbitrio conſervare ſtudemus.

Nullum ſane dubium eſt, quin *Monmortius*, quem eodem attentionis gradu inſtructum fuiſſe in ſuperioribus obſervavimus, eadem exercitio fuerit conſecutus. Ipſi enim veritatem propoſitionis præſentis in nobis experti ſumus, nam cum initio turbaremur vel muſſitatione aliorum, nullum deinde obſtaculum poni nobis potuit tubarum clangore & tympanorum ſonitu.

§. 250.

Diuturna attentio quomodo acquiratur.

Si quis attentionem diu ad idem objectum conſervandi potentiam ſibi comparare voluerit; is omnem conatum adhibere debet, ut ſenſim ſenſimque per temporis ſpatium longius conſervet. Eodem propemodum modo idem oſtenditur, quo propoſitionem præcedentem evicimus. Nimirum primo patet ut ibidem potentiam diu conſervandi attentionem eſſe gradum quendam attentionis: deinde cum gradus attentionis exercitio acquiratur (§. 248), inde porro colligitur, ſæpius attentionem ad idem objectum conſervari debere & quidem ſenſim ſenſimque per longius ſpatium.

Idem etiam confirmatur a poſteriori. Neque enim *Clavius* & *Walliſius*, quos in hoc genere attentionis commendavimus, initio ſtudii mathematici ea attentione uti potuere, qualis ad meditationes longas, intricatas atque perplexas abſolvendas poſtea requirebatur. Unde videmus Matheſeos theoreticæ ſtudio acquiri facultatem attentionem per longum admodum temporis ſpatium conſervandi abſque omni tædio atque moleſtia. Immo ipſo facto docemur, ſi quis in Matheſi a minus intricatis ac perplexis ad ea continuo progrediatur, quæ magis intricata atque perplexa ſunt, ejus tandem attentionem nec intricatis atque perplexis defatigari. Qui continuo lectioni libro-

Digitized by Google

librorum incumbunt, illi non minus attentionis ad lectionem conservandi potentiam diuturno usu sibi compararunt. Similiter artifices in experimentando otium consumentes successive eam consecuti sunt attentionem, quam in experimentis capiendis adhibere solent. Idem loquitur exemplum artificum, quorum opera plurimum attentionis postulant ut rite perficiantur, & quorum animos sollicita cura tenet, ne quid in opere ab ipsis perfecto reprehendi possit.

Influit in hunc attentionis gradum appetitus multiplici modo ac plurimæ ipsius in hoc negotio sunt partes. Sed de his agendum erit suo loco, ubi influxum appetitus in attentionem ex instituto persequemur. Ceterum si quis in disciplinis diu conservandæ attentionis potentiam sibi comparare voluerit, ei nil quicquam magis ad donum hoc eximium consequendum prodest demonstrationum continuo longiorum evolutione & calculorum continuo prolixiorum ac intricatiorum tractatione. Hoc profecto medio tantum attentionis diu conservandæ gradum sibi acquisiverat *Varignonius*, Geometra Gallus eximius, ut singulare nobis in præsente casu exemplum præbeat. Narrat enim *Fontenellius* in elogio, quod legitur in Historia Academiæ Regiæ Scientiarum A. 1722 p. 192. edit. Bat. *Varignonium* lucubrationes suas sæpissime continuasse usque ad horam secundam matutinam, miratus sonitum campanæ horam secundam loquentis. Nimirum qui præsente attentionis gradu excellunt, iis tempus præter omnem spem præterlabitur, quod nullam prorsus attentionem afferant ad rerum successionem, unde notio temporis nascitur (§. 572 *Ontol.*), sed omnem ad objectum applicent, cum quo ipsis negotium est. Enimvero *Varignonium* singularem hunc attentionis gradum non sine exercitio sibi acquisivisse, ex eo intelligitur, quod *Fontenellius* autor sit a prima juventute virum industrium integros dies in studiis literariis consumsisse, spreta omni recreatione, qua alias lassus refocillatur animus. Ceterum non minus ex iis, quæ idem *Fontenellius* narrat, colligitur, in attentionem *Varignonis* diuturnam influxisse appetitum: sed de eo suo loco nobis dicendum erit.

Digitized by Google

§. 251.

Modus acquirendi potentiam partiendi inter objecta plura attentionem.

Si quis ad plura simul attentionem adhibendi potentiam sibi comparare velit; is sibi primum acquirat potentiam attentionem tamdiu ad idem objectum conservandi, quamdiu voluerit, immo etiam inter quascunque objectorum in sensus externos actiones; deinde attentionem partiatur inter objecta duo, felicique progressu potitus inter plura, quamdiu ipsi progredi datum fuerit. Patet eodem prorsus modo, quo supra (§. 249), potentiam partiendi attentionem inter objecta plura esse gradum quendam attentionis, consequenter exercitio comparari (§. 248), atque ideo opus est repetitis continuo actibus, quibus attentionem inter plura objecta simul partimur (§. 195). Enimvero antequam attentionem inter plura partiri possis, necesse est ut eandem in eodem objecto pro arbitrio retinere & animum inprimis ab iis objectis, quæ sensus feriunt, revocare possis: id quod per se patet. Quamobrem primo potentiam diu conservandi attentionem (§. 250) & inter quosvis objectorum in sensus actiones acquirere debes (§. 249).

Idem probatur a posteriori. Laudavimus supra (§. 245) præclarum in hoc genere *Julii Cæsaris* exemplum. Hunc non sine exercitatione ad hunc attentionis gradum perveniisse colligo ex eo, quod ipsius ævo, quemadmodum ex Autore ad *Herennium lib. 4.* intelligitur, memoriæ artificiosæ una cum arte oratoria studuerint illi, quorum eadem erat, quæ *Cæsaris*, conditio. Exercitia autem, quibus memoria artificiosa comparatur, plurimum habent affinitatis cum iis, quibus potentia partiendi attentionem inter plura objecta comparatur, ut facilis sit a memoria artificiosa ad hanc potentiam tranſitus. Præterea vitæ genus, quod secutus est *Cæsar*, & circumstantiæ illorum temporum ad partiendum attentionem absque destinato consilio eum invitabant, ut adeo gradum istum attentionis acquirere potuerit, etsi de eodem acquirendo non cogitaret;

Digitized by Google

ret; nec tale quid fieri posse ante agnosceret, quam dono isto prorsus singulari frueretur.

Ostendemus suo loco, quosdam casu incidere in exercitia, quibus habitus comparantur, atque præter omnem opinionem ac intentionem iisdem potiri, etsi alii plurimum laboris impendere debeant, ut eosdem consequantur. Idem obtinet in casibus aliis, in ipsa quoque veritate, quæ latet, detegenda.

§. 252.

Si quis animum indifferentem ad quodlibet objectum efficere velit, ut eandem ad quodvis attentionem afferre possit; is omnem adhibere debet conatum, ut ad objecta non modo quævis obvia, sed studio etiam quæsita, inprimis ad ea, quæ attentione sua indigna judicat, & a quibus quasi retrahitur animus attendat. Indifferentia attentionis.

Eodem, quo supra (§. 512), modo ostenditur, indifferentiam attentionis ad objecta quælibet obvia esse gradum quendam attentionis (§. 246), consequenter exercitio comparari (§. 248). Quamobrem cum hoc exercitium constet attentione actuali ad objecta promiscue omnia, quæ sese nobis offerunt (§. 195); si differentiam istam attentionis acquirere voluerimus, opera nobis danda est sedulo, ut objecta prorsus diversa in conspectum nostrum prodeant, vel animo nostro offerantur, & omnis conatus adhibendus, ut ad singula eadem attentio conservetur, quamdiu nobis visum fuerit. Et quoniam difficilius conservatur attentio, si qua nobis tam abjecta videantur, ut infra attentionem nostram ea posita existimemus, aut si qua talia sint, ut ab iis prorsus abhorreamus; in id potissimum nobis enitendum, ut attentionem nostram in istiusmodi objectis diu defixam detineamus: quod etsi initio molestum nobis accidat, tædia tamen aliquantisper devoranda sunt, donec nulla amplius in nobis repugnantia deprehendatur.

Quoniam huc plurimum conducit rerum diversitas continuo variata; non tam casui res committenda, quam destinato consilio quærenda sunt objecta, qualia ad attentionem nostram exercendam com-

commoda judicamus. Quilibet autem, ſi quidem attentione uti voluerit, in ſeipſo experietur, in præſente caſu appetitum multum influere in attentionem noſtram. Quamobrem in exercitiis inſtituendis ab eo expectanda ſunt ſubſidia. Plurimum in moralibus utilitatis habet attentionis identitas in negotiis levioribus & iis, quæ maximi momenti ſunt. Atque ideo in hoc gradu attentionis comparando utiliter admodum opera collocatur.

§. 253.

Præſentia animi quomodo acquiratur.

Qui indifferentiam attentionis ad objecta quælibet ſibi comparat, eadem induſtria acquirere poteſt potentiam ad rem præſentem, quæcunque tandem fuerit, omnem afferendi attentionem. Etenim qui indifferentiam attentionis ad objecta quælibet ſibi comparat, is omnem adhibet conatum, ut ad objecta quælibet obvia attentionem tamdiu conſervet, quamdiu ipſi viſum fuerit (§. 252). Quare ſi ſtudium iſtud conſervandi attentionem ad rem quamlibet præſentem aliquamdiu continuet; ſine ullo tandem negotio ad rem præſentem quamlibet, ſi voluerit, conſervare valet (§. 195. 248). Eadem igitur induſtria acquirit potentiam attentionem omnem afferendi continuo ad rem quamlibet præſentem, qua indifferentiam attentionis ad objecta quælibet ſibi comparat.

Poterat etiam eodem, quo ſupra (§. 249), modo oſtendi potentiam habendi animum ad præſentia continuo attentum eſſe peculiarem quendam attentionis gradum (§. 247) atque adeo exercitio comparari (§. 248). Quare cum exercitium huc ſpectans ſit continua ad id, quod præſens eſt, attentio (§. 195); animum quoque ad præſentia conſtanter attentum afferre tenemur, niſi attentionem aliud quid ſibi vindicet, eumque ab iis revocare debemus, quæ huc non ſpectantia eundem occupant, ubi potentiam animum ad rem quamcunque præſentem acquirendi nobis comparare volumus.

Sunt multa motiva particularia, quibus determinamur ad animum rebus præſentibus continuo præſentem, ſed hæc ad philoſophiam po-

portas moralem, quam ad Pſychologiam ſpectant. Abſit itaque ut quis exiſtimet, omitti utilia, quæ ſuo loco a nobis referuntur.

§. 254.

Gradus quilibet attentionis diu intermiſſo ejus uſu iterum amittitur. Gradum attentionis ſemel acquiſitum non utendo iterum amitti, experientia obvia docet. Domeſticam hic appellare poſſumus. Sane cum adſueti eſſemus inter quosvis ſtrepitus, ipſarum tubarum clangorem ac tympanorum ſonitum ad meditationes noſtras conſervare attentionem, perinde ac ſi prorſus tranquillo in loco ſederemus; ubi aliquot annis muſæum nobis fuiſſet ab omni ſtrepitu prorſus remotum, attentio noſtra facillime turbari poterat, nec ſine difficultate in objecto præſente detinebatur, præſertim quod nonniſi vi imaginationis præſens fiſtebatur, ac ubi meditationibus de rebus a ſenſu remotis indulgendum erat. Novo igitur exercitio demum inſtaurandus erat attentionis gradus, quaſi de novo comparandus (§. 248). *Quomodo attentionis gradus ſimul acquiſitus amittatur.*

Confucio, Sinarum Philoſopho, veritas propoſitionis præſentis probe perſpecta fuit. Quamobrem cum ipſi perſpectum eſſet, quam neceſſaria ſit attentio ad rectam actionum directionem, ad res quascunque leviſſimas eandem attentionem afferebat, quam ad res arduas afferre ſolebat: quemadmodum in Notis ad Orationem de Sinarum philoſophia practica me monuiſſe memini.

§. 255.

Gradus quilibet attentionis continuo uſu conſervatur, & perficitur. Quoniam enim gradus attentionis promiſcue omnis exercitio acquiritur (§. 248), impoſſibile eſt ut amittatur, quamdiu exercitium iſtud durat. Quare cum exercitium duret, quamdiu gradu iſto attentionis utimur (§. 195); continuo ejusdem uſu conſervari debet. *Quomodo attentionis gradus conſervetur & perficiatur.*

Porro quia exercitio acquiri debet, quicquid attentionis acquiritur (§. 248); attentio autem perficitur, ſi quid

Digitized by Google

attentionis acquiritur, quod nondum habebamus: continuo gradus alicujus attentionis usu idem perfici debet.

Ex propositione præsente ulterius liquet, *Confucio* fuisse rationem sufficientem, cur ad actiones quascunque minimi, immo nullius momenti eandem afferret attentionem, qua ad negotia ardua & actiones maximi momenti opus erat. Quod adeo in philosopho summo reprehendunt, immo deridendum propinant, qui res nonnisi obiter inspicere solent superficiariam attentionem cum habetudine mentis conjungentes; id summam utique laudem meretur.

§. 256.

Attentionis directio pro arbitrio variabilis.

Attentionem nostram successive ad alias aliasque partes perceptionis totalis promovere valemus, prouti visum nobis fuerit. Hoc ex eorum numero est, quod unusquisque quovis momento in se experiri potest. Ponamus enim te videre arborem. In potestate tua positum deprehendis, ut attentionem tuam dirigas ad folia, a foliis ad surculos, quibus eadem adhærent, a surculis ad ramos, quibus iidem inseruntur; a ramis ad truncum, ex quo ipsi procedunt. Immo in potestate tua positum deprehendis, ut a trunco eandem retrahas ad aliam quamcunque ejus partem. Similiter si attentionem in folio defigis, in potestate tua positum deprehendis, ut eam applices ad folii figuram & inprimis ad perimetrum, qua continetur folium, deinde eandem promoveas ad colorem viridem, quo tingitur, ad pediculi per integrum folium secundum longitudinem ejus continuationem, hinc ad ramulos inde procedentes secundum folii latitudinem, ulterius ad surculos ex ramulis undiquaque sparsis ac tandem ad materiam inter ipsos conspicuam seu utriculorum congeriem. Nec minus in folii perlustratione, quam ante cum totam arborem conspiceres, in potestate tua positum deprehendis, ut a qualibet particulari perceptione ad quamlibet alteram attentionem retrahas.

Videmus adeo attentionis directionem pendere ab arbitrio nostro, etsi hic exercitio opus sit, ut magis eidem subjiciatur, quemadmodum paulo post ostensuri sumus.

§. 257.

Digitized by Google

§. 257.

Attentionis successiva directio ad ea, quæ in re percepta insunt, dicitur *Reflexio*. Unde simul liquet, quid sit *Facultas reflectendi*, scilicet quod sit facultas attentionem suam successive ad ea, quæ in re percepta insunt, pro arbitrio dirigendi. Quare cum constet, quod attentionem nostram successive ad alias aliasque partes perceptionis totalis promovere valeamus, prout nobis visum fuerit (§. 256) *Reflexionis definitio.*

Anima habet facultatem super rebus perceptis reflectendi.

Goclenius noster in Lexico reflexionem definit per intimam animæ actionem, qua recognoscit tum seipsam, tum suos actus & suas species. Intelligit autem per species animæ ideas rerum, quas habet. Et recognoscere ipsi idem est ac sibi conscium esse, quod hanc ideam jam habeamus, quod has operationes mentis jam exercuerimus. Nimirum harum ita nobis conscii sumus, quatenus attentionem nostram successive ad ea, quæ in re percepta continentur, ipsasque nostras actiones mentis circa eas convertimus. Non videtur *Goclenius* satis distinguere, quæ memoriæ sunt, ab iis quæ reflexioni tribuenda veniunt. Quod tamen vocabulum reflexionis non sumat in alio significatu, quam a nobis accipitur, ex ceteris ejus verbis apparet, quæ ibidem leguntur. „ Reflexio enim, ait, Physicis est, cum, postquam intellectus concepit rem aliquam, rursus concepit se concepisse eam, & considerat ac metitur, qua certitudine & modo illam cognoverit & si opus fuerit, iterum atque iterum convertit se seu revertitur ad se & actus suos. " Brevi dum affirmat, animam iterum atque iterum convertere se seu reverti ad actus suos; specialem reflexionis casum, qua super actibus suis mens reflectit, eodem modo describit, quo nos reflexionem in genere definivimus. Quid enim aliud est conversio ad actum semel perceptum, quam directio attentionis ad eundem. Dum vero de re ipsa percepta pronunciat, quod eandem consideremus, ac metiamur qua certitudine & modo illam cognoverimus, hoc ipso actus reflexionis nonnullos enumerat, quæ sese per directionem attentionis ad partiale quoddam objectum exerunt. Prima vero, quibus utitur, verba ad memoriam referenda, quæ cum reflexione semper conjungitur.

§. 258.

Quanam per actus reflexos distinguamus in re percepta.

Si super re percepta reflectimus, eorum, quæ eidem insunt diversa, vel ad eandem quomodocunque pertinent, nobis conscii sumus & ea a re, cui insunt, diversa esse agnoscimus. Etenim dum super re percepta reflectimus, attentionem successive ad ea dirigimus, quæ eidem insunt, vel ad eam quomodocunque spectant (§. 257). Efficimus itaque ut id, ad quod attentionem nostram dirigimus, clarius percipiamus ceteris, quæ simul insunt (§. 237), consequenter ut idem magis appercipiamus quam cetera, quæ in re percepta simul continentur (§. 235). Magis adeo nobis conscii sumus, nos id percipere, ad quod attentionem nostram dirigimus, quam cetera, quæ in eadem re simul insunt (§. 25). Quare cum attentionem successive ad alia aliaque in re percepta contenta promoveamus *per demonstrata*: successive quoque nobis magis conscii sumus, quod nunc hoc, nunc istud percipiamus, quod rei perceptæ inest, quam cetera, quæ simul insunt. Dum igitur super re percepta reflectimus, eorum, quæ eidem diversa insunt, vel ad eandem quomodocunque pertinent, (horum enim, quæ illorum, eadem est ratio) nobis conscii sumus.

Enimvero dum super re percepta reflectimus, attentionem nostram pro arbitrio dirigere possumus in quodcunque eidem inexistens, vel quomodocunque ad eandem spectans, eamque inde ad rem perceptam ipsam retrahere (§. 257). Quare cum ad rem ipsam attenti ejus nobis conscii simus *per demonstrata* & eorum, quæ in eadem vel ad eandem quomodocunque spectantia sigillatim percepimus, tanquam sigillatim perceptorum meminimus (§. 226), dum super re percepta reflectimus, ea, quæ eidem insunt, vel quomodocunque ad eandem spectant, tanquam diversa ab eadem agnoscimus (§. 183 *Ontol.*).

Exemplo propositio præsens ejusque demonstratio mirifice illustratur. Etenim si super arbore reflectimus successive attentionem

nostram

noſtram dirigimus ad folia, ſurculos, ramos, truncum, quemadmodum paulo ante (§. 256) jam vidimus. Dum attentionem noſtram ad folia dirigimus magis nobis conſcii ſumus, quod jam percipiamus folia, quam quod ſimul ſurculos, ramos & truncum percipiamus. Similiter dum attentionem noſtram ad ſurculos dirigimus, magis nobis conſcii ſumus, quod jam ſurculos percipiamus, quam quod ſimul folia, ramos & truncum percipiamus, ac ita porro. Sigillatim igitur nobis conſcii ſumus foliorum, ſurculorum, ramorum, trunci, hoc eſt, eorum, ex quibus arbor conſtat, ſimulque nobis conſcii ſumus, quod eorundem ſigillatim nobis conſcii ſimus. Inde eſt quod *Goclenio* autore philoſophi ad reflexionem requiſiverint, ut mens concipiat ſe rem concepiſſe, & eam ad actus ſuos ſe convertere dicat. Enimvero dum attentionem ad integram arborem iterum dirigimus, memoria nobis ſuggerit, nos folia ſigillatim modo percepiſſe & eadem eſt ſurculorum, ramorum atque trunci memoria. Atque inde colligimus folia eſſe ab integra arbore diverſa, eodemque modo agnoſcimus ſurculorum, ramorum atque trunci ab eadem diverſitatem: nimirum folia & arborem integram ſibi invicem non poſſe ſubſtitui, ut eorundem nobis conſcii ſimus, ſeu ut facta ſubſtitutione reſpectu perceptionis perinde ſit, ac ſi ſubſtitutio nulla facta eſſet. Quilibet enim ſatis agnoſcit perinde non eſſe, ſive arborem integram percipiat, ſive tantummodo folia, aut ſurculum, aut ramum, aut truncum. Vi notionis igitur diverſitatis agnoſcimus, folia ab arbore eſſe diverſa (§. 183 *Ontol.*). Immo eodem modo agnoſcimus ſurculos, ramos, truncum eſſe tum ab arbore integra, tum a ſe invicem diverſos. Ex ſequentibus patebit reflexioni ſeſe immiſcere multas mentis operationes, ut adeo mirum non ſit hactenus non ſatis a ſe invicem eſſe diſcreta, quæ ad diverſas animæ facultates ſpectant.

§. 259.

Si attentionem noſtram primum in A, deinde in B ſigillatim, mox in A & B ſimul dirigimus; A & B *inter ſe conferre* dicimur. Eſt adeo *Rerum perceptarum collatio* attentionis primum in ſingulas, mox in duas vel plures ſimul facta directio. Quoniam attentionem noſtram ſucceſſive ad alia aliaque, prout nobis commodum viſum fuerit, dirigere valemus (§. 256); *Res* quoque *percepta inter ſe conferre valemus.* *Collatio rerum perceptarum.*

Digitized by Google

Ponamus te attentionem tuam dirigere ad arborem integram, mox sigillatim ad folia, furculos, ramos & truncum. Deprehendes in potestate tua positum esse, ut attentionem ad folia & furculum simul dirigas, atque tibi eorum simul, sed tanquam a se invicem diversorum sis conscius. Dum hoc facis, folia & furculum inter se conferre dicēris. Insunt huic collationi plures animæ operationes, & dum attentio huc illucque seu a re percepta una ad alteram continuo retrahitur, memoria quoque cum imaginatione sese immiscet.

§. 260.

Quod pertineat ad reflexionem

Dum super rebus perceptis reflectimus, eas quoque inter se conferimus. Etenim dum super rebus perceptis reflectimus, attentionem nostram successive ad ea, quæ in re percepta insunt, vel quomodocunque ad eandem pertinent, prout nobis commodum visum fuerit, defigimus (§. 257). Quoniam itaque directio attentionis ab arbitrio nostro pendet; ad bina quoque simul eandem dirigere valemus, ad quæ eandem sigillatim direxeramus. Quare cum res perceptas inter se conferamus, dum attentionem nostram primum in eas sigillatim, deinde in easdem simul dirigimus, eam continuo ab una ad alteram quasi retrahentes (§. 259); *dum super re percepta reflectimus, ea inter se conferimus.*

Est nempe rerum perceptarum collatio actus quidam specialis reflexionis, etsi non simplex, sed in varios alios resolubilis, quemadmodum jam (*not. §. 259*) innuimus. Hic sane actus sese exerit, dum quæ in re percepta diversa insunt tanquam diversa agnoscimus (§. 258).

§. 261.

Reflexio animæ super seipsa.

Anima quoque super seipsa & actibus suis reflectere potest. Anima enim est sibi sui, adeoque eorum, quæ ipsi actu insunt, seu actuum suorum conscia (§. 20): id quod quovis etiam momento unusquisque in se experiri potest & singulis comprobatur, quæ in antecedentibus de anima observata retulimus. Mens igitur seipsam & actus suos percipit & appercipit

Digitized by Google

pit (§. 24. 25), adeoque efficere valet, ut partialem quandam perceptionem magis appercipiat, quam ceteras (§. 234), veluti ut actum aliquem suum se percipere magis sibi sit conscia, quam quod percipiat ceteros, consequenter ut ejus perceptio sit ipsi ceteris clarior (§. 238). Attentionem igitur suam ad unum actum, vel unum quidpiam in se perceptum dirigere valet, quod antea cum aliis in se simul percipiebat (§. 237), consequenter super seipsa actibusque suis reflectere potest (§. 257).

Reflexio animæ super seipsa suisque actibus aut si mavis, iis quæ actu in anima contingunt, est medium perveniendi ad cognitionem animæ. Quicquid enim in Psychologia empirica traditur, illud cognoscimus, quatenus super iis, quæ in seipsa mens observat, reflectimus. Hæc tamen reflexio singulare quoddam acumen præsupponit. Unde contigit, quod in cognitione animæ philosophi plurimi non multum profecerint.

§. 262.

Actus reflexi dicuntur omnes animæ actiones, quæ reflexionem ingrediuntur. *Actus reflexi.*

Istiusmodi actus nulli sese exerunt in infantibus recens natis. Immo nec aduki super rebus omnibus ac actionibus suis reflectere solent, aut, si cum *Cicerone* loqui malueris, animum ad res omnes suasque actiones reflectere solent. Quod in philosophia reflexionem simpliciter appellamus, *Ciceroni* dicitur animi ad rem (perceptam) reflexio.

§. 263.

Continuo exercitio super re quacunque obvia singulisque nostris actionibus reflectere adsuescimus. Quodsi continuum fuerit super re quacunque reflectendi exercitium; super re quacunque obvia singulisque nostris actionibus reflectendi conatum continuo adhibemus (§. 195). Quare cum nobis conscii simus istius reflexionis, dum eandem instituimus, quod a posteriori satis patet, simulque rei, super qua reflectimus, tanquam sensui vel animo præsentis nobis conscii simus, quod non minus manifestum est; actus reflexos cum præsentia rei *Reflexio super re quacunque obvia quomodo acquiratur.*

simul

Digitized by Google

simul percipimus (§. 262). Quamobrem si idea quædam animo obversetur & in præsentiam ejus dirigimus attentionem, ut adeo ejusdem nobis conscii simus (§. 237); reflexionis quoque perceptio una excitatur (§. 104) & nos eandem recognoscimus (§. 174), consequenter nobis conscii sumus quod alias super re sensui vel animo præsente reflexerimus (§. 173). Quoniam igitur id destinato consilio fecimus *per hypoth.* hujus quoque consilii nobis conscii sumus. Quamobrem quamdiu nulla adest ratio, cur idem mutemus, quod hic supponitur; denuo super re reflectimus obvia, quia jam nobis præsens est, vel animo ejus nobis obversatur idea, consequenter etiam super actionibus nostris quibuscunque. Continuo igitur exercitio super re quacunque obvia singulisque nostris actionibus reflectere adsuescimus.

Propositio præsens maximæ est utilitatis, sive rerum cognitionem aequirendam, sive virtutis exercitium spectes.

§. 264.

Impedimenta reflexionis.

Quæ attentioni obstant, ea quoque impedimento sunt reflexioni. Si quid enim attentionem impedit, idem etiam impedire debet, quo minus eandem dirigas successive ad ea, quæ in re percepta insunt, aut quomodocunque ad eandem spectant: id quod per se patet. Enimvero in directione attentionis successiva ad ea, quæ in re percepta insunt, reflexio consistit (§. 257). Quicquid ergo attentionem impedit; idem quoque reflexioni impedimento est.

Impedimenta attentionis recensuimus in superioribus, scilicet sensationes, præsertim fortiores (§. 238) & phantasmatum in imaginatione continuam successionem (§. 241). Ac inferius patebit, quæ obstacula eidem appetitus objiciat. Non igitur opus est, ut de impedimentis reflexionis speciàliora profetamur. Equidem est quædam etiam ad reflectendum super re percepta aptitudo, quæ ubi deficit, parum hac in re proficeris: sed ejus defectum non commode inter impedimenta referre potest. Impedimentum enim supponit in agente aptitudinem ad agendum.

§. 265.

Digitized by Google

§. 265.

Quoniam igitur potentiam conservandi attentionem nobis exercitio acquirere valemus (§. 248), ad reflexionem vero conservatione attentionis opus habemus (§. 264); *si quis absque obstaculo super rebus percepeis reflectere velit, is attentionis conservandæ potentiam sibi comparare debet.* *Medium reflexionis.*

Quomodo potentiam conservandi attentionem nobis comparare debeamus in diversis, qui hic occurrunt, casibus, docuimus supra (§. 249 & seqq.). Inprimis plurimum nos juvat attentio, quam inter plura objecta simul partimur, ubi sigillatim percepta vel inter se vel cum re tota conferimus.

CAPUT II.

De Intellectu in genere & differentia cognitionis.

§. 266.

Dum super re perceptâ reflectimus, distincte eam percipimus. Dum enim super re percepta reflectimus, eorum, quæ eidem insunt diversa, vel ad eandem quomodocunque pertinent, nobis conscii sumus & ea a re, cui insunt, diversa agnoscimus (§. 258). Quoniam adeo in eadem plura sigillatim enunciabilia distinguimus; eam distincte percipimus (§. 38). Dum igitur super re percepta reflectimus, distincte eam percipimus. *Quando rem distincte percipiamus.*

Patet idem ex supra *not.* §. 258. allato exemplo de arbore. Dum enim super eadem reflectimus, tanquam diversa in eadem successive nobis repræsentamus folia, surculos, ramos, truncum, adeoque eandem distincte percipimus. Similiter dum super folio reflectimus, tanquam diversa in eodem distinguimus pedunculum, ejus secundum folii longitudinem productionem, ramos inde derivatos & secundum folii latitudinem extensos, surculos hincinde per folium excurrentes, perime-

trum folii, colorem viridem, differentiam coloris in parte anteriori & posteriori, seu superiori ac inferiori, utriculorum congeries inter surculos contentas, adeoque folium distincte percipimus. Idem centenis exemplis aliis confirmari potest, ut adeo pateat, res a nobis distincte percipi posse, quatenus habemus facultatem animum ad eas reflectendi. Tolle hanc facultatem, ipsam tollet distinctam perceptionem.

§. 267.

Modus perveniendi ad perceptionem distinctam.

Quoniam rem distincte percipimus, dum super ea reflectimus (§. 266); *multarum rerum perceptiones distinctas consecuturi super iis reflectere debemus.*

Patet adeo modus perveniendi ad perceptiones rerum distinctas. Plurima tamen adhuc subsidia supersunt, quæ ex sequentibus manifesta evadent. Utile est distinctis rerum perceptionibus a teneris unguiculis adsuescere, consequenter ad objecta quæcunque obvia excitari attentionem atque exerceri reflexionem.

§. 268.

Quomodo ad perceptiones universales perveniatur.

Dum super re percepta reflectimus & eam vel cum aliis simul perceptis, vel cum aliis, quarum meminimus, conferimus; perceptiones specierum ac generum acquirimus. Etenim dum super re percepta reflectimus, eorum, quæ eidem insunt diversa, vel ad eam quomodocunque pertinent, nobis conscii sumus & a re, cui insunt, diversa esse agnoscimus (§. 258). Quodsi ergo ea, quæ in rebus simul perceptis, vel etiam in iis, quæ nunc percipiuntur & quarum meminimus, inter se conferimus; quæ in ipsis eadem sunt, quæ diversa sunt, percipimus, consequenter nobis conscii sumus similitudinis ac dissimilitudinis illarum (§. 195 *Ontol.*). Quare cum similitudo individuorum species, similitudo specierum genera constituat (§. 233. 234 *Ontol.*); dum super re percepta reflectimus & eam vel cum aliis simul perceptis, vel cum aliis, quarum meminimus, conferimus; perceptiones specierum atque generum acquirimus.

Hoc modo percipimus res omnes, quas nominibus appellativis compellare solemus. Ita arborem in genere tanquam genus, cerasum

( ) in

in genere tanquam speciem; brutum in genere tanquam genus, equum vel canem in genere tanquam speciem percipimus.

§. 269.

Rerum genera & species ab invicem differunt per notas quasdam articulatas ea indicare solemus. Res facti non aliter quam a posteriori probari potest. Experientia autem unicuique obvia est, ut exempla in medium proferri opus non sit (§. 666 *Log.*). *Quomodo genera & species rerum indigitentur.*

Quodsi dubites num soni isti articulati indigitent genera & species; levi quadam attentione opus est, ut idem animadvertas. Pone enim te intueri canem, qui Mordax appellari solet; patet ideo canem hunc singularem vocari Mordacem, ut eum ab aliis canibus distinguas, & quodcunque individuum in hac brutorum specie canem dici. Est igitur vocabulum canis nomen speciei, non individui.

§. 270.

Quoniam ex sono isto articulato ab altero prolato colligimus, rem praesentem sive actu ipso, sive in idea esse individuum hujus speciei vel generis (§. 269); *soni articulati, quibus genera & species rerum, vel etiam individua indigitantur, sunt signa generum & specierum, vel etiam individuorum.* *Signa generum specierum & individuorum.*

Hinc jam in Ontologia (*vet.* §. 958. 959) vocibus istiusmodi articulatis usi sumus ad illustrandum doctrinam de signis.

§. 271.

Voces articulatae, quibus res perceptas aut perceptiones nostras indigitamus, dicuntur *Vocabula*, ut adeo *Vocabula* sint signa nostrarum perceptionum, vel rerum per eas repraesentatarum. *Vocabula quid sint.*

Ita vocabulum *arbor* & corpus naturale in regno vegetabili deprehendendum, quod ex foliis, surculis, ramis, trunco atque radice componitur; & ideam arboris, quam habemus, & vi cujus nobis arborem tanquam praesentem repraesentare valemus, quotiescunque voluerimus.

§. 272.

Quoniam vis significandi vocabulorum ab arbitrio homi- *Qualia signa sint vocabula.*

minum pendet, quod per se patet; *Vocabula signa artificialia sunt* (*§.* 958 *Ontol.*), consequenter *nil quicquam obstat, quo minus iisdem tribuatur significatus prorsus contrarius, vel ut eidem vocabulo tribuantur diversi simul significatus, vel ejusdem rei diversa sint signa* (*§.* 959 *Ontol.*).

Exempla jam dedimus alibi (*not.* §. 959 *Ontol.*), cum de signis artificialibus in genere ageremus. Vocabulorum autem significatus arbitrarius probe notandus est: etsi enim evidentissimus sit, plurimi tamen in eum impingunt, in interpretatione autorum ita procedentes, quasi significatus esset necessarius, atque adeo vocabula in numerum signorum naturalium essent referenda. Unde plurima consequuntur incommoda, quæ hic commemorari prolixum nimis foret.

§. 273.

Quomodo vocabula ideam rei in memoriam revocent & contra.

Si quis vocabulum & rem eadem denotatam sæpius una percepit; vocabulo audito rei quoque, quam denotat, meminit, & contra *idea rei sive sensus, sive vi imaginationis resuscitata, vocabuli ejusq; significatus meminit.* Si quis enim vocabulum & rem eadem denotatam sæpius una percepit, audito vocabulo vi imaginationis reproduci debet idea rei eodem denotatæ (*§.* 117), eademque ab anima recognosci debet (*§.* 213). Enimvero quando ideam rei reproductam recognoscere valemus, ejusdem meminimus (*§.* 226). Audito igitur vocabulo, rei eodem denotatæ meminimus.

Similiter si idea rei sive sensu, sive vi imaginationis resuscitatur; idea quoque vocabuli & significatus ejus reproducitur (§. 117); & tam illa, quam hic ab anima recognoscitur (§. 213). Idea igitur rei quomodocunque resuscitata vocabuli ejusque significatus meminimus (*§.* 226).

Atque ita apparet, quomodo linguam vernaculam, vel etiam ipso usu quamcunque aliam discamus, & cur infantes successu demum temporis vocabula intelligere discant. Quod vero eadem ante intelligant, quam eloqui valeant, id quidem inde est, quod voces formentur variis organorum loquelæ motibus, quemadmodum

suo tempore in Physicis docebimus, motus vero iste prompte producendi potentia nonnisi multo exercitio acquiratur.

§. 274.

Si quis vocabula diversarum linguarum sæpius simul percipit, audito uno meminit etiam alterius ac communis utriusque significatus. Si qua enim vocabula sæpius simul percepe- rimus audito uno reproducitur etiam idea alterius & communis utriusque significatus (§. 117) eademque a nobis recognoscitur (§. 213). Vocabuli igitur alterius ac communis utriusque significatus audito uno simul meminimus (§. 226). *Modus addiscendi linguas exoticas.*

Nos non alio uti modo linguas exoticas addiscendi, quam ut ideas vocabulorum in utraque lingua idem significantium sæpius una excitemus & super iis reflectentes communis utriusque significatus ideam superaddamus, quatenus utrumque ad eandem rem referimus; nemo est qui ignorat.

§. 275.

Facultas res distincte repræsentandi dicitur *Intellectus*. *Intellectus quid dicatur.*

Vocabulum intellectus vulgo admodum vagum ac ambiguum habet significatum, quemadmodum videre est apud *Goclenium* in Lexico, ubi misere se torquet in diversis significatibus eruendis; nec tamen tradit, quæ satisfaciunt. Nos distinguimus ea, quæ in anima insunt, a se invicem, & vocabula ad ea denotanda ita applicamus, ut singulis tribuatur finis quidam ac diversus a significatu alterius significatus, qui usui loquendi, quantum inconstantia permittit, non repugnat. Quodsi ergo facultatem cognoscendi excutias; cognosces res repræsentari vel confuse per imagines, vel distincte distinguendo a se invicem, quæ in imaginibus insunt, eademque ab imaginibus separando. Dum confuse res percipimus, ea vel præsentia, vel absentia sunt. Triplex adeo in repræsentatione rerum discrimen occurrit. Quamobrem tribus opus habemus vocabulis. Habemus tria vulgo vocabula, quæ de facultate cognoscendi usurpantur, sensum, imaginationem & intellectum. Non invito igitur communi loquendi usu sensus ad rerum præsentium, singulari, imaginatio ad absentium itidem in singulari per imagines confusam repræsentationem adeoque intellectus ad repræsentationem distinctam in universali refertur. Sufficit nos voca-

Digitized by Google

bulorum in Pſychologia ſignificatus in ſe arbitrarios ita determinare, ut ad certam atque diſtinctam animæ cognitionem acquirendam & cum aliis communicandam nobis ſint ſubſidio. Diximus in ſuperioribus (§. 55) facultatem cognoſcendi ſuperiorem, qua ideas & notiones diſtinctas acquirimus. Intellectus adeo & facultas ſuperior cognoſcendi ſynonyma videntur: quemadmodum etiam *Thümmigius* in Inſtitutionibus §. 60. Pſych. innuit. Quodſi tamen acumine profundiori in differentiam penetrare volueris, facultatem cognoſcendi ſuperiorem latius patere deprehendes, quam intellectum. Etenim ad acquirendas ideas ac notiones diſtinctas plura requiruntur, quam repræſentatio rerum diſtincta in univerſali, ſeu ipſe repræſentandi actus proximus, etſi remote in eundem influant. Sed non opus eſt tam ſollicite a ſe invicem diſtingui, quæ citra errorem pro ſynonymis haberi poſſunt.

§. 276.

Gradus intellectus objectivus.

Quo plura igitur ***diſtincte quis ſibi repræſentare poteſt: eo major eſt intellectus*** (§. 275).

Convenit huic corollario notio quædam communis: vulgo enim majorem intellectum tribuimus ei, qui pluribus ideis eum refertum habet, quam qui paucioribus, ut adeo de pluribus rebus diſſerere poſſit quam alter ac de pluribus ſuum interponere judicium valeat. Habemus adeo primum gradum intellectus, qui ab objecto deſumitur, ac ideo ***gradus objectivus*** appellari poteſt.

§. 277.

Gradus intellectus formalis.

Quo plura quis in eodem ſubjecto diſtinguit: eo major eſt intellectus (§. 275.).

Nec ab hoc corollario abhorret notio communis. Majorem enim intellectum reſpectu alicujus objecti tribuimus uni, quam alteri, ſi plura de eodem ſubjecto noverit prædicata, quam alter. Habemus adeo alterum intellectus gradum, qui cum a forma ſeu modo repræſentationis petatur, gradus formalis vocari poteſt.

§. 278.

Intellectus quinam maximus.

Quoniam in intellectu non diſtinguimus niſi objectum, quod repræſentatur, & modum, quo repræſentatur (§. 175), primus autem gradus illius ab objecto (§. 276), alter a forma peti-

Digitized by Google

petitur (§. 277); *intellectus major concipi nequit, quam qui omnia possibilia distincte sibi repræsentare valet*, consequenter *intellectus omnia possibilia distincte repræsentans erit omnium maximus*, seu *absolute summus*.

Utrum detur intellectus maximus seu absolute summus, nec ne, immo utrum possibilis sit, nec ne; hic nondum definiri potest. In Theologia naturali ostendemus, eum utique possibilem esse atque Deo competere. Non vero tantummodo in usum Theologiæ naturalis propositio præsens præmittitur; verum etiam eum in finem eidem hic locus conceditur, ut inde intellectus nostri imperfectionem metiamur atque adeo agnoscamus, quam infinito intervallo a maximo intellectu distemus, clarius percipientes veritatem illius pervulgati, maximam partem eorum, quæ scimus, esse minimam eorum, quæ nescimus. Bini illi intellectus gradus, de quibus diximus (§. 276. 277), in hominibus, quorum intellectus tam materialiter sive ratione objecti, quam formaliter sive ratione modi repræsentandi limitatus est (§. 279) plurimum differunt. Sed differentia ista ex sequentibus clarius elucescet.

§. 279.

Intellectus noster limitatus est tum quoad objectum, tum quoad modum repræsentandi objecta. Quilibet tum in se, tum in aliis experitur, intellectum nostrum non extendi ad possibilia omnia, sed aliqua saltem esse, quæ nobis repræsentare valemus. Quare cum ultra istum definitum numerum ceterorum nihil nobis repræsentare valeamus; intellectus noster quoad objectum limites agnoscit (§. 468 *Ontol.*), adeoque limitatus est. *Limitatio intellectus humani.*

Similiter unusquisque non minus in se, quam in aliis animadvertit, nos aliqua saltem, quæ objecto, quod nobis repræsentare valemus, non vero omnia discernibilia distinguere valere. Quare cum ultra istum definitum numerum denuo nihil discernere valeamus; intellectus quoque noster quoad modum repræsentandi objecta limites agnoscit (§. 468 *Ontol.*), adeoque limitatus est.

Duplex datur uti graduum (§. 276. 277), ita etiam limitationis fundamentum, objectum scilicet ac modus repræsentandi objectum.

Ex

Ex limitibus enim objectorum perceptibilium & modi eadem repræsentandi nascuntur gradus.

§. 280.

Enunciabile quid sit.

Si quid vocabulis indigitare valemus, id *enunciare* dicimur: ut adeo *enunciabile* dicatur, quod verbis indigitari potest.

Atque ita ad notionem distinctam revocavimus terminum, quem supra ex notione communi confusa notum supposuimus (§. 38), independenter tamen ab illa definitione, quam ingrediebatur.

§. 281.

Quaenam enunciabilia sint.

Quicquid in idea rei distingui ab alio potest, id etiam enunciabile est. Quoniam vocabula sunt signa perceptionum, adeoque & rerum per eas repræsentatarum artificialia (§. 272), vis significandi eorum prorsus ab arbitrio nostro pendet (*§. 958 Ontol.*). Quamobrem si quid in idea rei distingui ab alio potest, idem etiam vocabulo aliquo tanquam signo indigitare licet. Enunciabile igitur est (§. 280).

Non licet excipere, quod tot vocabula inveniri nequeant, quod diversa perceptibilia deprehenduntur. Etsi enim difficile, si non prorsus impossibile sit, ut numerus perceptibilium cum numero vocabulorum vi combinationum literarum utilium ac scopo præsenti convenientium possibilium conferamus; constat tamen eidem vocabulo diversos attribui posse significatus, si vel maxime concedas, tot vocabula apta excogitari non posse, quot perceptibilia a nobis distingui possunt (§. 272), atque idem fieri absque ulla confusione ipso facto experimur. Exempli loco esse possunt, quæ in Horis subsecivis A. 1730. Trim. æst. n. IV. de notione naturalis, præternaturalis & nonnaturalis dicta sunt.

§. 282.

Facultas abstrahendi quid sit.

Si ea, quæ in perceptione distinguuntur, tanquam a re percepta sejuncta intuemur; ea *abstrahere* dicimur. Eatenus igitur menti tribuitur *facultas abstrahendi*, quatenus ea, quæ rei perceptæ insunt, tanquam ab eadem sejuncta spectamus.

Competere nobis facultatem abstrahendi, ipso facto discimus. Etenim temperantiam considerare possumus, nulla habita attentione ad subje-

Digitized by Google

subjectum, cui habitus iste inest, tumque dicimur temperantiam considerare in abstracto. Et quando videmus hominem temperantem &, quæ ex actibus illius colligimus, tanquam ab eodem sejuncta spectamus; ea ab eodem abstrahere dicimur, quæ ad notionem temperantiæ spectant.

§. 283.

Notiones generum & specierum per abstractionem formata.

Quoniam notiones generum & specierum absolvuntur similitudine individuorum (§. 233. 234 *Ontol.*), similitudo autem consistit in identitate eorum, quæ individuis insunt (§. 195 *Ontol.*); *si ea, quæ in individuis eadem sunt, atque constanter insunt vel inesse intelliguntur, tanquam ab iisdem sejuncta spectamus, notiones specierum atque generum consequimur*, consequenter *notiones specierum atque generum per abstractionem formamus.*

Concurris adeo in formandis notionibus generum & specierum sensu duce attentio, reflexio, abstractio præter imaginationem atque memoriam, quemadmodum hactenus dicta recolenti apparet. Ceterum si quis non statim viderit, cur inter constantia, quæ subjecto alicui insunt, ea quoque referamus, quæ inesse intelliguntur; is mente recolat de possibilitate modorum alibi (§. 249 & seqq. *Ontol.*) dicta. Etenim modorum possibilitates considerantur instar talium, quæ rebus inexistunt &, si in proximorum numero sunt, inter semper inexistentia referuntur.

§. 284.

Quomodo abstractiones fiant clara ac distincta.

Si, quæ ab alio abstrahimus, ea vocabulis peculiaribus designamus & hoc modo abstractiones fiunt magis claræ ac distinctæ. Si qua enim ab alio abstrahimus, ea, quæ rei perceptæ insunt, tanquam ab eadem separata spectamus (§. 282). Quare cum vocabulis utamur tanquam signis eorum, quæ percipiuntur (§. 271); ea, quæ ab alio abstrahimus, vocabulis peculiaribus designamus. Jam vero ea, quæ abstrahimus, actu a re percepta separari nequeunt; sed tantummodo mente separantur, quatenus attentionem nostram in ea dirigimus & super re percepta reflectimus, adeoque nobis magis conscii sumus,

Digitized by Google

quod hæc percipiamus, quam quod alia simul percipiamus (§. 235. 237) & ea a re, cui insunt, diversa esse agnoscimus (§. 258). Quando autem ea, quæ abstrahimus, peculiaribus vocabulis designamus; singula quoque actu figillatim enunciare valemus (§. 280). Jam vero hic perinde est ac si ea, quæ abstrahuntur a re percepta, actu ab eadem separarentur; vocabulorum autem sibi conscius meminit etiam rerum iisdem denotatarum (§. 273), consequenter sibi conscius est, se ea, quæ a re percepta abstrahuntur, tanquam ab ea diversa, ei tamen inexistentia deprehendisse (§. 226). Quoniam itaque abstracta jam agnoscimus qua talia & a ceteris distinguimus & tanquam figillatim enunciabilia figillatim quoque enunciamus atque ita ipso facto a se invicem distinguimus; si quæ ab alio abstrahimus vocabulis peculiaribus designamus, abstractiones fiunt magis claræ atque distinctæ (§. 31. 38).

Quantum vocabulorum usus huc conferat, ut abstractiones fiant claræ atque distinctæ, ipso facto experimur. Sane vocabulis adsueti iisdem ita inhæremus, ut absque iis non cogitemus de rebus, præsertim ubi super iisdem reflectere velimus: quæ sane ratio est, cur plurimi sibi persuaserint, nos absque vocabulorum usu de rebus cogitare non posse, animadvertentes scilicet nos tacite nobismetipsis loqui, quando de rebus cogitare intendimus.

§. 285.

Subsidium memoriæ in retinendis abstractis.

Si, quæ ab aliis abstrahimus, ea vocabulis peculiaribus designamus; abstracta facilius memoriæ mandantur & diutius retinentur. Etenim si, quæ ab aliis abstrahimus, ea vocabulis peculiaribus designamus, abstracta fiunt magis distincta (§. 284). Quare cum memoriæ facilius mandentur atque eadem diutius retineantur, quæ distincte percipiuntur, quam quæ confuse percipiuntur (§. 200); si, quæ ab aliis abstrahimus, ea vocabulis peculiaribus designamus, hæc ipsa & facilius memoriæ mandantur, & diutius retinentur.

Si quis attentione sufficiente uti didicerit, veritatem assertí in seipso experiri potest.

§. 286.

Digitized by Google

§. 286.

Cognitio, quæ ipso idearum intuitu absolvitur, dicitur *intuitiva*, seu, *rem intuitive cognoscere* dicimur, quatenus ideæ ejus, quam habemus, nobis sumus conscii. *Cognitionis intuitivæ definitio.*

E. gr. Dum arborem præsentem intueor, mihique conscius sum eorum, quæ in eadem obtutu comprehendo; intuitivam arboris habeo cognitionem. Si triangulum mihi vi imaginationis tanquam in tabula delineatum, vel asserem triangularem repræsentem, atque hujus figuræ mihi conscius sim; triangulum intuitive cognosco.

§. 287.

Si in cognitione intuitiva ideæ rei tantummodo mihi conscius sum, seu attentionem in tota simul defigo: cognitio confusa est: si vero super eadem reflecto, distincta. Etenim si attentionem in idea tota simul defigo, me ideam hanc jam habere mihi tantummodo magis conscius sum, quam quod præterea etiam habeam alias (§. 237). Nihil adeo, quod sigillatim enunciabile est (§. 281), ab altero distinguo. Cognitio igitur intuitiva, quam habemus (§. 286), confusa est (§. 39). *Cognitio intuitiva quando confusa, quando distincta.*

Quodsi super idea rei, quam habemus, reflectimus, eorum, quæ in idea rei diversa sunt, & nobis conscii sumus, & a re, cui insunt, diversa esse agnoscimus (§. 258), consequenter plura sigillatim enunciabilia in idea rei distinguimus (§. 281). Cognitio igitur intuitiva, quam habemus, distincta est (§. 38).

E. gr. quando arborem intuitive cognosco & attentionem in tota simul defigo, mihi tantummodo conscius sum me jam arborem videre, vel imaginari, & magis quidem mihi conscius sum me jam ideam arboris habere, quam quod simul videam vel imaginer objecta alia. Quare cum intuitiva cognitio non egrediatur terminos confusæ perceptionis, & tota hac absolvatur, confusa utique est. Enimvero ponamus nos jam super arbore reflectere; ab ea folia, surculos, ramos, truncum, tum etiam singula hæc a se invicem distinguimus. Nostra igitur intuitiva arboris cognitio distincta est. Idem prorsus judicium esto de triangulo. Si figuram in charta delineatam intueor, nec ultra attentio-

nem in tota defixam progredior; non aliud inde consequitur, quam quod mihi magis sim conscius, me jam triangulum videre, quam quidpiam praeterea ab eodem diversum. Enimvero ubi super triangulo reflecto; & laterum singulorum, & angulorum, & numeri ternarii tam laterum, quam angulorum mihi sigillatim conscius sum, eaque tanquam a se invicem, atque a tota figura diversa intueor. Intuitiva igitur cognitio distincta est.

§. 288.

Actus cognitionis intuitivae distinctae.

Quoniam super re percepta reflectentes attentionem nostram successive dirigimus ad ea, quae in re percepta insunt (§. 257), adeoque nobis conscii sumus, nos haec jam in ea percipere (§. 258), eaque inter se conferimus (§. 260); *cognitio intuitiva distincta est, quatenus attentionem nostram successive ad singula dirigimus, mox ad plura simul retrahimus (§. 259).*

Qui verbis constanter uti adsuevere, dum super rebus reflectunt; illi aegre experimentum propositionis praesentis in se capere possunt. Probe enim meminimus, nos non sine exercitatione demum obtinuisse, ut, sepposito omni vocabulorum usu, actus istos animae ederemus. Supponimus nimirum in praesente, ubi de cognitione rerum intuitiva nobis sermo est, nulla nobis esse vocabula, quibus tum ea, quae in re percepta discernuntur, tum res percepta ipsa indigitari possunt.

§. 289.

Cognitio symbolica quanam dicatur.

Quodsi cognitio nostra terminatur actu, quo verbis tantum enunciamus, quae in ideis continentur, vel aliis signis eadem repraesentamus, ideas vero ipsas verbis aut signis aliis indigitatas non intuemur; *cognitio symbolica* est.

Ita cognitionem symbolicam habeo trianguli, si cogito ipsum esse figuram tribus lineis terminatam, trianguli vero ideam nullam, multo minus linearum, quibus terminatur, ac numeri ternarii earundem ideas intueor. Similiter cognitionem chiliogoni symbolicam habeo, si verbis tacite quasi loquens mihi ipsi indigito, chiliogonum esse figuram mille lateribus terminatam, laterum vero singulorum, ac numeri millenarii, ipsiusque chiliogoni ideam nullam intueor. Quod etiam signis aliis uti possimus ad res nobis repraesentandas praeter verba, vel sola Arithmetica loquitur, ubi singularibus utimur notis numericis ad numeros

Digitized by Google

meros quoscunque repræsentandos. Habes igitur hic signa numerorum, quæ sunt a verbis, quibus enunciantur, diversa. Luculentiora exempla Analysis recentiorum, quam Algebram vulgo dicimus, suppeditat, ubi formulis ex litteris atque signis aliis compositis notiones rerum exhibemus: cujus rei exemplum dedimus alias (*not.* §. 72 & 74 *Log.*).

§. 290.

Si ad res quasdam denotandas utamur loco vocabulorum signis primitivis; ea nonnisi compendiosæ scriptioni inserviunt. Etenim si signa sunt primitiva, ab aliis signis se prioribus ortum non trahunt (§. 964 *Ontol.*), adeoque simplicia sunt (§. 673 *Ontol.*). Enimvero vocabula, etsi significatus eorum primitivus sit, ex pluribus tamen literis componuntur, adeoque materialiter consideratæ, ex signis aliis simplicioribus constant. Signa igitur primitiva a vocabulis diversa compendiosius scribi possunt, quam vocabula iisdem æquipollentia. Inserviunt itaque signa ista scriptioni compendiosæ. *Signorum usus in compendiosa scriptione.*

Istiusmodi signa in Astronomia occurrunt. Sunt enim talia signa planetarum & signa signorum ecliptica. Signum Saturni e. gr. est ♄, Jovis ♃, Veneris ♀. Vocabulum *Saturnus* octo, *Jupiter* septem, *Venus* quinque literis constat; signa autem, quibus uruntur Astronomi, sunt simplicia, ex aliis simplicioribus minime composita. Similiter signum adspectus trigoni est △. Vocabulum *Trigonus* octo literis constat, si vocabulum *adspectus* adjicias, literarum numerus multiplicatur. Ast signum hujus adspectus simplex est. Jam si ponamus, Venerem & Jovem habere adspectum trigonum, ut adeo scribendum sit: *Trigonus* sc. *adspectus Veneris & Jovis*; ope signorum astronomicorum compendiosius scribimus: △♃♀. Gemina exempla in Chymia occurrunt: Chymici enim uruntur signis primitivis, ex nullis aliis simplicioribus compositis ad denotandum res chymicas. Atque eadem signa inserviunt compendiosæ scriptioni eodem modo, quo signa astronomica eidem inservire ostendimus.

§. 291.

Si loco vocabulorum utamur signis, quorum significatus occultus. *Signa occulta.*

Digitized by Google

occultatur; rebus occulte significandis inſerviunt. Etenim ſi cui ſignificatus ſigni occultus eſt, ut eidem minime conſtet, quænam res eodem denotetur, ei rei ſignificatæ idea occurrere nequit ſigno viſo (§. 117). Quamobrem hiſce ſignis res aliquibus, quibus nimirum eorum ſignificatus perſpectus eſt, ſignificare poſſumus, ut alii, qui eundem minime perſpectum habent, ignorent, quid illis ſignificaverimus. Rebus adeo occulte ſignificandis inſerviunt.

Exempli loco nobis eſſe poſſunt ſigna cryptographica, quibus epiſtolas occulte ſcribimus, ut eas videns legere non poſſit, niſi clavem habuerit, aut, ſi fieri poſſit, eruere noverit. Dicitur autem clavis ſignificatus ſignorum primitivorum, quorum combinatione reſultat ſignum ſcripturæ. Vulgo utuntur notis numericis loco literarum & hiſce ſignificatum arbitrarium tribuunt, quatenus eædem in literarum locum ſurrogantur. Clavem habet, qui novit, quænam notis numericis reſpondeant literæ. Pertinet huc etiam mos ſcribendi veterum hieroglyphicus, & ſub præſente etiam propoſitione continentur icones Alchymiſtarum, quibus proceſſus occultare ſolent.

§. 292.

Signa notionibus rerum diſtinctis exhibendis apta.

Si quæ notionem rei ingrediuntur ſignis denotantur a vocabulis diverſis; eorum combinatione diſtinctam rei notionem veluti ſpectandam exhibere licet. Etenim ſi ſingula, quæ notionem rei ingrediuntur, ſignis peculiaribus indigitare noveris; hiſce viſis aut quomodocunque perceptis reſuſcitantur ideæ illorum, quæ iisdem ſignificantur, reſuſcitantur etiam ideæ vocabulorum, quibus enunciantur (§. 117). Quamobrem ſi ſigna iſta combinentur, ut unò obtutu comprehendi poſſint; reflectendo non modo ſingula notionem rei ingredientia percipimus, verum etiam enunciare valemus. Notionem igitur rei diſtinctam alteri veluti ſpectandam ſignis hiſce exhibere licet.

Exemplo nobis eſt Algebra. Solutiones enim problematum, hoc eſt, notiones diſtinctas conſtructionis problematum, vel regularum ex datis numeris inveſtigandi quæſitos, exprimimus formulis, in quibus quantitatum

Digitized by Google

tatum ſeu numerorum datorum ſigna mediantibus ſignis operationum arithmeticarum combinamus. Ita paucis exhibentur, quæ ſubinde longa verborum ambage explicanda forent. Habemus quoque hodie ſigna artis ſaltatoriæ, a quodam artis hujus Magiſtro, cui *Feuillet* eſt nomen, in Chorégraphia, ſeu Arte ſaltationes per characteres exprimendi ſermone Gallico edita, expoſita. Ope eorundem ſaltationes noviter inventæ abſenti communicari facilius ac multo brevius poſſunt, quam ſi verbis deſcribendæ forent. In eundem cenſum veniunt notæ muſicæ, nec a præſente foro aliena ſunt ſigna, quibus utimur ad notiones modorum ſyllogiſmorum diſtinctas exhibendas (§. 375 *Log.*).

§. 293.

Si notæ ſeu notiones irreſolubiles ſignis primitivis exprimuntur & inde ſigna derivativa notionum diſtinctarum, hoc eſt, tam definitionum, quam propoſitionum diſtinctarum formantur; ſigna vocabulorum vicaria ſunt ad inveniendum utilia. Quoniam enim per ſigna derivativa definitiones ac propoſitiones determinatæ repræſentantur *per hypoth.* in ratiociniis autem nonniſi definitiones ac propoſitiones determinatæ applicantur (§. 348. 349 *Log.*); ratiocinia omnia per iſta ſigna derivativa exprimi poſſunt. Quare cum ex iis, quæ cognita ſunt, id quod incognitum eſt per ratiociniorum concatenationem eruatur (§. 725 *Log.*); ſigna vocabulorum vicaria in hoc caſu ad inveniendum utilia ſunt. *Signa ad inveniendum apta.*

Hypotheſeos poſſibilitatem jam in philoſophia prima evicimus, cum theoriam ſignorum traderemus (§. 965 & ſeqq. *Ontol.*). Eidem illuſtrandæ inſerviunt, quæ ſuperius de uſu figurarum hieroglyphicarum in diſciplinis tradidimus (§. 163 & ſeqq.). Etenim tum figuræ hieroglyphicæ ſunt ſigna artificialia rerum perceptarum (§. 158. 159. 151) perinde ac vocabula (§. 271. 272) & in illarum uſu eædem obſervantur regulæ, quæ circa uſum vocabulorum in diſciplinis obſervari ſolent. Ceterum exemplum iſtiusmodi ſignorum dedi in Arithmetica, quæ in numero Elementorum Matheſeos Latino idiomate evulgatorum continetur, ubi charactere derivativo proportionis utor ad demonſtrandum theoremata de magnitudinum ac numerorum ratione. In Algebra tot occurrunt exempla, quot dantur problemata per regulas Algebræ ſolvenda.

Digitized by Google

venda. Etenim in denominatione assumuntur datorum, quorum notiones irresolubiles sunt, signa primitiva & inde eruuntur derivativa exprimentia vel definitiones, vel propositiones; horum vero ope investigatur incognitum. Omnes formulæ algebraicæ sunt signa derivativa, quæ exprimunt notiones distinctas, quas ingrediuntur quantitates tanquam primitivæ assumtæ, ut in earum notionibus confusis acquiescas. Atque hoc modo vidimus multiplicia dari signa a vocabulis diversa, sed eorum vicaria, quæ subinde utiliter in vocabulorum locum surrogantur.

§. 294.

Artis characteristicæ definitio.

Ars characteristica **appellatur ea, quæ explicat signorum in rebus aut eorundem perceptionibus denotandis usum.**

Ars hæc adhuc in desideratis est, quemadmodum jam alias monuimus (*not.* §. 965 *Ontol.*). Quoniam vocabula ipsa, quibus ad perceptiones vel res iisdem repræsentatas exprimendas utimur, in horum signorum numero sunt (§. 271); principia Grammaticæ universalis ex arte characteristica petenda. Sunt enim vocabulis cum ceteris signis quædam communia, quatenus sub eodem genere continentur. Ceterum cum exempla in notis numericis earumque in Arithmetica usu atque inprimis in calculo specioso Algebræ habeamus; inde generalia quædam principia hujus artis abstrahi possunt, quibus deinde via ad ulteriora sternitur. Immo non inutile est notiones generales abstrahere a signis quibusvis vocabulorum vicariis, quæ in iisdem latent.

§. 295.

Illius potissimum objectum.

Quoniam inter signa vocabulorum vicaria eminent ea, quæ ad inveniendum apta sunt; ***In arte characteristica signorum ad inveniendum utilium ratio inprimis explicari debet.***

In Algebra istiusmodi signa habemus pro quantitatibus; sed desiderantur talia in philosophia pro rerum qualitatibus. Illa faciliora sunt, hæc difficiliora inventu. Quamobrem mirum non est, quod illis dudum inventis hæc adhuc in desideratis numerentur. Quantitatum ex aliis assumtis ortus satis manifestus est: ast quomodo qualitates aliæ ex aliis nascantur, nondum adeo explorarum est.

§. 296.

Digitized by Google

§. 296.

Si ope signorum ad inveniendum utilium ex cognitis incognita investigari debent; modus combinandi signa & combinationem variandi perspectus esse debet. Si quid enim, quod incognitum est, ex aliis, quæ cognita atque perspecta sunt, eliciendum; assumta colliguntur in notionem distinctam, quæ propositioni cuidam determinatæ respondet, ac inde porro ratiocinando tandem deducitur, quod erat inveniendum (§. 725 ac §. 551 & seqq. *Log.*). Quamobrem si signorum ope idem efficiendum; signa primitiva, quibus assumta designantur, ita combinari debent, ut notionem distinctam, in quam colliguntur, exprimens signum derivativum prodeat, consequenter si ope signorum ad inveniendum utilium ex cognitis incognita investigari debent, modus combinandi signa perspectus esse debet. *Quando signa ad inveniendum apta adhiberi possint.*

Enimvero quoniam porro opus est, ut ex hoc signo derivativo reperiatur signum aliud derivativum, quod exhibet notionem distinctam ejus, quod inveniri debebat; hoc vero signum in se perinde ac alterum, ex quo eruendum, signa omnia primitiva assumtorum continere debeat, tanquam determinationum, per quas determinatur id, quod quærebatur; signum derivativum, quod quæritur, ex eo, quod per combinationem primitivorum prodiit, aliter erui nequit nisi combinatione variata. Quamobrem si ope signorum ad inveniendum utilium ex cognitis incognita investigari debent; modus quoque variandi combinationem signorum primitivorum perspectus esse debet.

His uberior lux affundetur olim in Arte inveniendi. Quodsi tamen quis probe attenderit ad analysin demonstrationum, quam dedimus in Logica (§. 551 & seqq.) eandemque juxta istud exemplar in aliis demonstrationibus instituerit, ac præterea in Algebra tum ad æquationes ex datis erutas, tum ad formulas per illarum reductiones repertas eam attentionem attulit, quæ ad reflexiones logicas suf-

ſufficit; ei profecto nihil in tota demonſtratione occurret, quod non ſit evidens. Si qua ceteris ſuperſit obſcuritas, illi ex dictis perſpiciunt, quomodo eam diſpellere debeant. Æquationes ex datis erutæ ſunt ſigna derivativa notionum diſtinctarum, quas data & quæſita tanquam notæ ingrediuntur, & quæ vel definitionibus, vel propoſitionibus determinatis reſpondent. Æquationum vero reductio tandem reſolvitur in variationem combinationum ſignorum primitivorum, ut prodeat ſignum aliquod derivativum notionis diſtinctæ modi, quo ex datis determinatur quæſitum.

§. 297.

Artis characteriſtica combinatoria definitio.

Ars illa, quæ docet ſigna ad inveniendum utilia & modum eadem combinandi eorundemque combinationem certa lege variandi, dicitur *Ars characteriſtica combinatoria.* Vocatur a *Leibnitio* etiam *ſpecioſa generalis.*

Artis hujus characteriſticæ combinatoriæ pars quædam ſpecialis Algebræ eſt, quam notioni huic convenienter dixeris *Artem characteriſticam combinatoriam magnitudinum* vi eorum, quæ ad præcedentem propoſitionem annotavimus. Hinc jam olim *Leibnitio* pro eo, quod ipſi erat, ingenii acumine ad Algebram animum reflectenti, artis hujus idea aliqua ſubnata eſſe videtur. In literis enim ad *Oldenburgium* d. 28. Decemb. A. 1675. datis, quæ leguntur apud *Wallifium* Vol. III. Oper. f. 621. ita ſcribit: „Ego vero agnoſco, quicquid in genere probat Algebra, nonniſi ſuperioris ſcientiæ beneficium eſſe, „ quam nunc *combinatoriam characteriſticam* appellare ſoleo, longe „ diverſam ab illa, quæ, auditis his vocabulis, ſtatim alicui in mentem „ venire poſſet. “ Hanc artem diſtinctæ notionum analyſi deſtinare videtur. Ibidem enim f. 121. „Valde ſuſpecta, inquit, nobis eſſe debet notio infiniti & minimi, & maximi, & perfectiſſimi, & ipſius „ omnitatis. Neque fidendum his notionibus, antequam ad illud criterion exigantur, quod mihi agnoſcere videor, & quod velut mechanica ratione, fixam & viſibilem & (ut ita dicam) irreſiſtibilem reddit „ veritatem. Quale nobis inexplicabili beneficio tributum eſt a natura. Hæc Algebra, quam tanti facimus merito, generalis illius artificii nonniſi pars eſt. Id tamen præſtat, errare ne poſſimus quidem, „ ſi velimus, &, ut veritas quaſi picta velut machinæ ope in charta expreſſa deprehendatur. “ Quicquid vero hic dicit, nil differt ab eo, quod

quod in formulas algebraicas convenit, ut satis appareat loquentem omnem suam attentionem in formulas istas direxisse ac verbis expressisse, quæ in iis acumine pervidendi abstracta in concretis discernimus. De hac scientia paulo clarius loqui videtur in Miscellaneis Berolinensibus pag. 23. affirmans, „ esse superiorem Mathematica scientiam, „ parem certitudine, majorem virtute atque efficacia, ubi rationes ideales, non tantum a sensibus, sed etiam ab imaginibus sejunguntur. „ Ope enim signorum heuristicorum seu ad inveniendum utilium in ideis contenta a sensu & imaginibus, hoc est, ideis confusis, quæ in sensu ac imaginatione existunt, sejunguntur. Enimvero cum hæc verba proferat, dum mentionem injicit mundi cujusdam invisibilis ad quem provocat *Merans*, & in quo rationes rerum principiaque veritatesque arcanæ, omnisque convenientiæ & certitudinis fontes laterent, & superioris illius scientiæ ideo aliquid pervidisse *Meranum* largitur; de suis potius monadibus, quam de arte combinatoria characteristica locutus esse videtur: sit ita quod per hanc artem ex mundo invisibili visibilis absque imaginibus solorum characterum legitima combinatione deduci debeat. Quod an ab ullo unquam homine fieri possit, definire nolo. Apertissime autem de arte ista loquitur in literis ad *Remondum* d. 10. Jan. & 14. Mart. 1714, quæ leguntur in libro Gallico, cui titulus: Recueil de diverses pieces par Mons. *Leibniz*, *Clarke*, *Newton*, Tom. 2. p. 129 & seqq. ubi eam speciosam generalem appellat eamque a characteristica totam pendere ac veritates ad formam calculi reducere affirmat: id quod in Artem characteristicam combinatoriam, qualem hic definimus, convenire partim ex ipsa definitione, partim ex sequentibus liquet.

§. 298.

Calculus in genere est inventio alicujus signi seu characteris derivativi ex aliis sive primitivis, sive derivativis per continuam æquivalentium substitutionem. *Calculi generalis definitio.*

Non alia est notio calculi in genere, quæ a calculo vulgari arithmetico abstrahitur, eademque calculo communi arithmetico ac algebraico communis est. In Arithmetica habemus novem characteres simplices seu signa primitiva, quibus tamen, si ab unitate discesseris, characteres seu signa derivativa æquivalentia exhiberi possunt (*not.* §. 339 *Ontol.*). Omnis calculus eum in finem instituitur, ut ex figuris seu characteribus numerorum datorum sive primitivis, sive derivativis investigetur character plerumque derivativus numeri quæsiti. Ita addemus numeros 314 & 522 reperimus summam 836. Sunt autem 314 & 522 signa

Digitized by Google

derivativa numerorum datorum; ſed 836 eſt character derivativus quæſiti. Totus autem calculus abſolvitur per ſubſtitutionem characterum æquivalentium pro æquivalentibus. Ita ex numeris datis 314 & 522 reperturi ſummam, pro 2+4 ſubſtituimus 6. Eſt autem 2+4 =6, adeoque hi duo characteres ſibi invicem ſalva numeri quæſiti quantitate ſubſtitui poſſunt (§. 349 *Ontol.*). Similiter pro 1+2 ſeu pro 10+20 ſubſtituimus 3 ſive 30; pro 3+5 ſeu pro 300+500 ſubſtituimus 8 ſive 800, quod 1+2=3 & 5+3=8. Non abſimili modo ſeſe res habet in operationibus arithmeticis ceteris. Sane abacus Pythagoricus, quo in multiplicatione ac diviſione utimur, non eſt niſi tabula characterum æquivalentium, qui ſibi invicem ſubſtitui poſſunt. Ita quatuor bis ſumta denotantur per hunc characterem derivativum 4. 2, ubi punctum multiplicationis ſeu iteratæ poſitionis quaternarii ſignum eſt. Tabula vero Pythagorica exhibet huic characteri æquivalentem primitivum 8. Eſt enim 4. 2 = 8. Unde in calculo pro 4. 2 ſubſtituitur 8. Similiter ſenarius novies ſumtus denotatur per 6. 9: ei vero æquivalens character 54 exhibetur in abaco Pythagorico, in calculo pro iſto ſubſtituendus. Similiter in Algebra cum idem Algorithmus obtineat, qui in Arithmetica communi obtinet; vel inde intelligitur, calculum non poſſe conſiſtere niſi in inventione ſigni derivativi ex aliis primitivis vel derivativis ope ſubſtitutionis ſignorum æquivalentium facta. Ita pro quantitate *a* in ſeipſam ducta ſive *aa* ſubſtituitur a^2; pro radice ex *a* extracta $\sqrt{a}$ vel $a^{1:2}$. Et in reductione æquationum continuo ſubſtituimus duos characteres ſibi invicem æquales pro duobus aliis characteribus quantitates ſibi invicem æquales exprimentibus. Notione hac calculi generali utemur etiam in ſubſequentibus, quamobrem eam hic notaſſe juvat.

§. 299.

Modus inveniendi veritatem in arte combinatoria characteriſtica.

In arte combinatoria characteriſtica veritates inveniuntur per ſpeciem quandam calculi. Etenim in arte characteriſtica notiones irreſolubiles exprimuntur per characteres primitivos ac inde per combinationem eruuntur derivativi, ex quibus modo combinationis continuo variato elicitur character derivativus notionis antea nobis incognitæ, quæ invenienda erat (§. 297). Enimvero ſi ex charactere ſeu ſigno uno derivativo per variationem modi combinationis eruitur alius character deri-

Digitized by Google

derivativus; unus ſubſtituitur in locum alterius, neque alia hic quam æquivalentium intelligitur ſubſtitutio, cum alias non appareat, quomodo in eodem tramite progredi poſſis, ſeu nulla adſit ratio, cur characterem hunc in locum prioris aſſumas. Quare cum per calculum reperiatur, quod per continuam characterum derivativorum æquivalentium ſubſtitutionem eruitur (§. 298); in arte characteriſtica combinatoria veritates per calculi quandam ſpeciem inveniuntur.

Quoniam Algebra ſpecies hujus artis eſt & ipſa quoque Arithmetica communis pro quadam ejus ſpecie haberi poteſt; exempla ibidem obvia propoſitionem præſentem ejusque demonſtrationem plurimum illuſtrant. Inprimis inde patet, quod in demonſtratione affirmatur, ſcilicet characterem derivativum non poſſe ſubſtitui in locum alterius, niſi ſit æquivalens. Sane in additione pro $3+4+9$ ſubſtitui nequit niſi 16, cum hic character ſit priori æquivalens, adeoque hoc ſubſtituto reſpectu quantitatis numeri inveniendi perinde ſit, ſive ponas 16, ſive 3, 4 & 9 ſimul. Similiter ſi in Algebra ſit $abc = a^2x + ax^2$ & dividendo per a in locum æquationis prioris ſurroges hanc poſteriorem $bc = ax + x^2$; æquatio poſterior æquivalet priori, quatenus utraque continet omnes quantitates datas atque incognitam ſimul. Ac ideo quia hoc pacto alteri æquivalet, eidem ſubſtitui poteſt; non autem ſubſtitui poſſet alia, in qua quantitates omnes non ingrederentur, conſequenter quæ æquivalens ei, cui ſubſtitueretur, minime eſſet. Hactenus adeo non habemus niſi calculum numerorum in Arithmetica & calculum magnitudinum in Algebra moderna ſive ſpecioſa. Antequam Arithmetica literalis eſſet inventa, de calculo magnitudinum ne per ſomnium quidem quisquam cogitaſſet, immo plerique calculum magnitudinum in numerum impoſſibilium retuliſſent. Quamobrem non miramur, ſi qui ceteras calculorum ſpecies ſimiliter in entium fictorum numerum referant. *Leibnitius* calculum ſitus dare intenderat, quo uteremur in Geometria, quoties ad ſitum redit quæſtio, veluti ſi de lineis perpendicularibus, de lineis parallelis ac ad ſe invicem obliquis, de angulis ſermo fuerit: eum tamen in intentione tantummodo habuit, minime autem perfecit, etſi dubitandum non ſit eum multo faciliorem eſſe debere calculo qualitatum, qui ad ſpecioſam illam generalem ſeu artem combinatoriam characteriſticam requiritur. Ubi diſciplinæ magis fuerint excultæ, quam nunc quidem fieri ſolet, ars quoque inveniendi

majora capiet incrementa; cujus complementum est ars characteristica combinatoria.

§. 300.

Quæ ars combinatoria characteristica præsupponat.

Si per artem characteristicam combinatoriam quædam inveniendæ, notiones irresolubiles seu primitivæ in suo genere determinandæ, modique combinationum & variationum istarum possibiles ante determinandi. Etenim in arte combinatoria characteristica notiones irresolubiles seu primitivæ in suo genere signis primitivis exprimendæ sunt, primitiva autem signa combinanda veniunt, ut prodeant derivativa, modus denique combinandi variari debet, ut prodeat character derivativus notionis alicujus antea nobis ignotæ, sed quæ quæritur (§. 297). Quamobrem si artem characteristicam in aliquo scientiæ genere exercere velis, necesse est ut notiones determinentur, quæ tanquam irresolubiles spectari debent. Requiritur præterea ut modi combinationum possibiles sint perspecti & ne lateant modi, quibus combinationes istæ variari possunt. Antequam igitur de arte characteristica combinatoria cogitare possis, notiones irresolubiles in dato genere determinare, diversos combinationis modos possibiles docere & variationem istarum combinationum detegere teneris.

Primum specimen artis combinatoriæ characteristicæ habuimus in Arithmetica, ubi notio irresolubilis est unitas, quæ ideo tanquam indivisibilis spectatur. Ex unitate derivantur numeri per ejus iteratam positionem, atque inde constituuntur notiones aliæ, quæ tanquam irresolubiles, subinde etiam tanquam resolubiles spectantur, prout commodum visum fuerit. Reducuntur modi numeros variandi ad numerum determinatum & axiomata seu regulæ generales utendi istis variationibus præmittuntur. Hisce demum præmissis de characteribus commodis, modoque eos combinandi ac combinatos variandi cogitare licuit. Sunt nimirum characteres primitivi 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 0. Combinantur iidem per valorem localem ad denotandum numerum quemvis assignabilem, variantur per substitutiones characterum æquivalentium, quos exhibent tabulæ algorithmi, quarum vulgo tantummodo

Digitized by Google

modo conſtruitur ea, quæ in uſum multiplicationis ac diviſionis ſervit, etſi etiam pro additione atque ſubtractione tales conſtrui poſſint, utut facilitatis gratia & quod iis carere poſſimus omittantur. Ita vi tabulæ additionis characteres æquivalentes ſunt, $3+4$ & 7, $5+2$ & 7, $6+1$ & 7, ita ut vi artis characteriſticæ tres ſint definitiones ſeptenarii $3+4=7$, $5+2=7$, $6+1=7$. Similiter tabula ſubtractionis ſuppeditat hos characteres æquivalentes $8-1$ & 7, $9-2$ & 7, $10-3$ & 7, ut adeo denuo totidem prodeant ut ante definitiones characteriſticæ, in quibus definitum & definitio æquivalent, $8-1=7$, $9-2=7$, $10-3=7$. Multiplicatio nullum dat characterem ſeptenario æquivalentem: dat tamen diviſio ope abaci Pythagorici ſcilicet $14:2$ & 7, $21:3$ & 7 ac ita porro, ut novem prodeant characteriſticæ definitiones ſeptenarii $14:2=7$, $21:3=7$, $28:4=7$, $35:5=7$, $42:6=7$, $49:7=7$, $56:8=7$, $63:9=7$ & $70:10=7$. Quomodo vero characteres iſti opportune ſibi invicem ſubſtituantur, ut in dato caſu prodeat character derivativus conveniens numero quæſito, regulis algorithmi docetur, immutabilibus legibus, quæ axiomatis continentur, ſuperſtructi. Idem in Algebra docere poteramus, quæ Arithmeticæ acceſſit tanquam alterum ſpecimen ob agnationem cum eadem facile ſuperaddendum. Extra Matheſin hactenus non occurrit in philoſophia artis characteriſticæ exemplum, quam in doctrina ſyllogiſtica de modis ſyllogiſmorum, quemadmodum dudum monui, cum Logicæ compendium in uſum academicum Germanico idiomate ederem & monitum repetii in Logica Latina *not.* §. 374. Sed dabitur alia vice de hiſce uberius diſſerendi occaſio. Quæ vero in propoſitione præſente inculcantur, ad amuſſim ibi obſervata reperies. Quodſi vero iſtius characteriſticæ vim omnem intelligere volueris, reſpiciendum non modo eſt ad Vocales A, E, I & O, quibus propoſitionum qualitates & quantitates indigitantur; verum etiam ad conſonantes S, P, M & C, quibus converſiones & tranſpoſitiones propoſitionum deſignantur in reductione ſyllogiſmorum a ſecunda & tertia figura ad primam, quarum ſignificatus a nobis non explicatur, quod tædioſam reductionis doctrinam prætermiſerimus, ex libellis logicis communibus petendam.

§. 301.

Difficultas artis combinatoriæ characteriſtica invenienda.

Quoniam notæ irreſolubiles in ſuo genere determinari nequeunt, niſi dentur rerum notiones adæquatæ (§. 95. 96 *Log.*), notionum vero adæquatarum inveſtigatio ſeu notionum in notas

Digitized by Google

tas irresolubiles resolutio non adeo facilis, in tanta præsertim disciplinarum imperfectione, neque commoda signorum seu characterum inventio unicuique statim obvia; *Artis combinatoriæ characteristicæ generalis inventio difficillima est, nec ante in potestate erit, quam disciplinæ magis fuerint excultæ.*

Leibnitius jam A. 1675 ad *Oldenburgium* scribebat, se artis combinatoriæ characteristicæ mirabilem vim ac potestatem præceptis aliquando & speciminibus explicaturum, si sanitas ac otium fuerit. Ac ideo mox fore tempus affirmabat, quo de Deo ac mente non minus certa, quam de figuris numerisque habeamus: quo machinarum inventio non difficilior, quam constructio problematum geometricorum. Quamvis vero vitam omnem usque ad A. 1716 in otio literario consumserit, ad eam tamen excolendam animum nunquam appulit, difficultatem dubio procul expertus, quem non præviderat, ob notionem istius artis nondum satis evolutam. Hinc in literis ad *Remondum* A. 1714 datis, quas supra (*not.* §. 297) laudavimus, equidem fatetur, se artem istam daturum, si esset ætatis nondum adeo profectæ minusque distractus, aut alii juniores ad istiusmodi negotium apti supperias ferrent; in aliis tamen p. 139 non diffitetur, pro præsenti rerum suarum statu sibi hoc difficile esse, præsertim cum non adsint, qui ipsum animent & supperias ferant. Si quis mente perpendit, qualis numerorum in Arithmetica, magnitudinum in Algebra, syllogismorum in Logica notio præsupposita fuerit, antequam characteristica ad numeros, magnitudines & syllogismos applicari potuerit, & quamdiu in Arithmetica atque Algebra commodi desiderati fuerint characteres; is difficultatem artis characteristicæ combinatoriæ generalis haud difficulter æstimabit, neque mirabitur *Leibnitium*, cujus diffusum ingenium in uno objecto continuo hærere non poterat, tanto temporis intervallo ne latum quidem unguem in arte ista progressum fuisse.

§. 302.

Lingua & Scriptura universalis definitio.

Lingua universalis dicitur, quam omnes omnium linguarum gentes intelligere possunt. Similiter *Scriptura universalis* dicitur, quam omnes omnium linguarum gentes intelligere possunt.

Problema de lingua seu scriptura universali dudum exercuit eruditos, propterea quod commodissima foret eruditis ad conceptus suos cum

Digitized by Google

cum aliis communicandos. Electa fuerat ejus loco lingua latina, quam tamen unusquisque demum multo studio atque labore addiscere tenetur, cum scripturam universalem intelligere posset, etiamsi eam, quæ scribenti erat, linguam non intelligeret. Inprimis vero nostra ætate lingua vel scriptura istiusmodi utilissima foret, qua lingua latina tantum non in desuetudinem abit, viris doctis sermone sibi patrio scripta sua exarantibus. Satis enim experimur, quam tædiosum sit tot addiscere linguas, ut libros exoticos legere ac ex inventis exterorum proficere possis. Etsi igitur non improbemus, ut disciplinæ vernaculo quoque idiomate tradantur, idemque fecerimus ipsi omnes cum Matheseos, tum philosophiæ partes Germanico idiomate in publicum proferentes, cum sic ad utilem rerum cognitionem perducantur citam, qui sunt a studiis literariis alieni; displicet tamen, si promiscue omnia vernaculo sermone conscribantur, ea præsertim, quæ ad totius orbis eruditi notitiam pervenire consultum est.

§. 303.

Lingua philosophica dicitur, in qua vocabula significatum essentialem habent. Sunt autem *vocabula essentialiter significantia*, quæ sunt signa derivativa notionum distinctarum, minimum definitionum. *Lingua philosophica definitio.*

Lingua philosophica inter desiderata numeratur. Fuere quidem & hos inter inprimis *Casparus Neumannus*, Theologus Vratislaviensis, qui vocabulis Hebraicis significatum essentialem tribuerunt; sat non talem, qualem lingua philosophica requirit. In lingua enim philosophica vocabula distincte repræsentare debent determinationes rei intrinsecas, minimum tot, quot definitioni sufficiunt: sat juxta *Neumannum* in Clave domus Heber vocabula Hebraica significatum essentialem tantummodo generalem habent, qui emphasi vocum declarandæ inservit, quatenus nempe appareat ratio denominandi a re desumta ex ipsis literis vocabuli compositionem ingredientibus. Ita *Neumannus* vocabulum גגג explicat per versatile versatile corpus, quia ג signum versationis & ג signum trinæ dimensionis. Quare cum Astronomi recentiores ostenderint, stellas præter motum translationis motu quoque vertiginis continuo cieri; ad duplicem hunc motum in stellarum denominatione respici ab Hebræis colligit. Quodsi vocabuli significatus essentialis esset; non modo duplex iste motus, sed alia etiam prædicata stellarum aliunde nondum cognita ex vocabuli inspectione innotescere deberent. Signifi-

ficatus igitur vocum Hebraicarum essentialis, qualem iisdem tribuit vir ingeniosus, eo multo inferior est, quem lingua philosophica requirit.

§. 304.

Signorum derivativorum in arte characteristica significatus essentialis.

In arte characteristica combinatoria signa derivativa significatum essentialem habent. In arte enim characteristica docetur, quomodo signa ad inveniendum utilia combinentur, & eorum combinatio certa lege varietur (§. 297), consequenter quomodo notiones irresolubiles signis primitivis exprimantur & inde signa derivativa notionum distinctarum, hoc est, tam definitionum, quam propositionum determinatarum formentur (§. 293). Quoniam itaque signum derivativum ingrediuntur signa primitiva illarum notionum, in quas resolvitur notio rei, cujus signum derivativum fuit repertum; ex ipso hoc signo derivativo patent ea, quæ notionem distinctam ingrediuntur, consequenter signum istud derivativum significatum essentialem habet (§. 303).

Pars artis characteristicæ combinatoriæ est Arithmetica communis, qualem inventis notis numericis, quibus nunc utimur, habemus. Ponamus dari numeri hunc characterem 395. Est is utique signum derivativum constans ex tribus primitivis 3, 9 & 5 per valorem localem combinatis. Duplex nimirum significatus notis primitivis inest, quorum alterum a figura, alterum a loco aut, si mavis, ordine loci habent. Ita 5 vi figuræ significat unitatem quinquies poni, seu esse $5 = 1 + 1 + 1 + 1 + 1$; vi loci versus dexteram primi, in quo collocatur, indigitat unitatem iterato sumendam hic esse digitum, seu unitatem primitivam, non amplius resolubilem. Similiter 9 vi figuræ significat unitatem novies poni, hoc est, esse $9 = 1+1+1+1+1+1+1+1+1$; vi loci a dextera secundi, aut, si mavis, vi ordinis hujus loci, ob quem primus a loco dextimo, vel secundus a dextera numeratus dicitur, indigitat unitatem iterato sumendam esse decadem, adeoque derivativam, utpote resolubilem in unitates alias simpliciores, non amplius resolubiles, quales nimirum in loco primo occurrunt. Denique 3 vi figuræ significat unitatem ter poni, seu esse $3 = 1+1+1$; vi autem loci indigitat, unitatem iterato ponendam esse centenarium, adeoque derivativam, utpote in decades resolubilem. Character igitur numeri 395 (no-

notionem ejus distinctam exhibet, atque analysin perfectam indigitat, qua adæquate comprehenditur. Etenim ex ipso charactere discimus numerum istum componi ex quinque digitis, novem decadibus, tribus centenariis, & unitates quinque primas esse irresolubiles adeoque tanquam primitivas sumi; unitates novem habere ad irresolubiles rationem decuplam, & similiter unitates tres habere ad decades seu unitates derivativas primi gradus rationem decuplam. Nimirum, si cui libuerit, ope horum signorum distincte resolvere potest numerum propositum 395 in simplicissima sua elementa, quæ sunt unitates irresolubiles. Ex hoc unico exemplo abunde patere existimo, quomodo signis derivativis insit significatus essentialis. Latent profunda in obviis, modo acumine tuo ea digneris. Nostrum igitur est attentionem ad ea excitare, quæ vulgo non sine detrimento scientiæ negliguntur. Pars artis characteristicæ combinatoriæ est etiam Algebra speciosa, qua hodie utimur. Formulæ enim algebraicæ numerorum atque magnitudinum significatum utique essentialem habent. E. gr. in numeris polygonis tanquam primitiva sumuntur latus & numerus angulorum, quorum ille si dicatur n, hic vero a; prodit formula pro numero polygono in genere $n^2(a-2)-n(a-4)$. Formula hæc exhibet notionem distinctam modi, quo ex latere & numero angulorum numerus quilibet polygoni inveniri potest: id quod cum Algebræ gnaris satis superque perspectum sit, a ceteris vero non intelligatur, ut distinctius explicetur supervacaneum foret. Demus potius exemplum a mathematico diversum. Monuimus ante, extra Matheſin hactenus non prostare exempla artis characteristicæ combinatoriæ nisi in denominationibus modorum syllogisticorum. Ostendi idem quoad vocales in opere Logico (§. 374) ob rationem supra jam dictam (*not.* §. 300). Non inconsultum tamen videtur, ut significatum essentialem exemplo aliquo simul quoad consonantes illustremus, cum sic amplior evadat. Primus modus secundæ figuræ dicitur CESArE. Literæ significativæ hic sunt C, E, SA & E. Tres vocales indigitant, 1. syllogismum constare tribus propositionibus. Ordo literarum ordinem propositionum, ipsæ literæ propositionum quantitatem & qualitatem significant. Nimirum E primo loco occurrens indicat propositionem majorem esse 2. universalem quoad quantitatem, & 3. negativam quoad qualitatem. Litera A ordine secunda significat, propositionem minorem esse 4. quoad quantitatem uni-

universalem, & 5. quoad qualitatem affirmativam. Denique litera E tertio loco posita indicat, conclusionem hujus syllogismi 6. quoad quantitatem esse universalem & 7. quoad qualitatem negativam. Litera initialis C, quæ eadem est cum litera initiali modi Celarent in prima figura, innuit 8. syllogismum hunc secundæ figuræ ad primum reductum esse in modo Celarent. Litera S significat 9. propositionem majorem vertendum esse simpliciter, ut scilicet prædicatum & subjectum invicem permutentur. Quia vocalem A nulla excipit consonans significativa, inde intelligitur 10. propositionem minorem in reductione syllogismi secundæ figuræ ad primam manere eandem. Similiter quia vocalem tertiam E nulla sequitur consonans, adeoque nec significativa; id indicio est 11. in reductione syllogismi, qui est in modo Cesare, a secunda figura ad primam conclusionem eandem retineri. Denique notandum exinde, quod denominationem ingrediatur consonans significativa S intelligi 12. syllogismum non esse in prima figura & ex litera E tertio loco posita eandem non esse in tertia: unde infertur, eum esse in secunda. Quoniam de syllogismis nihil notandum, nisi quæ hic ex literis significativis denominationem ingredientibus deducta fuerunt; nomina hæc essentialiter significantium illustria exempla præbent, ut ad ea excitanda sit attentio, quam vulgo deficere constat.

§. 305.

Lingua & scriptura universalis unde pendeat.

In arte combinatoria characteristica signa derivativa seu characteres derivativi linguam quandam seu scripturam universalem constituunt. In arte enim characteristica signa derivativa significatum essentialem habent (§. 304), adeoque ex iis intelligitur, quænam notionem rei distinctam ingrediantur, modo significatum signorum primitivorum tenuerit (§. 303). Quare cum significatus signorum derivativorum nullam præsupponat linguam, & signa primitiva intelligi possint a quocunque mortalium, si significatus eorum in sua lingua eidem explicetur, vel alio quocunque modo insinuetur; signa derivativa in omni lingua intelligi possunt. Patet igitur beneficio artis characteristicæ combinatoriæ scribi posse, quæ omnes omnium linguarum gentes intelligunt, adeoque signa derivativa in

arte

Digitized by Google

arte characteristica combinatoria constituunt scripturam &, quatenus voce efferuntur, linguam quandam universalem (§. 302).

Probant id exempla artis combinatoriæ characteristicæ, qua præstant. Notæ numericæ in Arithmetica vulgari ab omnium linguarum gentibus intelligi possunt & numeri his signis scripti ab omnibus intelliguntur, quibuscunque tandem linguis utantur. Hinc tabulæ sinuum atque tangentium, itemque logarithmorum, quæ totæ ex numeris constant, in omni lingua usui esse possunt. Si quis noverit, quid denotent signa & characteres in formula algebraica; in omni lingua intelligere potest, quæ eadem de subjecto suo insinuat. Innotescunt autem significatus characterum primitivorum seu literarum, quibus quantitates designantur, etiam per relationem ad figuram delineatam absque ullo verborum apparatu. Unde in probatione propositionis præsenti dixis, perinde est, sive cui signorum primitivorum significatus in lingua ipsi vernacula explicetur, sive quocunque alio modo insinuetur. Vocabula, quibus modi syllogismorum indigitantur, sunt signa derivativa artis characteristicæ. Sed si quis significatum vocalium A, E, I & O atque consonantium S, P, M & C habuerit perspectum; is in omni lingua ex istis vocabulis intelligere poterit, quæ de unoquoque modo tenenda sunt. Vocabula igitur, quæ sunt modorum in singulis syllogismorum figuris nomina, linguam quandam & scripturam de syllogismis universalem constituunt.

§. 306.

Signa derivativa in arte combinatoria characteristica linguam quandam philosophicam constituunt. Signa enim ista significatum essentialem habent (§. 304). Quare cum lingua philosophica sit, in qua vocabula significatum essentialem habent (§. 303); linguam quandam philosophicam constituunt signa derivativa in arte combinatoria characteristica. *Lingua philosophica unde pendeat.*

Patet hoc ex nominibus modorum syllogismorum in qualibet figura. Etenim qui ad literas significativas in iis contentas animum advertit, & ex eorum significatu ratiocinatur; is in omni lingua illorum beneficio intelligit, quæ de quovis argumentandi modo demonstrantur in Logica, quemadmodum paulo ante uberius docuimus (*not.* §. 304).

§. 307.

Lingua universalis praestantissima.

Quoniam ars combinatoria characteristica non modo speciem quandam scripturæ seu linguæ universalis (§. 305); verum etiam speciem quandam linguæ philosophicæ exhibet (§. 306); *Ars combinatoria characteristica speciem scripturæ philosophicæ offert ab ea, quam cogitarunt alii, prorsus diversam* (§. 302).

Nimirum alii non intendunt nisi characteres communes, quibus unusquisque in sua lingua scribit & quos unusquisque in sua explicat, cum unusquisque characterum significatum in sua lingua explicet. Atque adeo nihil intenditur, nisi ut omnes intelligant in sua lingua, quod nos scripsimus in nostra (§. 302). Exempli loco afferri solent characteres Sinenses, quibus præcipua pars eruditionis ipsorum continetur, quibusque res indigitare solent. Etenim iidem a vocabulis independentes communes sunt Sinensibus & Japonensibus, etsi hi populi diversis linguis utantur, nec unus alterum intelligat lingua sua loquentem. *David Solbrigius* in Continuatione prima Miscellaneorum Berolinensium p. 32 & seqq. in usum *linguæ œcumenicæ* seu universalis commendat notas numericas Lexicorum beneficio ad significatum rerum transferendas; sed nihil in his derivativi est, quod ad linguam philosophicam simul utile sit. Neque enim qui de lingua universali cogitant, eandem simul philosophicam esse debere volunt. Observavit hoc jam *Leibnitius* in supra laudatis (*not.* §. 297) ad *Remondum* literis, præstantiam artis combinatoriæ characteristicæ, seu; specioſæ universalis commendaturus, atque ex eo colligitur, quod non aliam ejus habuerit notionem, quam eam, quæ a nobis explicata fuit, neque dubium ullum supereſt, quod notionem illius artis ab Algebra abstraxerit. Hæc nimirum ipsi sese tantopere probavit, ut in omni scientiarum genere simile quid prostare optaverit. Hinc vidimus ipsum cogitantem de analysi situs (*not.* §. 299), ut in Geometria singula per modum calculi tradi possent. Constat etiam ipsum cogitasse de analysi genuina numerorum, cum Algebra, quam ad problemata arithmetica applicare solemus, sit analysis magnitudinum, adeoque ad quantitatem continuam spectet, non ad discretam, nec ad discretam applicetur, nisi quatenus continua per eam explicabilis: quem in finem *Arithmeticam binariam* destinaverat, in qua numeri omnes resolvuntur in 1 & 0.

Enim-

Enimvero quemadmodum in Analysi situs non invenit, quod satisfaceret; ita nec in numerorum Analysi tantum profecit, quantum voluisset, quod nimis esset distractus.

§. 308.

Quoniam in illa specie linguæ universalis, quam Ars combinatoria characteristica offert, vocabulorum vicem tuentur characteres seu signa derivativa (§. 293, 297); pauca vero primitiva, ex quibus componuntur, absque Lexici alicujus usu in unaquaque lingua addisci possunt; *Ista linguæ universalis species, quam ars combinatoria characteristica promittit, absque omni Lexici subsidio addisci potest.* *Lingua universalis absque Lexico addiscenda.*

Atque hæc insignis prærogativa est linguæ hujus universalis præ ceteris, de quibus hactenus cogitarunt alii. Etsi autem lingua hæc universalis multo facilius intelligi possit, quam alia quæcunque, quæ primitivis utitur characteribus, saltem quoad significatum; inventu tamen multo difficilior est (§. 301). Ceterum veritatem propositionis præsentis firmat modus scribendi numeros, confirmant etiam nomina modorum syllogismorum in qualibet figura. Etenim notarum numericarum primitivarum significatum unusquisque in sua lingua addiscit, & absque Lexici alicujus subsidio deinde intelligit numeros a quocunque scriptos, quacunque lingua is eosdem pronunciare solet. Similiter significatum vocalium & consonantium S P M & C unusquisque in sua lingua discit in Logica, vocabulorum autem, quibus modi syllogismorum indigitantur, significatum absque Lexico unusquisque intelligit, quacunque lingua utatur, etiamsi ante doctrinam syllogisticam non didicerit.

§. 309.

Signa derivativa artis combinatoriæ characteristicæ inserviunt æstimando gradui probabilitatis, ubi ob data insufficientia ad veritatem certam pervenire non possumus, ostenduntque quid suppleri adhuc debeat, ut probabilitas in certitudinem vertatur. Etenim signa derivativa artis combinatoriæ characteristicæ continent in se primitiva, per quæ determinatur id, cui derivativum respondet (§. 296, 297), consequenter requisita ad veritatem omnia (§. 273 Log.). Atque ideo ex signis derivativis nuda *Artis characteristicæ combinatoriæ usus in æstimanda probabilitate.*

nuda inſpectione patet, num in dato caſu requiſita ad veritatem omnia ſint perſpecta, an quædam ignorentur. Quare cum veritatem certo cognoſcat, qui omnia requiſita ad eandem agnoſcit (§. 574 *Log.*), probabilitatem vero tantummodo habeat, qui prædicatum ſubjecto tribuit ob quædam requiſita ad veritatem (§. 578 *Log.*), eamque tanto majorem, quo plura requiſita ipſi fuerint perſpecta, tanto autem minorem, quo plura quis ignoraverit; ſigna iſta derivativa gradui probabilitatis eſtimando inſerviunt, ubi ſufficientia data ad veritatem perveniendi liquidam deſunt.

Enimvero quoniam ex ipſo ſigno ſeu charactere derivativo apparet, quænam requiſita ad veritatem adhuc deſint, his autem ſimul perſpectis veritas certa cognoſcitur (§. 574 *Log.*); quænam ſuppleri debeant, ut veritas certo cognoſcatur in dato caſu per ſigna derivativa artis characteriſticæ utique patet.

Signa derivativa in arte characteriſtica hunc habent uſum, quatenus definitiones (§. 580 *Log.*) & propoſitiones determinatas (§. 583. 584 *Log.*) repræſentant. Intercedit tamen adhuc inſignis aliqua differentia inter definitiones ac propoſitiones determinatas communi more & characteriſtice expreſſas, quatenus in expreſſione poſteriori continetur notio adæquata vi characteris reſolubilis, quemadmodum ex datis ſuperius exemplis (*not.* §. 304) intelligitur. Commendavit ob hunc inſignem in deliberationibus de negotiis humanis uſum artem combinatoriam characteriſticam in ſæpius laudatis ad *Remondum* literis p. 131 *Leibnitius*. Noſtrum igitur fuit vi noſtrorum de probabilitate principiorum ex notione artis combinatoriæ characteriſticæ idem deducere, ut appareat tum illorum fœcunditas, tum notionis hujus cum notione *Leibnitiana* identitas.

Quanam ars characteriſtica combinatoria memoriæ ſuppetias ferat.

§. 310.

Ope artis combinatoriæ characteriſticæ notiones rerum diſtinctæ, immo adæquatæ memoriæ facile mandantur eademque retinentur. In arte enim combinatoria characteriſtica notio rei diſtincta, immo adæquata paucis ſignis ſeu characteribus

bus primitivis inter se combinatis exprimitur (§. 293. 294). Quamobrem si quis ideam istius signi derivativi memoriæ imprimit eademque retinet; is notionem distinctam, immo adæquatam rei signo denotatæ memoriæ infigit eademque retinet. Quoniam itaque extra omne dubium est characterem istiusmodi derivativum facilius memoriæ mandari ac retineri posse, quam plurimæ propositiones retinentur, quæ notionem signo hoc denotatam ingrediuntur & in quas ea beneficio hujus signi resolubilis; ope artis combinatoriæ characteristicæ notiones rerum distinctæ, immo adæquatæ memoriæ facilius mandantur eademque retinentur, quam absque ejus auxilio id fieret.

Evidentissime idem loquuntur nomina modorum in diversis syllogismorum figuris. Vidimus paulo ante, quantus propositionum numerus in unica voce *Cesare* contineatur, quæ quod non eadem facilitate memoriæ mandari ac retineri possint, qua vocabulum istud eidem infixum retinetur, nemo profecto asseveraverit. Et hæc sane ratio impulit vocabulorum istorum inventorem ad eadem in Logicam introducenda, ne doctrina syllogistica ad præcavendos errores ex vitio formæ oriundos adeo necessaria oblivioni tradatur: quem in finem quoque signorum primitivorum significatus versiculis memorialibus comprehensus fuit. Usus adeo iste præclarus artis combinatoriæ characteristicæ dudum innotuit, etsi *Leibnitius* in literis sæpissime laudatis nullam ejus fecerit mentionem.

§. 311.

Ope artis combinatoriæ characteristicæ facillime reminiscimur singulorum ad notionem rei distinctam pertinentium, certique sumus nos nihil eorum, quæ ad eam pertinent, prætermittere. Signum nimirum derivativum, quo in arte combinatoria characteristica res quædam denotatur, componitur ex signis primitivis singulorum, quæ notionem distinctam ingrediunsur (§. 296. 297). Quare cum significatum signorum primitivorum familiarem experiatur, qui artes combinatoriæ characteristicæ signa derivativa intelligere vult; signa primitiva singula in signo derivativo contenta ea in memoriam revocant, quæ ad

Suppetia ulteriores.

notionem rei distinctam requiruntur (§. 228); & hinc eorum facile reminiscimur, quæ ad rei notionem distinctam pertinent (§. 230). Quoniam itaque plura ad eam non spectant, nisi quæ per ista in memoriam revocantur, certus autem jam es, te singula tibi in memoriam revocasse, quæ signis illis primitivis indigitantur; evidens omnino est beneficio artis characteristicæ combinatoriæ nos certos esse posse, quod nihil eorum, quæ de re didicimus, oblivioni dederimus, nec in præsente quicquam eorum prætermittamus, quod ad notionem ejus distinctam spectat.

§. 312.

Reductio cognitionis symbolicæ ad quasi intuitivam.

Ope artis combinatoriæ characteristicæ cognitio symbolica convertitur quasi in intuitivam, etiam in eo casu, ubi cognitio intuitiva distincta haberi nequit. In arte combinatoria characteristica notiones irresolubiles signis primitivis exprimuntur, & inde signa derivativa notionum distinctarum formantur (§. 293. 294), atque adeo notiones distinctæ veluti oculis spectandæ exhibentur (§. 292), quatenus nempe singula signa primitiva eorumque combinationem in signo derivativo intuemur. Quoniam in arte characteristica combinatoria signis repræsentamus, quæ in ideis continentur, & hæc intuemur (§. 297); cognitio in eadem symbolica est (§. 289). Enimvero quia signa primitiva & modus, quo combinantur, ea nobis in memoriam revocant, quæ in notione symbolice repræsentata seu characteristice expressa continentur (§. 228), ut singulorum, quæ rei insunt, recordemur (§. 230); hoc ipso ea, quæ in re symbolice repræsentata continentur, veluti in ideis suis intuemur, adeoque ad intuitivam veluti cognitionem cognitio symbolica reducitur (§. 286).

Quoniam in arte characteristica combinatoria characteres conduntur derivativi eodem modo pro substantiis rerum materialium & entibus quibusvis abstractis, ut ea, quæ abstractis

Digitized by Google

ſtractis inſunt, vi ſignorum ſeu characterum primitivorum inter ſe combinatorum exhibeantur per modum partium, ex quibus tanquam totum aliquod componantur; abſtracta iſtiusmodi nobis exhibemus tanquam entia compoſita, in quibus partes compoſitionem ingredientes earundemque nexum a ſe invicem diſtinguimus, adeoque ſymbolica hac repræſentatione veluti ad intuitivam cognitionem reducuntur *per demonſtrata*. Enimvero cum res intuitive cognoſcamus, quatenus idearum, quas de iis habemus, nobis conſcii ſumus (§. 286), abſtracta vero tanquam a re percepta ſejuncta ſpectari debeant (§. 282); in iis præſertim, quæ a ſenſu valde remota ſunt, cognitio intuitiva diſtincta vix ac ne vix quidem, immo prorſus non haberi poteſt. Patet igitur artem combinatoriam characteriſticam cognitionem ſymbolicam convertere quaſi in intuitivam etiam in iis caſibus, ubi cognitio intuitiva diſtincta haberi nequit.

Exempla luculenta præbent formulæ algebraicæ, qualem pro numeris polygonis in genere (*not.* §. 304) exhibuimus. Numerus polygonus in genere eſt ens maxime abſtractum, & ortus ejus ex latere atque angulorum numero multo magis in eundem numerum referendus. Jam formula $n^2(a-2)-n(a-4)$, ubi n latus, a numerum angulorum denotat (§. 201 *Analyſ.*), repræſentat ortum numeri polygoni in genere ex latere atque angulorum numero tanquam ens compoſitum ex duabus partibus $\frac{1}{2}n^2(a-2)$ & $\frac{1}{2}n(a-4)$, quæ denuo ex partibus aliis n^2 & $a-2$ atque n & $a-4$ componuntur, & ſigna — atque ( ) oſtendunt, quomodo partes iſtæ inter ſe jungantur. Characteres tam ſpecioſi, quam numeri nobis in memoriam revocant, quæ ortum numeri polygoni ingrediantur, & ſigna combinationum oſtendunt, quomodo ad eandem concurrant. Atque ita vi formulæ diſtincte quaſi percipimus ortum numeri polygoni in genere ex latere ac angulorum numero & eundem quaſi coram intuemur: ita ut nobis conſcii ſimus ſingulorum, quæ ſucceſſive fieri debent, ut numerus quilibet polygonus prodeat veluti res quædam in natura rerum orta, certique ſimus nihil eorum prætermitti, quæ ad ortum iſtum neceſſaria ſunt, nihilque alio ordine poni, quam quo alterum excipere debet. Ad

singula signa singulosque characteres attenti notiones nobis in memoriam revocamus, quæ iisdem respondent, ut adeo perinde sit ac si in toto aliquo ex partibus composito partes earundemque nexum intueremur. Habemus adeo beneficio formulæ algebraicæ intuitivam quasi cognitionem ortus numeri polygoni cujuscunque ex latere atque angulorum numero, etsi is non sit ex numero eorum, quæ in sensum cadunt, nec in numerum rerum materialium ex aliarum compositione ac immutatione oriri solitarum. Non minus luculenta sunt exempla, quæ ad illustrandum propositionem præsentem præbent nomina modorum syllogismorum in singulis figuris. E. gr. Nomen modi primi in figura secunda CESArE repræsentat hunc modum tanquam ens ex variis partibus certo quodam modo inter se junctis compositum, quatenus constat ex literis significativis, quæ hoc potius, quam alio ordine sese excipere debent. Literæ istæ ac ordo, quo se invicem sequuntur, in memoriam revocant singula prædicata huic modo tribuenda, ut eadem tanquam partes in re contentas intuearis quasi. Atque ita cognitio mere abstracta & symbolica ad intuitivam quasi revocatur, ut, si vocabulum intuearis, omnium de hoc modo argumentandi tibi perinde conscius sis, ac si ens quoddam compositum intuens tibi conscius es partium in eodem contentarum. Ita a sensu avocata & ab imaginibus separata, ut distincta fierent ac præcisa, nihil prorsus confusi admixtum habentia, ad sensum rursus ac imagines revocantur, ut claritas, quam perdiderant, restituatur, sicque omnis redeat utilitas, quam cognitioni offert sensus. Et hoc pacto cognitioni, quæ ab arte characteristica combinatoria pendet, proprium est, quicquid in cognitione intuitiva & symbolica utile; ab ea autem alienum est, quicquid imperfecti in utraque occurrit.

Intellectus purus & non purus definitio.

§. 313.

Intellectus dicitur *purus*, si notioni rei, quam habet, nihil confusi admiscetur nihilque obscuri. *Non purus* dicitur, si notioni rei insunt, quæ confuse aut prorsus obscure percipiuntur.

Notiones numerorum pertinent ad intellectum purum, quatenus nobis sunt adæquatæ: hinc enim iis nihil confusi, nihil obscuri admiscetur, cum tandem perfecta analysi resolvantur in notionem unitatis (§. 339 *Ontol.*). Dedimus jam supra exemplum, in quo numerum 395 analysi perfecta ad notionem solius unitatis reduximus (*not.* §. 304), ut adeo in tota numeri cujuscunque notione nihil supponatur, quod con-

Digitized by Google

confuse, vel saltem prorsus confuse percipiatur. Unde notiones numerorum ad adæquatas proxime accedunt, & intellectum purum qualis sit produnt. Cum quantitates in abstracto spectatæ, quales in Algebra consideramus, sint numeri indeterminati; formulæ algebraicæ intellectui puro illustrando inserviunt, etsi notiones iis respondentes non prorsus tales sint, quales intellectus purus exigit, cum quantitates referantur ad continuum, cujus confusa tantum hic est notio, utpote prorsus imaginaria. In Physicis & Moralibus intellectus minime purus est, cum notiones, quas ibidem habemus, adæquatæ non sint, analysin perfectam, quæ in irresolubilibus sua natura talibus terminatur, minime admittentes. Ex systematica enim tractatione apparet, nos in confuse perceptis subsistere & confusas quasdam notiones pro primitivis seu irresolubilibus assumere.

§. 314.

Quoniam perceptiones confusæ ad facultatis cognoscendi partem inferiorem spectant (§. 54), sensum nempe atque imaginationem (§. 67. 92); *Intellectus purus est, si a sensu atque imaginatione liber est, & in tantum quidem purus est, in quantum a sensu atque imaginatione liber.*

Intellectus quando purus.

In numerorum doctrina nullam supponimus notionem primitivam, nisi unitatis, adeoque non opus est ullam supponi notionem confusam, nisi unitatis. Quoniam numeri deinde omnes (§. 339 *Ontol.*), etiam fracti (§. 399 *Ontol.*) & irrationales (§. 405 *Ontol.*) in unitates resolvuntur; singulis quoque nihil confusi adhæret, nisi quod ab unitate trahunt. Quodsi notio unius quæratur distincta, qualem in philosophia prima (§. 328 *Ontol.*) & in Matheſi Latina (§. 3 *Arithm.*) dedimus; notio quoque unitatis ab omni propemodum, quod est confusum, liberatur. Quamobrem in numerorum cognitione intellectus a sensu atque imaginatione propemodum prorsus liber est, ut adeo notiones numerorum intellectum purum, qualis vi propositionis præsentis esse debet, maxime illustrent. Conferunt quoque aliquid ad hunc scopum formulæ algebraicæ ad figuras relatæ. Etenim vi characterum, quæ de figura distincte concipiuntur, ab imagine ejusdem, qua eam nobis vi imaginationis aut sensus repræsentamus, separamus & ab imaginibus ita abstracta beneficio formulæ concipimus: immo in calculo analytico nihil prorsus nobis cum figuris negotii est. Intellectus igitur eatenus purus est, quatenus ab imagini-

Digitized by Google

ginibus separata per characteres combinat & combinationem variando veritatem investigat. Unde apparet, in arte combinatoria characteristica intellectum ad purum magis accedere, quam in cognitione symbolica, qua utimur, communi. Ad hanc artem combinatoriam characteristicam igitur præparamur, si notiones rerum ab imaginibus separemus, eas continuo resolvendo in alias simpliciores. Atque ea ratio nos impulit, ut in philosophia prima demonstraverimus, quæ facile absque demonstratione concedunt omnes ac ideo ipse *Euclides*, demonstrator rigidissimus, sumit, quamvis facile prævideremus, fore bene multos, quibus nugari videamur, propterea quod nondum prospiciant utilitatem, quam nos reipsa experti sumus, & quæ ex secuturis disciplinis magis elucescet, immo quam experientur omnes, quotquot intellectum purum excolent summam in cognitione rerum evidentiam consecuturi. Non moramur aliorum judicia, quamdiu nobis veri ac recti conscii sumus. Ceterum vel ex his ipsis a nobis allatis exemplis patet, intellectum purum non esse figmentum Mathematicorum, quemadmodum memini objici ab iis, qui nullam ejus notionem habent imaginibus nimirum addicti, immo partem facultatis cognoscendi superiorem ab inferiori non satis distinguunt.

§. 315.

Cur intellectus noster nunquam prorsus purus.

Quoniam nos notionum nostrarum analysin in iis terminare solemus, quæ ope sensuum clare quidem, attamen confuse percipimus; *intellectus* a sensu atque imaginatione nunquam liber est, consequenter *nec unquam prorsus purus est* (§. 314).

Facti probatio ab experientia pendet. Non igitur opus est, quam ut notiones nostras excutiamus. Omnium vero optime hoc intelligitur, si disciplinæ nostro more in systemata inter se connexa redigantur. Quodsi enim vi citationum notionem aliquam resolvamus, donec perveniamus ad eas, quæ non amplius resolvuntur in alias; extemplo apparet, utrum notiones istæ, quas tanquam primitivas spectamus, contineant quidpiam nonnisi confuse perceptum, atque claritatem ab imaginibus trahant, nec ne. Quodsi phænomena mundi materialis seu visibilis, ex notione elementorum seu substantiarum simplicium, quæ mundum quendam invisibilem constituunt, a priori deducere valeremus; cum sic cognitionem universi ab imaginibus separaremus, illustre cogni-

Digitized by Google

gnitionis ad intellectum purum ſpectantis exemplum haberemus, quod ad cognitionem mundi divinam aliquanto propius accederet, quemadmodum ex Theologia naturali manifeſtum evadet.

§. 316.

Notio intellectus, quam dedimus, communi uſui loquendi non contrariatur; inconſtantiæ tamen loquendi contraria. Non ignotum eſt vulgo brutis tribui ſenſum atque imaginationem; denegari autem intellectum. Ad intellectum igitur referri debet cognitio, quæ ab ideis ſenſualibus atque phantaſmatis diſtincta eſt. Senſuales ideæ atque phantaſmata ſunt illæ rerum imagines, quibus confuſe repræſentantur cognoſcibilia, quod ſatis in nobiſmetipſis experimur, modo ad ſenſationes noſtras (§. 95), quibus res præſentes percipimus (§. 59. 65) & perceptiones rerum abſentium, quas habemus, attendamus (§. 92. 93). Ad intellectum igitur pertinet diſtincta rerum perceptio. Quamobrem intellectus definiri debet per facultatem res diſtincte repræſentandi, quemadmodum fecimus (§. 275). Quare cum uſum loquendi obſervet, qui vocibus ſeu terminis eas tribuit notiones, quibus res repræſentantur iis in communi ſermone indigitatæ (§. 139 *Log.*); notio noſtra intellectus communi uſui loquendi non contrariatur. *Notio intellectus an uſui loquendi conveniat.*

Enimvero nemo ignorat, ſæpiſſime intellectus vocabulum ſumi pro facultate cognoſcendi omni, quocunque modo cognoſcibile nobis repræſentemus, ſive confuſe, ſive diſtincte: quo in ſignificatu etiam ſenſum atque imaginationem, ſeu totam facultatis cognoſcendi partem inferiorem ſub eadem complectimur. Quare cum vocabulum intellectus communi loquendi uſu nunc ſumatur pro ſola facultate cognoſcibilia diſtincte repræſentandi in ſenſu ſtrictiori; nunc pro omni facultate cognoſcendi in ſenſu latiori: communis uſus loquendi inconſtans eſt. Quoniam vero nos vocabulo intellectus fixum tribuimus ſignificatum, a quo ut recedatur nefas exiſtimamus

(§. 143

Digitized by Google

(§. 143 *Disc. prælim.*); notio noſtra intellectus inconſtantiæ loquendi contrariatur.

In notione igitur intellectus determinanda obſervavimus leges methodi. A recepto enim vocabuli hujus ſignificatu non recedimus (§. 142 *Disc. prælim.*); idem tamen in eodem ſignificatu conſtanter adhibemus (§. 143 *Disc. prælim.*).

§. 317.

Cognitionis universalis definitio.

Cognitio universalis dicitur, quæ conſtat notionibus univerſalibus.

Quænam notiones ſint univerſales, alibi dudum docuimus (§. 54 *Log.*).

§. 318.

Quænam ad eam referantur.

Quoniam notiones generum & ſpecierum ſunt univerſales (§. 54 *Log.*), & propoſitionibus univerſalibus reſpondentes notiones (§. 520 *Log.*) non minus univerſales eſſe intelliguntur; *Notiones generum & ſpecierum atque propoſitionum univerſales ad cognitionem univerſalem ſpectant.*

Ita in Elementis Geometriæ traditur cognitio univerſalis. Etenim in iis non occurrunt niſi definitiones generum ac ſpecierum atque propoſitiones univerſales. Quicquid igitur in Elementis Geometriæ occurrit; ad cognitionem magnitudinis univerſalem ſpectat. Immo diſciplinæ in univerſum omnes cognitionem rerum univerſalem nobis offerunt.

§. 319.

Cognitionis ſingularis definitio.

Cognitio ſingularis dicitur, quæ univerſalis non eſt, aut, ſi mavis, quæ conſtat notionibus individuorum.

Entis univerſalis & ſingularis differentiam, quæ hic ſupponitur, alibi jam a nobis explicata fuit (§. 225 & ſeqq. *Ontol.*).

§. 320.

Quænam ad eam referantur.

Quoniam facta hominum atque naturæ, quæ actu contingunt vel olim contigere, omnimode determinata (§. 226 *Ontol.*), adeoque individua ſunt (§. 227 *Ontol.*); *factorum tam hominum, quam naturæ actu contingentium cognitio ſingularis eſt* (§. 319).

Facta

Digitized by Google

Facta hominum & naturæ recensentur in historia; illa quidem in historia simpliciter sic dicta, hæc vero in historia naturali. Cognitionem adeo singularem historia nobis offert.

§. 321.

Cognitio particularis est, quæ notionibus particularibus constat. Dicitur autem *Notio particularis*, qua ea repræsentantur, quæ quibusdam individuis ad idem genus, vel eandem speciem referendis communia sunt. *Cognitionis particularis definitio.*

Condimus definitionem notionis particularis ad imitationem definitionis, quam de universali notione dedimus (§. 54 *Log.*).

§. 322.

Quoniam igitur omni propositioni (§. 520. 521 *Log.*), adeoque & particulari, notio quædam respondet; quæ propositioni particulari respondet notio, & ipsa particularis intelligitur. *Ad cognitionem* itaque *particularem propositiones particulares spectant.* *Quanam ad eam referantur.*

Propositiones particulares nullum sibi locum vendicare videntur in disciplinis. Neque enim ad historiam referri possunt, quæ singulares tradit propositiones ac notiones individuorum: neque ad scientiam spectant, utpote quæ universalis est. Quamobrem adhuc ostendendum est, quemnam usum habeat cognitio particularis & ubi eadem tradenda.

§. 323.

Si notio subjecti, sub qua prædicatum ei convenit, sufficienter determinari nequit; propositiones particulares condendæ sunt. Etenim si notio subjecti, sub qua prædicatum ei convenit, sufficienter determinari nequit, cum posita determinatione subjecti ponatur quoque prædicatum sub eadem eidem tribuendum (§. 131 *Ontol.*); ignoratur utique, quandonam individuo sub dato genere, vel data specie contento prædicatum tribui debeat, consequenter individua ista sub notione quadam universali, tanquam genere quodam accidentali, hoc est, ex determinationibus accidentalibus ad imitationem generum ex *Propositiones quando particulares condendæ.*

Digitized by Google

determinationibus essentialibus constitutorum formato, comprehendi nequeunt. Quamobrem fieri nequit, ut propositio universalis condatur (§. 242 *Log.*). Quoniam itaque subjectum propositionis terminus communis est, species nempe vel genus; prædicatum vero nonnisi sub quibusdam determinationibus accidentalibus definitioni generis, vel speciei superaccedentibus convenit, quæ cum ignorentur non constat, quænam sint illa individua, quibus simul sumtis prædicatum istud tribui debeat; propositio nonnisi particularis condi potest (§. 243 *Log.*).

Exempla occurrunt in superioribus (§. 182 & seqq.). Observamus alios pluribus actibus iteratis facilitatem ideas reproducendi & reproductas recognoscendi sibi comparare; alios paucioribus actibus iteratis ad id opus habere (§. 182). Enimvero non observamus simul determinationes in subjecto prærequisitas, ut vel pluribus, vel paucioribus actibus repetitis istam facilitatem sibi comparet. Quamobrem fieri nequit, ut duo quasi genera hominum, aut, si mavis, duas quasi species eorundem constituamus, ex quorum notionibus deducatur facilitas ideas reproducendi reproductasque recognoscendi vel pluribus, vel paucioribus actibus iterandis tanquam prædicatum, consequenter nec propositiones duæ universales formari possunt, quæ sint determinatæ, & in quibus prædicatum unumquodque assignetur suo subjecto, cui convenit. Quoniam itaque tantummodo constat, esse quædam hominum individua, quibus facilitas ideas reproducendi & reproductas recognoscendi paucioribus actibus iteratis comparatur; esse etiam quædam, quibus eadem pluribus actibus iteratis acquiritur; propositiones omnino condere non licet nisi has particulares: *Quidam homines paucioribus actibus iteratis facilitatem ideas reproducendi reproductasque recognoscendi sibi comparant* & *Quidam homines pluribus actibus iteratis facilitatem ideas reproducendi reproductusque recognoscendi sibi comparant*. Idem eodem modo patet in exemplis centenis aliis, cum propositiones indeterminatæ multo frequentiores sint determinatis.

Propositionum particularium locus.

§. 324.

Propositionibus particularibus in doctrina probabilium locus est. Etenim si propositio particularis est, quædam saltem deter-

determinationes nobis perſpectæ ſunt, ob quas prædicatum ſubjecto tribuendum, non vero omnes (*§.* 145 *Log.*). V. gr. novimus ſaltem ſubjectum ad hoc genus, vel hanc ſpeciem referri debere, non autem perſpectas habemus determinationes accidentales, quæ determinationibus eſſentialibus, quibus genus vel ſpecies conſtituitur (§. 247 *Ontol.*), ſuperaccedere debent, ut prædicatum eidem tribui poſſit, vel, ſi quæ etiam determinationes accidentales ad hoc requiſitæ adſint, non tamen omnes perſpectæ ſint, eum alias propoſitio foret univerſalis (*§.* 242 *Log.*). Quare cum in propoſitionibus hypotheticis requiſita ad veritatem ſint definitio atque conditio adjecta, ſeu definitio atque determinatio ſubjecti (*§.* 584 *Log.*), qua nempe ejus ſtatus determinatur, in quo prædicatum ei tribui poteſt (§. 228 *Log.*); propoſitio autem tantummodo probabilis ſit, ſi prædicatum ſubjecto tribuitur ob quædam requiſita ad veritatem (*§.* 578 *Log.*); propoſitionum quoque particularium uſus eſſe nequit, niſi ubi probabilia admittuntur, adeoque in doctrina probabilium locus iisdem eſt.

Quando itaque doctria probabilium magis excoletur, propoſitionum quoque particularium uſus magis eluceſcet.

CAPUT III.

De tribus intellectus operationibus in ſpecie.

§. 325.

Numerus operationes.

TRes *ſunt intellectus operationes* (quas vulgo *mentis operationes* vocamus); *quibus circa cognoſcibilia verſamur*, *notio cum ſimplici apprehenſione*, *judicium & diſcurſus*. Propoſitionem hanc jam demonſtravimus in Logica (§. 52), quam demonſtrationem ibidem vide.

operationum intellectus.

Digitized by Google

Doctrina de operationibus intellectus ad Psychologiam spectat in qua propria ejus sedes est. Quoniam tamen in Logica docetur, quomodo operationibus mentis sit utendum ad veritatem investigandam & inventam ab aliis agnoscendam; quædam de operationibus mentis erant præmittenda, ne deessent principia, unde regulæ logicæ demonstrarentur. Atque ideo capite quodam integro de tribus mentis operationibus in genere ea proposuimus, quæ in Psychologia tradenda fuerant. Quoniam tamen hic denuo proponere non libet, quæ ibidem legi possunt; talia nunc potius persequemur, quæ ibidem dicta non sunt, nisi quatenus quædam repeti consultum videtur, quod ex anterioribus ulterior quædam lux iisdem affundi possit.

§. 326.

Prima intellectus operatio in cognitione intuitiva.

Si in cognitione intuitiva acquiescimus, prima intellectus operatio absolvitur, dum in ideis duorum vel plurium individuorum simul nobis occurrentibus ad ea successive attentionem dirigimus, quæ in iisdem eadem sunt. Dum enim attentionem nostram successive dirigimus ad ea, quæ in ideis duorum vel plurium individuorum simul nobis occurrentibus eadem sunt; magis nobis conscii fumus, quod jam in pluribus eadem percipiamus, quam quod percipiamus alia (§. 235 & 237), atque adeo operatione intellectus ea a subjectis, quibus insunt, quasi separamus. Distincte igitur percipimus, quæ ad genus vel speciem illarum rerum pertinent (§ 38. 283), consequenter genera & species nobis distincte repræsentamus (§. 24). Quare cum generum & specierum repræsentatio sit notio (§. 49), distincta autem notio intellectus operatio sit (§. 275) eaque prima (§. 53 *Log.*); si in cognitione intuitiva acquiescimus, prima mentis operatio absolvitur, dum in ideis duorum, vel plurium individuorum simul nobis occurrentibus ad ea successive attentionem dirigimus, quæ in iisdem eadem sunt.

Hoc modo patet, quomodo nobis genera & species rerum in universali repræsentare debeamus. Quod alius non detur modus in cognitione intuitiva genera & species rerum repræsentandi, ex eo intelligitur, quod universalia, seu genera & species non existant nisi in singulari-

ribus

Digitized by Google

ribus (§. 30 *Log.*) ac ad notionem eiris in univerſali non pertineant niſi determinationes intrinſecæ pluribus ſingularibus, ſeu individuis communes (§. 230 *Ontol.*). Ponamus e. gr. duas arbores, ceraſum atque prunum, oculis noſtris una objici, ita ut utramque uno intuitu comprehendere valeamus. Quodſi jam attentionem noſtram ad folia utriusque arboris ſimul dirigimus; nobis conſcii ſumus, nos in utraque percipere folia, & magis quidem conſcii ſumus, quam quod alia vel in iisdem arboribus, vel extra eas una percipiamus. Quodſi jam porro attentionem noſtram promovemus ad ſurculos in utraque arbore ſimul; eorundem eodem prorſus modo conſcii nobis ſumus. Et idem tenendum eſt de ramis atque truncis. Hac ratione absque omni vocabulorum vel aliorum ſignorum uſu ea nobis diſtincte repræſentamus, quæ arboribus communia ſunt, atque adeo notionem hujus generis ingrediuntur, quod arboris nomine indigitamus. Atque ita ſimul intelligitur, quid ſit mente ſeparare ea, quæ individuis communia ſunt. Neque vero utilitate ſua caret noſſe, quomodo in cognitione intuitiva prima intellectus operatio ſeſe exerat, quoniam notionibus generum atque ſpecierum claritas affunditur, ſi cognitio intuitiva cum ſymbolica conjungatur.

§. 327.

Si notionem generis, vel ſpeciei alicujus nobis jam acquiſivimus, prima mentis operatio circa iſtud genus, vel ſpeciem iſtam poſthac abſolvitur, ſi in ideam unius individui ad ea ſucceſſive attentionem promoves, quæ pluribus communia deprehenſa fuiſſe meminiſti. Quodſi enim notionem generis vel ſpeciei alicujus nobis jam acquiſivimus; illud in univerſali nobis repræſentare valemus (§. 49) & quia operatione intellectus diſtincte idem repræſentatur (§. 275), quæ ad notionem generis ac ſpeciei ſpectant, tanquam ſigillatim enunciabilia (§. 281), diſtinguere valemus (§. 38). Quamobrem cum notionem generis ac ſpeciei tibi acquiſiveris, dum in ideis duorum vel plurium individuorum ad ea ſucceſſive attentionem direxiſti, quæ in iisdem eadem ſunt (§. 326): ubi in objecto aliquo ad genus iſtud, vel ſpeciem iſtam pertinente ea intueris, quæ ad notionem generis vel ſpeciei ſpectant, actuum quoque mentis tibi conſcius evadis, qui-

Modus universalia intuitive cognoſcendi, quæ ante jam cognita fuerant.

Digitized by Google

bus ea a ſubjectis pluribus tanquam communia ſeparaſti (§ 104). Quamobrem cum ea tanquam communia recognoſcas (§. 173); genus poſthac vel ſpeciem tibi repræſentare, conſequenter primam intellectus operationem, quæ notio (§. 53 *Log.*), adeoque rei in univerſali repræſentatio eſt (§. 49), abſolvimus in cognitione intuitiva, ſi in idea unius individui ſucceſſive attentionem ad ea promovemus, quæ pluribus communia a nobis deprehenſa fuiſſe meminimus (§. 126).

Videmus adeo genera ac ſpecies nobis jam cognita facilius in cognitione intuitiva repræſentari poſſe, quam ſi nondum cognita fuerint. Eadem vero eſt propoſitionis præſentis utilitas, quæ alterius. Inprimis juvat intueri ideam rei ipſius, ubi notionem ejus diſtinctam alteri communicare tenemur: id quod non modo attentionem noſtram ad ea, quæ loquimur, conſervat; verum etiam adjumento eſt, ne quid oblivioni tradamus, quod ad notionem rei diſtinctam requirebatur.

§. 328.

Prima mentis operatio in cognitione intuitiva

In cognitione ſymbolica prima mentis operatio abſolvitur recenſione vocabulorum, vel aliorum ſignorum, quibus ea indigitantur, quæ notionem rei diſtinctam ingrediuntur. Etenim in cognitione ſymbolica tantummodo verbis enunciamus, quæ in ideis continentur, vel aliis ſignis eadem repræſentamus, ideas vero ipſas verbis aut ſignis aliis indigitatas non intuemur (§. 289). Quare cum in cognitione intuitiva prima mentis operatio abſolvatur, ſi attentionem ſucceſſive in idea rei ad ea dirigimus, quæ notionem diſtinctam generis vel ſpeciei ingrediuntur (§. 326. 327), ſingula autem hæc enunciabilia ſint (§. 281), adeoque vocabulis, vel ſignis aliis indigitari poſſint (§. 280); in cognitione ſymbolica prima mentis operatio abſolvi debet recenſione vocabulorum, vel repræſentatione aliorum ſignorum, quibus ea denotantur, quæ notionem rei diſtinctam ingrediuntur.

Ita prima mentis operatio in cognitione ſymbolica arboris abſolvitur, ſi dicimus vegetabile, quod ex trunco, ramis, ſurculis & foliis conſtat: etenim ſigillatim recenſemus verba, quibus ea indigitantur,

quæ

Digitized by Google

quæ in arboribus tanquam communia distinguimus, consequenter quæ notionem arboris in genere, quatenus distincta est, ingrediuntur. Non autem jam nobis quæstio est, utrum notio distincta sit completa atque determinata, atque oratione ista talis notio significetur, ut hæc definitionis loco inservire possit (§. 152 *Log.*). Sufficit enim hic ea sigillatim enunciari, quæ mente ab idea rei separantur, dum distincte nobis genus vel speciem repræsentare conamur. Pendet enim cognitio symbolica ab intuitiva, quam supponit & ad quam refertur. Quicquid igitur huic deest, idem etiam illi deesse debet.

§. 329.

Dependentia cognitionis symbolicæ ab intuitiva in prima mentis operatione.

Quoniam vocabula sunt signa nostrarum perceptionum, vel rerum per eas repræsentatarum (§. 271); dum verba recensemus, quibus ea indigitantur, quæ notionem rei distinctam ingrediuntur, ea singula ad perceptiones rerum in cognitione intuitiva locum habentes referre tenemur, etsi ad notionem eidem respondentem non attendamus, quod eadem ex cerebro usu satis intelligere arbitremur (§. 132 *Log.*). Quamobrem *operatio intellectus prima in cognitione symbolica præsupponit operationem ejusdem primam in intuitiva* (§. 326 & seqq.).

Hæc probe notanda sunt, ne demus sine mente sonos, nobisque persuadeamus, nos notionem rei habere, dum vocabula recensere valemus, etsi *cognitionem symbolicam ad intuitivam reducere* minime valeamus: quæ reductio in eo consistit, ut ideam alicujus individui in nobis excitemus, sive sensuum, sive imaginationis ope, ac attentio nostra successive ad ea dirigatur, quæ in re percepta insunt, atque deinde vocabula ad eadem referantur, prout singulis vi significatus, quem obtinent alias, subinde etiam vi etymologiæ ac compositionis, denotandis apta deprehenduntur, quatenus scilicet in etymologia vel compositione ratio denominandi latet, ad rem vocabulo denotatam manducens, nisi ipsimet vocabula ad ea significanda in cognitione intuitiva transtulerimus atque hujus facti meminerimus. Dedimus exemplum reductionis hujus luculentum in Horis subsecivis A. 1730 Trim. Vern. num. II. ubi definitionem justitiæ *Ulpianæ* a cognitione symbolica ad intuitivam reduximus. Immo exempli quoque loco ibidem esse possunt, quæ de notionibus justitiæ commutativæ ac distributivæ diximus. Nimirum ingens interpretationis subsidium in reductione cognitionis symbolicæ

ad

ad intuitivam consistit, ut adeo non inanem operam sumat, qui differentiam cognitionis utriusque ac dependentiam symbolicæ ab intuitiva intimius perspicere conatur.

§. 330.

Definitio prima operationis intellectus.

Prima intellectus operatio est plurium in re una figillatim facta repræsentatio. Etenim in cognitione intuitiva præsens nobis est rei idea (§. 326. 327) adeoque nobis rem istam repræsentamus (§. 48). Jam vero in idea nostram attentionem successive dirigimus ad ea, quæ pluribus individuis cómmunia vel intuemur (§. 326), vel meminimus (§. 327), consequenter nobis conscii sumus, quod hæc potius percipiamus, quæ rei insunt, quam rem ipsam (§. 235. 237), adeoque ea, quæ in re distinguuntur, figillatim nobis repræsentamus (§. 24). Est igitur in cognitione intuitiva prima intellectus operatio pluriuin in re una figillatim facta repræsentatio.

Jam in cognitione symbolica verbis enunciamus, quæ in ideis continentur, vel aliis signis eadem repræsentamus (§. 289). Quamobrem cum in cognitione intuitiva prima mentis operatione plura in re una figillatim nobis repræsentemus *per demonstrata;* in cognitione symbolica, quæ recensione vocabulorum vel aliorum signorum absolvitur, quibus ea indigitantur, quæ notionem rei distinctam ingrediuntur (§. 328), figillatim quoque plura in re una prima mentis operatione symbolice repræsentantur.

Propositio præsens vicem definitionis primæ intellectus operationis, quæ distincta notio est, subire valet. Neque id quenquam turbare debet, quod eandem demonstremus: etenim definitiones nominales tamdiu absque demonstratione sumuntur, quamdiu nil quicquam aliud significatur, quam nos hoc vocabulo indigitare velle ens, cui hæ determinationes simul sumtæ insunt, parum solliciti, utrum ista eidem enti simul inesse possint, nec ne. Enimvero quamprimum aliquid affirmamus, veluti quod determinationes istæ simul eidem enti inesse possint, vel quod quid insit rei jam aliter definitæ, etsi hoc ad eandem definiendam sufficiat, vel etiam insit rei confuse saltem perceptæ certoque nomine denominatæ;

pre-

Digitized by Google

probatione utique opus est. Nostri enim arbitrii est, num quid hoc potius, quam alio nomine compellare velimus, ut absurdus foret qui probationem requireret; ast arbitrii nostri non est, ut quædam simul eidem subjecto ineſſe, vel una cum aliis ineſſe possint. Utrumque igitur probandum.

§. 331.

Prima intellectus operatione repræsentantur ea, quæ rei cuidam insunt, tanquam inter se & a re, cui insunt, diversa. Prima mentis operatione plura in re una sigillatim repræsentantur (§. 331). Quare cum per se pateat, ea cum inter se, tum a re ipsa differre, quæ sigillatim repræsentari possunt; prima intellectus operatione ea, quæ rei cuidam insunt, tanquam inter se & a re, cui insunt, diversa repræsentantur. *Prima operationis intellectus limites.*

Si operationes intellectus accurate distinguere velimus; limites unicuique assignandi sunt, ne ad diversas operationes spectantia confundantur. Limites primæ operationi constituit propositio præsens, ultra quos non progreditur. Inde enim statim fit transitus ad secundam, ubi intellectus ulterius progredi voluerit: quemadmodum ex sequentibus patebit.

§. 332.

Facultas in uno multa distinguendi dicitur *Acumen. Quo plura igitur quis in objecto aliquo distinguere valet, eo acutior est altero*: ut adeo *Gradus acuminis dentur.* Etenim alios plura in objecto aliquo distinguere valere, alios pauciora, quotidie experimur. *Acuminis definitio.*

In acumine æstimando cognitio intuitiva a symbolica probe discernenda. Fieri enim potest, ut quis sit acutior altero, etsi pauciora enunciare possit, quam alter, ob defectum vocabulorum, vel ignorantiam eorundem. Sive enim adhuc desit vocabulum, sive idem ignoretur, fieri non potest, ut quod attentione in id conversa sigillatim percipimus enunciemus (§. 280). Ubi vocabulum adhuc deest ad rem quandam indigitandam; non omnes in novis excogitandis sunt audaces.

§. 333. *Gradus acuminis comparandi modus.*

Acumen successive exercitatione perficitur, seu, Gradus acuminis exercitatione comparantur. Acumen enim consistit in

in facultate multa in uno distinguendi (§. 332). Quare cum per primam intellectus operationem repræsententur ea, quæ rei cuidam insunt, tanquam inter se & a re, cui insunt, diversa (§. 331), adeoque a se invicem distinguantur in re percepta; id vero fiat, attentione nostra successive ad ea, quæ rei perceptæ insunt, directa (§. 326); non alio modo acumen comparatur, quam quo attentionem acquirimus, sine qua ipsum esse nequit *per demonstrata*. Enimvero attentionem ejusque diversos gradus exercitatione comparari constat (§. 248). Quamobrem acumen etiam exercitatione comparari debere apparet.

Patet idem a posteriori. Etenim unusquisque, modo ad seipsum attentus fuerit & pristinorum memoriam tenaciter servaverit, in seipso experietur, acumen suum successive incrementa capere, si in eo exercendo continui fuerimus. Domesticam hic allegare possum experientiam, qui, cum toties per tantum temporis intervallum eadem docuerim, in docendo autem spreto scripturæ subsidio, nec memoriæ implorato auxilio, attentionem omnem in ideas rerum lucidas aut earum vicaria repræsentamina convertam eandemque successive beneficio regularum methodi aliorumque principiorum psychologicorum atque artificiorum heuristicorum in ea dirigam, quæ in ideis istis continentur, satis superque successiva acuminis incrementa animadverti.

Ex iis, quæ pro acumine per exercitationem comparando in medium adduxi, intelligitur, præter attentionem plura adhuc in idem influere, quæ nonnisi exercitatione comparantur. Sed ea demum ex sequentibus patebunt & in philosophia morali excutientur, ubi de mediis acuminis comparandi acturi sumus.

§. 334.

Scala generum & abstractorum.

Genera superiora sunt magis abstracta inferioribus & datur quædam scala generum, adeoque & abstractorum, in qua continuo ad magis superiora, adeoque & magis abstracta, ascenditur. Species enim sunt similitudo entium singularium, sive individui-

dividuorum (*§.* 233 *Ontol.*), genera similitudo specierum (*§.* 234 *Ontol.*) & genera superiora similitudo inferiorum (*§. cit.*). Quare cum specierum & generum notiones formentur per abstractionem (*§.* 283); species ab individuis, genera a speciebus, genera superiora a proxime inferioribus continuo abstrahuntur. Species adeo primum, quod abstrahitur; genera abstrahuntur ab eo, quod abstractum fuit, adeoque magis abstracta sunt speciebus. Et eodem modo ostenditur, genera superiora esse continuo magis abstracta proxime inferioribus.

Quoniam itaque species sunt primum, quod abstrahitur, ideo abstractorum primam classem constituunt. Quia a speciebus abstrahuntur genera, hoc est, ab iis, quæ in prima abstractorum classe collocantur, adeoque abstracta sunt ab abstractis; cum modus abstrahendi differat a priori, qui speciebus convenit, peculiarem omnium abstractorum classem constituunt, adeoque secundam. Eodem modo patet, quæ abstrahuntur ab abstractis in secunda classe collocatis, constituere classem tertiam & ita porro, quousque progredi licet. Nascitur adeo quædam abstractorum scala, a qua ab individuis ascendimus ad abstracta & inde continuo a minus abstractis, ad magis abstracta, atque a generibus inferioribus ad superiora.

Hæc scala generum & abstractorum maximæ foret utilitatis, modo eam accuratam haberemus. *Aristoteles* hanc esse voluit scalam prædicamentorum. Facile autem apparet, quæ hic dicuntur, cum categoriis *Aristotelicis* conferenti, quanto eædem intervallo ab hac scala distent. Quodsi disciplinæ in universum omnes in systema veri nominis fuerint reductæ, ut notionum analysis magis redigatur in potestatem nostram; de scala hac condenda & successive magis magisque perficienda cogitare licebit. Neque enim res tam ardua levi opera perfici potest. Data autem hac scala magis in potestate erit ars illa characteristica combinatoria, de qua tam magnifica capite superiori demonstravimus. Patebit nimirum, quomodo per determinationes primitivas, quales sunt, quæ in philosophia prima sumuntur, prodeant derivativæ, & his continuo aliæ ulteriores: id quod perspectum atque cognitum in arte ista supponitur.

Digitized by Google

§. 335.

Gradus acuminis. Quoniam vi acuminis in uno multa distinguimus (§. 332), adeoque ad abstractiones eodem maxime opus habemus (§. 282); pro diversis gradibus in scala abstractorum variat acumen (§. 334); consequenter *Acumen admittit diversos gradus pro diversis gradibus abstractorum.*

Nimirum quo quis generaliora seu universaliora in re percepta perspicit, eo acutior est. Æstimationem vero recipiunt gradus acuminis ex scala abstractorum.

§. 336.

Acumen pervidendi abstracta in concretis. Acumen, quo perspicimus universalia, præsertim in scala generum seu abstractorum altiora, in singularibus, dicimus *Acumen pervidendi abstracta in concretis.*

Denominationi huic inest veritas, ita ut si termini simplices explicentur, quæ complexum ingrediuntur, prodeat notio termino complexo respondens. Singularibus enim universalia insunt, variis gradibus scalæ abstractorum respondentia, & concretum dicitur subjectum, cui illa inexistunt (§. 110 *Log.*). Qui vero illa ab hoc actu mentis separare novit, is abstracta, quæ concreto insunt, pervidet. Mentionem hujus acuminis injeci in philosophia prima (*not.* §. 450): in qua etiam (*not.* §. 490) monui, quo auxilio indigeat istud acumen & quantæ utilitatis sit in veritatibus arduis ac principiis fœcundissimis ex rebus maxime obviis eruendis. Quodsi philosophi hoc acumine usi fuissent, dudum certiora, fœcundiora & utiliora in disciplinis tradidissent. Utile inprimis hoc acumen est in philosophia ad sensum communem reducenda, de qua reductione jam alias diximus (*not.* §. 125).

§. 337.

Auxilium istius acuminis. Quoniam notiones ontologicæ, utpote enti in genere convenientes (§. 1 *Ontol.*), talia repræsentant, quæ entibus in universum omnibus communia sunt, adeoque in scala abstractorum suprema occupant loca (§. 334); *notiones ontologicæ dirigunt attentionem ad universalia, quæ rebus insunt, & alias attentioni nostræ sese facile subducerent,* consequenter *juvant acumen pervidendi abstracta in concretis.*

Mici-

Digitized by Google

Mirifice hæc propositio illustratur per ea, quæ de notionibus directricibus disserui in Horis subsecivis A. 1729 Trim. Vern. num. IV. Ibi enim potissimum ostendi, quomodo notiones ontologicæ vicem directricium subeant. Neque enim negandum est, alias quoque notiones generales esse directrices, cum in eas quadret harum definitio.

§. 338.

Quoniam etiam in aliis disciplinis traduntur notiones generales, quæ certis quibusdam entibus communia sunt, veluti in Physica, communia meteoris, metallis, vegetabilibus; in Moralibus virtuti omni tam intellectuali, quam morali, aut etiam omni intellectuali, morali omni; eodem, quo ante (§. 337) modo patet, *notiones generales in disciplinis dirigere attentionem ad universalia, quæ certis quibusdam singularibus*, veluti meteoris, metallis, vegetabilibus, aut virtuti cuidam tam intellectuali, quam morali, *insunt, & alias attentioni nostræ sese facile subducerent*, consequenter *notiones generales in omni disciplina juvant acumen pervidendi abstracta in concretis.* *Ulteriora auxilia.*

Dici non potest, quantum juvent notiones universales, quas disciplinæ fœcundas offerunt, acumen nostrum, de quo jam nobis sermo est, si sæpius ad singularia obvia applicentur. Hac enim applicatione opus est, quod omne acumen exercitatione perficiatur (§. 333). Neque vero existimandum est, quod beneficio illarum notionum tantummodo in singularibus perspiciamus, quæ in notione ista generali continentur: etenim acumen extenditur quoque ad alia universalia, quæ simul insunt, & attentionem nostram subterfugissent, nisi jam beneficio notionis generalis nobis perspectæ in singulari hoc quæsivissemus, quæ in eadem continentur. Immo ita successive augetur acumen, ut etiam absque istis notionibus ad universalia in singularibus istis nondum nobis animadversa perspiciamus.

§. 339.

Analysis notionum dicitur, qua notio rei resolvitur in notiones eorum, quæ ipsas ingrediuntur, & notiones horum singulæ denuo in alias simpliciores ac ita porro, quantum datur. *Analysis notionum.*

Digitized by Google

Quæ rebus insunt, vel insunt tanquam partes, ex quibus componuntur, vel insunt tanquam diversa, etiam in indivisibili. In priori casu partes majores continuo resolvuntur in minores; in posteriori discernuntur quantitates ac relationes diversæ, & in his denuo distinguntur, quæ tanquam diversa concepi possunt. In rebus corporeis, præsertim organicis, partes differunt qualitatibus, quantitate ac relationibus atque adeo posterior analysis cum priori conjungenda. Quodsi disciplinæ in universum omnes in systemata inter se connexa fuerint redacta; hæc analysis & clarior, & magis in potestate erit. Apparet hoc ex Logica Germanico idiomate edita, ubi exempla notionum adæquatarum, quales hac analysi prodeunt (§. 96 *Log.*), dare licuit provocando ad disciplinas ceteras eodem idiomate evulgatas ac ostendendo, quomodo ea, quæ ingrediuntur definitionem rei, definiantur in anterioribus, & quæ has definitiones ingrediuntur, denuo definiantur vel in anterioribus ejusdem disciplinæ, vel in disciplinis anterioribus.

§. 340.

Profunditatis intellectus definitio.

Profunditas intellectus dicitur facultas notiones distinctas in alias simpliciores continuo resolvendi, prouti scilicet analysis notionum requirit. Quamobrem *intellectus tanto profundior, quo longius in analysi notionum progredi quis potest.*

Apparet adeo, quod, si disciplinæ in systemata inter se connexa redigantur, eo ipso intellectus reddatur profundus. Vix enim aliquam ideam lucidam habemus profunditatis intellectus, nisi disciplinas systematice pertractatas excutere nobis datum fuerit. Ut adeo appareat necessitas pariter ac utilitas disciplinas in istiusmodi systemata redigendi. Et jam intelligere licet, cur omne nostrum tempus, quod ab aliis negotiis nobis vacat, in disciplinis mathematicis ac philosophicis in istiusmodi systemata compingendis collocemus. Neque enim exigui momenti censeri debet profunditas intellectus, quemadmodum in Moralibus luculentius ostendetur.

§. 341.

Gradus istius profunditatis quomodo æstimantur.

Gradus profunditatis intellectus æstimantur ex gradibus notionum adæquatarum. Intellectus enim tanto profundior est, quo longius in analysi notionum progredi potest (§. 340), consequenter quo longius notiones eorum, quæ notionem

Digitized by Google

nem rei cujusdam distinctam ingrediuntur, in alias simpliciores resolvere valet (§. 339), adeoque quo magis notiones insunt adæquatæ (§. 95 *Log.*). Quare cum prima resolutio notionis distinctæ in notiones distinctas notarum sit primus gradus notionis adæquatæ; secunda resolutio notionum distinctarum notarum, quæ datam notionem ingrediuntur, in notiones distinctas notarum, quæ illas ulterius ingrediuntur, constituat gradum secundum notionis adæquatæ & ita porro, donec perveniatur ad notiones irresolubiles (§. 96 *Log.*); primus quoque gradus profunditatis intellectus esse debet, qua is pertingit ad primum gradum notionis adæquatæ; secundus gradus profunditatis intellectus esse debet, qua is pertingit ad secundum gradum notionis adæquatæ & ita porro. Gradus igitur profunditatis intellectus æstimantur ex gradibus notionum adæquatarum.

Hinc luculentius apparet, quod intellectus profunditatem difficulter consequi, multo minus profunditatem æstimare liceat, nisi disciplinis in systemata inter se connexa redactis operam indefessam navaveris. Hinc sane Mathematici consequuntur profunditatem intellectus. Notandum tamen, quod in disciplinis pertractandis incipiamus a notionibus simplicioribus & continuo progrediamur ad alias, quas eædem ingrediuntur, consequenter contraria via ad notiones adæquatas perveniamus, quam qua in earum analysi procedere solemus. Ponamus e. gr. tibi esse tertium gradum profunditatis, habebis itaque notionem adæquatam tertii gradus. Dum eam tibi in disciplinis acquisivisti, a gradu tertio incipiens ad secundum & inde porro ad primum progressus es. Forsan consultius tibi videbitur, inverso ordine numerare gradus, ita ut primus gradus constituatur in resolutione notionum in irresolubiles, a quibus discendi initium fit in disciplinis. Enimvero duplex obstat ratio, quo minus id fiat. Etenim non in omni casu ad notiones irresolubiles perveniri potest, immo nec ad tales, quæ pro irresolubilibus haberi possunt, ut adeo ultimus quidam gradus in analysi constitui non possit, quem ordine inverso appellare liceat primum. Deinde analysis notionum incipit a notis, quæ datam aliquam notionem distinctam ingrediuntur, adeoque

Digitized by Google

que in analyſi hac primus omnino gradus notionis adæquatæ conſtituendus eſt in eo, quo notio noſtra incipit eſſe adæquata. Neque enim tum quæſtio eſt, quomodo ad hanc notionem pervenerimus.

§. 342.

Cognitionis ſymbolica in acumine ac profunditate partes.

Cognitione ſymbolica & acumen, & profunditas intellectus facilitatur atque extenditur. Acumine enim multa diſtinguimus in uno (§. 322) idemque diverſos gradus pro diverſitate graduum abſtractorum admittit (§. 335). Enimvero ſi qua ab alio abſtrahimus, adeoque & in uno diſtinguimus (§. 282), eaque vocabulis peculiaribus deſignamus, abſtractiones fiunt magis claræ ac diſtinctæ (§. 284.). Quamobrem ſi ea, quæ in re una acumine diſtinguimus, vocabulis peculiaribus deſignentur; multo facilius eadem a ſe invicem diſtinguere & abſtractiones continuare valemus. Acumen igitur uſu vocabulorum facilitatur atque extenditur. Enimvero ſymbolica eſt cognitio, qua verbis enunciantur, quæ in ideis continentur, atque ideo in iis a ſe invicem diſtinguuntur & continuo abſtrahuntur (§. 289). Symbolica igitur cognitione acumen intellectus facilitatur atque extenditur.

Profunditas intellectus eſt facultas notiones diſtinctas in alias ſimplices continuo reſolvendi (§. 340). Quamobrem profunditatem intellectus facilitant atque extendunt, quæ notiones diſtinctas juvant. Patet vero *per demonſtrata*, notiones uſu vocabulorum fieri magis diſtinctas. Quoniam itaque in cognitione ſymbolica verbis enunciamus, quæ in rebus contenta a ſe invicem diſtinguimus (§. 289); cognitione utique ſymbolica profunditas intellectus facilitatur atque extenditur.

Propoſitio præſens tum quoad acumen, tum quoad profunditatem a poſteriori quoque confirmatur, cum quilibet utrumque in ſe ipſo idem experiri poſſit, modo exemplum aliquod acuminis ac profunditatis ſymbolice expreſſum ſumat, atque ſingula eo ordine ſibi intuitive per ideas exhibere conetur,

quæ

Digitized by Google

quæ verbis in ſymbolica repræſentatione indigitantur. Quanta hic ſeſe offerat difficultas intelliget, etiamſi verba attentioni dirigendæ in eam partem, in quam verti debet, inſerviant. Quodſi ergo ponamus, nos omni prorſus deſtitui verborum vel aliorum ſignorum auxilio; haud difficulter perſpiciemus, quod nec acuminis, nec profunditatis eximium quendam gradum conſequi detur.

Atque ita apparet indiſpenſabilis vocabulorum ad perceptiones noſtras deſignandas & nexus indiſſolubilis inter cognitionem intuitivam & ſymbolicam neceſſitas. Etenim ſublato hoc nexu vix cavebis, ne vocabula ſint ſine mente ſoni, ubi ſymbolicæ cognitioni nimium tribuis, aut non multorum cognitionem acquires, ubi in intuitiva ſola hærere volueris. Idem confirmabunt operationes intellectus ceteræ. Quamobrem maximopere ſuadendum, immo urgendum eſt, ut & plurima in rebus diſtinguere atque univerſalia ab iisdem abſtrahere, & quæ diſtinguimus, quæ abſtrahimmus, ſingula ſuo proprio nomine efferre diſcamus. Ita demum præclarum acuminis ac profunditatis gradum a nobis acquiri experiemur.

§. 343.

Actus judicii affirmativi in cognitione intuitiva abſolvitur, ſi ea, quæ tanquam a re diverſa ſpectamus, porro tanquam eidem inexiſtentia vel ad ea quocunque modo pertinentia conſideremus. Iſtiusmodi actum intellectus dari, per exempla cuncti patet. Videmus ferrum ignitum & ignem, qui ipſi ineſt, tanquam ab eo diverſum ſpectamus, vel dum ferrum minime ignitum ſimul videmus, aut aliter viſum vi imaginationis nobis repræſentamus, vel etiam ignem alias viſum imaginatio præſentem ſiſtit (§. 117). Quodſi jam porro ignem tanquam ferro inexiſtentem in præſente ſtatu conſideremus; ferrum ignitum eſſe judicamus. Similiter ſi duo intuemur ſimul objecta juxta ſe invicem collocata & exceſſum longitudinis unius tanquam diverſum a longitudine communi ſpectamus, eandem tamen tanquam ad objectum unum ſpectans conſideramus; actus judicii in cognitione intuitiva abſolvitur, quando objectum

Actus judicii affirmativi in cognitione intuitiva.

ctum unum altero majus esse judicamus, seu quando affirmamus objectum unum esse altero majus. Nimirum non alia re hic opus est, quam ut ad nosmetipsos attendamus, dum judicamus, observaturi quid in mente contingat, dum vocabula, quibus judicium enunciamus, missa facimus, atque ea deinde comparemus cum illis, quæ de operatione prima intellectus dicta sunt, separaturi quæ ad hanc pertinent: ita enim relinquentur ad actum judicii spectantia, modo in discernendis iis, quæ in mente nostra contingunt, fueris satis acutus. Jam vero actum istum intellectus judicium appellamus, idemque affirmativum (§. 39. 204 *Log.*) atque adeo patet, actum judicii affirmativi in cognitione intuitiva absolvi, si rei tanquam inexistens vel alio quocunque modo ad idem spectans spectemus, quod ab eo tanquam diversum considerabamus.

Vidimus actum notionis terminari in eo, quod ea, quæ rei insunt, tanquam inter se & a re, cui insunt, diversa spectamus. Hunc igitur cum excipiat alter, quo eadem tanquam rei inexistentia, aut ad eam quomodocunque spectantia consideramus, in quo judicium consistit vi propositionis præsentis: ubi notio aut, si mavis, simplex rei apprehensio desinit, ibi judicium incipit. Simplex adeo eorum, quæ rei insunt, vel ad eandem pertinent atque ipsius rei apprehensio est veluti transitus a notione ad judicium: suppono enim rem simpliciter apprehendi, quatenus attentionem tuam in ea defigis. Enimvero ut intelligatur, quid sit considerare aliquid tanquam inexistens vel alio quocunque modo spectans ad alterum, non inconsultum videtur idem clarius explicari, quemadmodum ex superioribus constat, quomodo actu mentis aliquid a re separamus, dum idem tanquam ab ea diversum spectamus (§. 326. 327).

§. 344.

Quando quid ut alteri inexistens vel ad idem spectans consideretur.

Considerare aliquid tanquam alteri inexistens, sive alio modo ad idem spectans idem est ac attentionem suam in inexistentia, aut relatione ejus, quod a re diversum est, ad eandem defigere.

Neque enim rem aliter considerare licet, nisi quatenus attentio nostra circa eandem versatur, ut ejus nobis magis simus conscii, quam aliorum, quæ simul percipiuntur. Unde consideremus aliquid tanquam alteri

Digitized by Google

alteri inexistens, quatenus efficimus ut hujus inexistentiæ nunc magis nobis simus conscii, quam aliorum, sc. ut nobis conscii simus nos inexistentiam jam percipere, non vero æque conscii simus, quod alia præterea percipiamus.

§. 345.

Si prædicatum subjecto simpliciter repugnet, actus judicii negativi absolvitur, si subjectum tibi repræsentes, cui idem repugnat, & subjectum aliud, cui idem ineſt, ac id quod alteri ineſt, conſideres tanquam ab eo diverſum, idemque referens ad prius conſideres tanquam eidem non inexiſtens, ſeu tanquam id, quo differt ſubjectum ab altero. Talem actum intellectus esse possibilem, nemo non quovis momento in seipso experiri potest: quod vero idem is sit, quem judicii negativi nomine compellamus, ita ostenditur. Scilicet in judicio negativo præsentis casus notionem prædicati, quæ subjecto repugnat *per hypoth.* adeoque eidem inesse nequit (§. 310 *Log.*), a notione subjecti separamus. Jam cum notionem subjecti nobis intuitive repræsentare nequeamus, nisi quatenus ad eam pertinentia actu mentis separamus ab idea ejus, aut, si judicium determinatum non est, quatenus ideam subjecti intuemur; subjectum utique nobis sive sensu, sive vi imaginationis repræsentare atq; in idea ejus attentionem nostram defigere tenemur. Similiter quia prædicatum, quod ab eodem removendum, intuitive nobis exhibere nequimus, nisi quatenus ideam alicujus individui, cui inexistit, intuemur & in ea attentionem dirigimus ad id, quod eidem inexistit (§. 327); subjectum quoque nobis repræsentare tenemur, in quo prædicatum istud inest, & attentione in idem directa idem nobis repræsentare debemus tanquam a re, cui inest, diversum (§. 331). Quodsi igitur jam idem refers ad subjectum alterum ipsumque consideres tanquam eidem non inexistens; actu mentis quasi idem separas ab eodem. Atque ita fecisti, quod ad judicium negativum sufficit *per demonstrata*. Actus igitur judicii negativi in cognitione intuitiva hisce absolvitur. *Actus judicii negativi in cognitione symbolica.*

Digitized by Google

Quodſi a poſteriori idem cognoſcere volueris, eodem modo procedendum eſt, quo paulo ante in notitiam actuum ad judicium affirmativum requiſitorum in cognitione intuitiva pervenimus (§. 343). Nimirum ſumendum eſt exemplum propoſitionis negativæ atque vocabulis, quibus effertur, remotis attendendum, quid in ideis remaneat iisdem reſpondens. E. gr. Si judicium negativum fuerit ſequens, quod charta non ſit ferrea, & miſſo vocabulo chartæ aliquid in ideis remanere debet, folium chartæ tibi repræſentare atque in hoc phantaſma attentionem dirigere debes. Jam ſi miſſo vocabulo, quo prædicatum denotatur, nempe ferri, in ideis aliquid remanere debet, laminam quandam ferream tibi repræſentare atque in hoc phantaſma non minus attentionem tuam dirigere debes, quam in prius; & quidem in eodem in ſpecie in ea, quæ ad ferrum ſpectant, ut te jam ferrum percipere tibi ſis conſcius. Quodſi denique judicare debes, chartam non eſſe ferream, utrumque phantaſma inter ſe conferre atque attentionem tuam in non exiſtentiam ferri in charta dirigere teneris; alias enim in ſimplici apprehenſione chartæ ac ferri quieſcis. Patet itaque actum judicii negativi eo modo abſolvi, quem in propoſitione determinavimus.

Actus judicii negativi in cognitione intuitiva difficilior eſt actu judicii affirmativi. Etenim in caſu poſteriori id, quod ſubjecto tribuendum, in ipſo ſubjecto percipitur, aut ſaltem mediante eo, quod in alio ſimul percepto percipitur, veluti ſi effectus quidam ſubjecto tanquam cauſæ tribuendus: ſed in caſu priori id, quod ut non exiſtens alteri conſiderandum venit, tanquam inexiſtens ipſi conſiderari debet, ut adeo actus judicii negativi ſupponat actum affirmativi, immo ipſum complectatur. Quamobrem ſi quis ea, quæ de cognitione intuitiva dicuntur, in ſe experiri voluerit; is primum experimenta capere debet de actu judicii affirmativi & ubi hic rem bene ac ex voto ſuccedere experitur ad experimenta de actu judicii negativi capienda progredi tenetur. Cognitioni nimirum ſymbolicæ adſueti difficulter absque vocabulorum uſu judicant, immo cum difficile ſit judicium in cognitione intuitiva ſola,

Digitized by Google

sola, antequam sermonis usu pollent homines, de rebus sibi obviis vix ac ne vix quidem judicant.

§. 346.

Si prædicatum subjecto simpliciter non repugnet, actus judicii negativi absolvitur, si subjectum cui idem non ineſt, in oppositis casibus tibi repræsentes, in quorum uno prædicatum eidem ineſt, in altero non ineſt, ac id, quod uni ineſt, consideres tanquam diversum ab eo, idemque referens ad prius considerestanquam eidem non inexistens, seu tanquam id, quo subjectum unum differt ab altero. Quodsi propositionem præsentem cum altera præcedente conferas, differentiam aliam non intercedere animadvertes, nisi quod hic idem subjectum in idea bis ponatur, cum in casu anteriori ponantur duo subjecta diversa. Quamobrem quæ ad probandam propositionem præcedentem in medium adducta sunt, etiam ad præsentem transferri possunt ac debent, ut adeo non opus sit ea denuo huc transcribi.

Actus judicii negativi in cognitione intuitiva casus posterior.

Quodsi a posteriori idem cognoscere volueris, eodem prorsus modo procedendum est, quo in casu anteriori procedendum esse docuimus, hac sola differentia adhibita, quam intercedere inter propositionum casus modo annotavimus. E. gr. Si judicium negativum fuerit sequens, quod charta non sit alba, folium chartæ albæ & folia chartæ non albæ, sed diversis coloribus tincta tibi repræsentare, atque tum in colorem album, tum in colores ab albo diversos attentionem dirigere debes, eo prorsus modo, quem ad propositionem præcedentem præcepimus. Quoniam vero folia chartæ diversis coloribus tincta tibi tantummodo ideo repræsentas, quod charta, quæ non alba est, diversis aliis, coloribus, non uno tincta esse possit, in præsenti casu autem perinde est, quo colore tincta sint; attentionem tuam pro arbitrio in aliquod folium alio, quam albo colore tinctum convertere atque id ad album referre debes, ut in non inexistentiam coloris albi tandem attentionem tuam dirigere valeas,

Digitized by Google

quemadmodum præcepimus ante. Nimirum si actus judicii negativi in hoc casu plenus esse debet, ubi diversi status subjecti uni, qui de eodem negatur, opponi possunt, hujus quoque oppositionis tibi conscius esse debes. Alias enim notio, quæ judicio negativo respondet, defectu aliquo laborabit, cum modus inexistentiæ negligatur.

Equidem vulgo in judiciis non attenditur modus prædicandi, hoc est, utrum prædicatum sit necessarium, an contingens, ita ut ideo Scholastici propositiones modales a ceteris distinxerint, atque ideo superfluum videri poterat, in eo casu, ubi judicium negativum contingens est, contingentis quoque modi prædicandi rationem haberi. Quoniam tamen actus judicii plenus nobis explicandus est, ejus ratio a nobis utique habenda venit, sit ita in judiciis imperfectis, ubi modus latet, quidpiam omitti posse. Præterea notandum est, quod, ubi mens ideis ad modum prædicandi cognoscendum sufficientibus fuerit instructa, cum non album sibi repræsentaturus nullam habeat rationem, cur idem sibi potius hoc colore, quam alio tinctum objectum repræsentare debeat, nisi forsan accidentalem, objecta ejusdem speciei pluribus diversis coloribus tincta occurrere possint (§. 117), ut adeo multitudinis mentionem injici oportuerit, ne in capiendis experimentis turbemur. Atque ita apparet, si vel maxime ad modum prædicandi non attendamus, hoc tamen non obstante propositionem præsentem ita explicari debuisse, ut in omni casu explicet, quid in judicio intuitivo obtineat. In judicio affirmativo hac sollicitudine opus non est, cum subjecto prædicatum in omni casu actu insit, quod eidem tribuitur, sive constanter insit, sive contingenter, ut adeo judicium modale distinguatur a non modali, quamdiu determinatum non est, ut scilicet notio subjecti non contineat singulas determinationes, quibus positis ponitur prædicatum.

§. 347.

Alius modus exprimendi judicium negativum contingens.

Quodsi prædicatum, quod de subjecto negatur, subjecto quoque alterius speciei inesse possit; actus judicii negativi, in eo casu, quo prædicatum subjecto simpliciter non repugnat, eodem modo absolvi potest, quo absolvitur in casu prædicati subjecto simpliciter repugnantis (§. 345). Nimirum in hoc casu perinde

ac

Digitized by Google

ac in superiori, in quo prædicatum subjecto simpliciter repugnat, prædicatum, quod in dato casu non inesse sumitur, inest rei alterius cujusdam speciei, nisi quod in casu simplicis repugnantiæ necessario insit subjecto diversæ speciei, in præsenti autem etiam inesse possit subjecto ejusdem speciei. Quoniam autem hæc differentia in actu judicii negativi, quatenus in cognitione intuitiva terminatur, non attendenda venit; judicium negativum in præsenti casu eodem utique modo absolvi potest, quo in casu simplicis repugnantiæ necessario absolvitur (*§.* 345).

Nimirum differentia inter utrumque casum intercedens in actu judicii negativi eodem modo absolvendi non aliam differentiam parit, quam quod in uno modus iste sit necessarius, in altero etiam alius esse possit. Ceterum exemplum propositionem præsentem illustrans idem esse potest, quo in propositione præcedente usi sumus. Ponamus nimirum judicium negativum, quod in cognitione intuitiva sola terminandum, esse sequens: charta non est alba. Quodsi candelam ceream albam tibi in memoriam revocaveris & chartæ folium quocunque colore tinctum, actus judicii negativi eodem prorsus modo absolvetur, quo supra docuimus, eundem absolvi, ubi judicandum, chartam non esse ferream (§. 345).

§. 348.

Judicium determinatum in cognitione intuitiva.

Si judicium fuerit determinatum, in idea subjecti contineri debent omnes determinationes, quibus prædicatum determinatur, & in eas simul attentio dirigenda, ubi actus judicii in cognitione intuitiva terminari debet. Etenim si judicium fuerit determinatum, subjectum repræsentari debet sub ea notione, ut in ea contineatur ratio, cur eidem conveniat prædicatum, seu id, per quod determinatur prædicatum (§. 320 *Log.*). Quare eum determinationes istæ vel in subjecto, vel extra subjectum contineri debeant; subjectum exhiberi debet ita, ut eidem insit in casu primo, quod inesse præsupponitur, antequam prædicatum eidem convenit, vel una cum eodem exhibendæ sunt res ceteræ, in quibus determinationes istæ continentur.

Digitized by Google

nentur. Quoniam vero ea, quæ ad notionem ſubjecti ſpectant, mentis actu a ceteris ſeparanda veniunt, idem autem contingit attentione noſtra in eadem directa (§. 326. 327); in determinationes omnes notionem ſubjecti ingredientes attentionem ſimul dirigere tenemur. Quoniam vero judicium determinatum a vago non differt, niſi quod in iſto notio ſubjecti contineat omne id, per quod prædicatum determinatur; in hoc minime; ubi actus judicii ea continet, quæ ad notionem ſubjecti ſpectant, cetera eadem ſunt ut in omni judicio reliquo.

E. gr. Ponamus judicium determinatum, quod lapis ex alto cadens celeriter moveatur, in ſola cognitione intuitiva terminari debere. Neceſſe igitur eſt, ut tibi repræſentes turrim aliquam & lapidem ex feneſtra ſuperiori demiſſum. Quoniam hic tantummodo altitudinis habetur ratio; in eam quoque ſimul dirigenda eſt attentio, dum eandem in lapide ac motu ejus defigis. Cetera eodem modo fiunt, quem ſupra expoſuimus (§. 343). Poteris quoque tibi loco turris repræſentare puteum profundum & lapidem intra eum cadentem, ubi in profunditatem dirigenda eſt attentio, quæ reſpectu lapidis cadentis altitudo dicitur.

§. 340.

Actus judicii affirmativi contingentis in cognitione intuitiva.

Quodſi judicium affirmativum contingens exprimere debet modum, quo prædicatum ineſt; in idea eidem reſpondente ſubjectum bis repræſentari debet, ita ut prædicatum in uno caſu inſit, in altero non inſit, & attentio dirigenda tum in exiſtentiam in uno, tum in non-inexiſtentiam in altero. Etenim ſi attentionem dirigis, in inexiſtentiam prædicati in ſubjecto, hoc ipſo tibi conſcius es ſubjecto huic convenire hoc prædicatum. Si vero attentionem dirigis in non inexiſtentiam prædicati in altero ſubjecto ejusdem ſpeciei, hoc ipſo tibi conſcius es, ſubjecto hujus ſpeciei etiam non convenire prædicatum. Quare ſi attentionem in utramque ſimul dirigis, hoc ipſo tibi conſcius es prædicatum hoc ſubjecto illius ſpeciei & convenire poſſe, & non convenire poſſe (§. 235. 237). Atque adeo tibi conſcius, quod prædicatum ſubjecto contingenter inſit (§. 296 *Ontol.*).

E. gr.

Digitized by Google

E. gr. Judicium affirmativum contingens est, quod charta sit rubra. Si in cognitione intuitiva terminari debet; repræsentare tibi debes folium chartæ rubræ & folium chartæ albæ, atque attentionem tuam dirigere in inexistentiam rubedinis in uno & inexistentiam albedinis in altero simul. Ita tibi conscius eris non minus albedinem, quam rubedinem inexistere posse, consequenter albedinem non necessario, sed contingenter inesse. Qui novit, quomodo abstracta intuitive cognoscamus (§. 327); ei nulla in his supererit difficultas. Enimvero si qui fuerint, qui abstracta in imaginibus intueri nequeunt, ubi a vocabulis, quibus denotantur, separantur; illi desiderari quid existimabunt, ubi nihil desideratur. Sane notio contingentiæ in cognitione intuitiva non continetur, nisi quatenus nunc esse quod alio tempore non erat, aut in diversis locis simul eodem tempore esse opposita nobis conscii sumus.

§. 350.

In cognitione symbolica secunda mentis operatio absolvitur recensione vocabulorum, quibus subjectum & ceteræ ejusdem determinationes accidentales, si quæ adsunt, prædicatum & nexus ejusdem cum subjecto in affirmativis, repugnantia in negativis exprimuntur. Etenim in cognitione symbolica verbis tantummodo enunciamus; quæ in ideis continentur, res vero ipsas verbis indigitatas non intuemur (§. 289). Quare cum in cognitione intuitiva actus judicii, seu secunda mentis operatio (§. 53 *Log.*), absolvatur, si prædicatum tanquam a subjecto diversum, mox tamen iterum idem tanquam eidem inexistens, aut non inexistens spectamus (§. 343. 345 & *seqq.*), in judicio autem determinato contingente simul attentionem dirigimus in determinationes accidentales, a quibus prædicatum pendet (§. 348); in cognitione symbolica secunda mentis operatio absolvitur, si vocabulis enunciemus subjectum, determinationes ejus accidentales, si quæ adsunt, prædicatum & nexum hujus cum subjecto in affirmativis, repugnantiam cum eodem in negativis. *Secunda mentis operatio in cognitione symbolica.*

Exemplis idem fit manifestum. Etenim judicium affirmativum, quod his verbis exprimitur, *charta est alba*, aperte loquitur, vocabulo

charta indigitari ſubjectum, cui albedo ineſt; vocabulo *alba* indigitari albedinem tanquam ſubjecto inhærentem & vocula *eſt* tandem indicari nexum albedinis & chartæ nunc actu præſentem, ſeu actualem inexiſtentiam albedinis tanquam prædicati in charta tanquam ſubjecto. Quicquid igitur eſt in idea rei ad judicium ſpectans, id vocabulis exprimitur. Recenſentur nimirum vocabula, quibus indicatur & ſubjectum, & prædicatum cum inexiſtentia poſſibili, & nexus tandem prædicati cum ſubjecto ſeu inexiſtentia actualis. Similiter judicium affirmativum, quod his verbis effertur, *lapis ex alto delapſus celeriter movetur* non minus aperte loquitur, vocabulo *lapis* indigitari ſubjectum, vocabulis *ex alto delapſus* determinationes accidentales eidem jungendas, vocabulis denique *celeriter movetur* prædicatum & ſimul nexum ejusdem cum ſubjecto, quatenus nimirum *celeriter movetur* idem ſignificat ac *eſt celeriter motus*, ſeu *eſt in motu celeri conſtitutus*, quia copula *eſt* latet in flexione verbi *moveri*. Exprimitur autem vocabulis duobus prædicatum, quia eidem reſpondet notio complexa, nimirum non ſimplex motus notio, ſed gradus etiam celeritatis eidem convenientis. Jam vero in hoc judicio non attendenda veniunt niſi ſubjectum, determinationes accidentales, harum actualitas, ſeu nexus cum ſubjecto, prædicatum cum ſua determinatione, & hujus cum ſubjecto nexus. Recenſentur igitur verba, quæ ſingulis indigitandis ſufficiunt, modo notaveris, quæ flexionibus vocabulorum in Grammatica explicatis indigitantur. Idem denique non minus manifeſtum eſt in judicio negativo, quod hiſce verbis exprimitur: *Charta non eſt alba*. Etenim vocabulo *charta* indigitatur ſubjectum, vocabulo *alba* prædicatum cum poſſibilitate inexiſtendi in aliquo ſubjecto, vocula *eſt* nexus ſeu actualitas inexiſtentiæ prædicati in ſubjecto & vocula denique *non* repugnantia inter prædicatum & ſubjectum. Vides igitur in cognitione ſymbolica exprimi judicium negativum, quatenus recenſentur vocabula, quibus ſubjectum & prædicatum ac utriusque repugnantia exprimitur.

§. 351.

Prærogativa cognitionis ſymbolicæ in ſecunda mentis operatione.

Si judicia vocabulis efferuntur, magis diſtincta ſiunt, ſeu in cognitione ſymbolica judicia magis diſtincta ſunt, quam in intuitiva. Etenim ſi judicia vocabulis efferuntur, ſubjectum, prædicatum, ſingulæ determinationes ſubjecti, ſi quæ præterea acci-

accidentales adsunt, nexusque prædicati cum subjecto in affirmativis, & repugnantia in negativis vocabulis peculiaribus exprimuntur (*§.* 350), consequenter quæ in notione judicio respondente sigillatim enunciabilia insunt, sigillatim quoque enunciantur (*§.* 280), cum in judiciis intuitivis, quæ simul & una cum aliis peregrinis seu ad notionem judicio respondentem non pertinentibus percipiuntur, nonnisi a peregrinis atque a se invicem separentur, quatenus memoriam habemus attentionis in singula sigillatim directæ (*§.* 345 *& seqq.*). Cum adeo in priori casu ad notionem propositioni respondentem spectantia & sigillatim enunciabilia facilius distinguamus, quam in posteriori cognitione intuitiva; si judicia vocabulis efferuntur, magis distincta fiunt (*§.* 38), consequenter in cognitione symbolica judicia magis distincta sunt, quam in intuitiva (*§.* 289).

Quæ de secunda mentis operatione tam in cognitione intuitiva, quam symbolica diximus, non exiguam habent utilitatem in judiciis perpendendis, ut rite intelligantur, & in propositionibus accurate explicandis: ut adeo inprimis animum ad ea attentum afferre debeat, qui Scripturam sacram aliis interpretantur. Excitatur attentio nostra & mens efficitur acutior: id quod ex propositionum antea allatarum (*not.* §. 350) exemplis apparet. Enimvero propter summam rei utilitatem non piget uno vel altero adhuc exemplo docere, quomodo judicia sint expendenda, ut nihil eorum prætermittatur, quod in propositione significativum occurrit. Sit igitur exempli loco propositio: *Folium est viride.* Subjectum denotatur vocabulo *folium*, quod ut intelligatur, folii idea in animo excitanda, vel vi sensus, quatenus idem actu visui objicitur, vel vi imaginationis, quatenus olim visi recordamur. Prædicatum indigitatur vocabulo *viride*: quod cum adjectivum sit denotat colorem viridem cum possibilitate inexistendi. Quare ne sit sine mente sonus, idea coloris viridis excitanda eodem, quo ante, modo, quatenus nempe tibi repræsentas subjectum aliquod hoc colore tinctum & attentione in hunc colorem directa eum a subjecto suo separare debes. Enimvero quia adjectivum simul denotat possibilitatem inexistendi in aliquo subjecto; non modo attentio dirigenda est in inexistentiam in hoc subjecto, verum etiam in non inexistentiam in alio subjecto. De-

Digitized by Google

nique nexus prædicati cum ſubjecto denotatur vocula *eſt*, adeoque attentio quoque dirigenda eſt in inexiſtentiam albedinis in lilio. Nimirum ita intelligitur judicium, ubi in notionibus confuſis acquieſcis. Quodſi vero notiones deſideres diſtinctas, ideis ſubſtituendæ ſunt definitiones aut, ſi mavis, cum iisdem conjungendæ, quoniam definitiones absque iis non intelliguntur, niſi quatenus memineris, te olim vel alias cum iisdem ideas conjunxiſſe. Sit exempli loco porro dictum Salvatoris Luc. VI. 45. *Bonus homo de bono theſauro cordis profert bonum.* Subjectum hic denotatur duobus vocabulis *bonus homo*, quibus notio complexa reſpondet. Nimirum hominem hic conſiderare debes cum bonitate eidem inhærente. Atque adeo quæritur, quidnam hic bonitatis nomine denoretur. Ejus itaque definitio ſubjecto explicando inſervit. Porro prædicatum denotatur vocabulis *proferre bonum de bono theſauro cordis ſui*, cui denuo notio complexa reſpondet. Nimirum hic denuo quæritur, quid ſit bonum & quomodo illud proferatur, quid cordis nomine veniat & quid theſaurus ejus dicatur & quo denique ſenſu theſaurus iſte bonus appelletur. Per flexionem denique verbi indicatur nexus inter prædicatum atque ſubjectum, quod cum ſit præſentis temporis; hujus quoque habenda ratio eſt. Quodſi diſtincte nexum intelligere volueris, ex notione boni hominis reddenda ratio eſt, cur is proferat bonum de bono theſauro cordis ſui. Quoniam vero verba ſine ideis, ad quas referuntur, ſunt ſine mente ſonus; ubi in explicatione propoſitionis claritas deſideratur, ſingulis his per definitiones explicandis ſuæ quoque jungendæ ſunt ideæ. Unde campus dicendi ampliſſimus naſcitur interpreti, etſi non dicat, quod a ſcopo alienum ſit. Quamdiu vel unam ignoraveris definitionem ipſique reſpondentem ideam; impoſſibile eſt, ut alteri explices verborum iſtorum ſenſum. Neque enim vocabula, ſi unum *homo* exceperis, ex eorum numero ſunt, quæ per ideas confuſas alteri intelligibilia redduntur. Etſi igitur hæc pervulgata ſint, ut talia moneri ſuperfluum videatur; conſtat tamen longe plurimos eſſe, qui non capiunt, quænam ad propoſitionem aliquam intelligendam requiruntur, & quomodo alter, qui eam non intelligit, perducatur ad cognitionem intuitivam propoſitione iſta ſymbolice expreſſam. Inde eſt, quod audias interpretes ſæpiſſime talia proferre, quæ rei potius confundendæ, quam intelligendæ inſerviunt. Qui ad ea attenderit, quæ hic inculcantur, is in poſterum ſibi cavebit, ne memoriæ mandet vocabula, quæ intelligere ſibi videtur, quod uſus familiaria eadem reddidit, etſi nullam propoſitioni integræ jungere poſſit

no-

Digitized by Google

notionem, neque ideam, unde illam abstrahere licet, aut saltem non jungat notionem ex intentione loquentis eidem respondentem. Idem etiam doceri potest exemplis judiciorum negativorum, ubi non alia intercedit differentia, nisi quod vocula negandi *non* prædicatum a subjecto rem oveatur.

§. 352.

In cognitione symbolica notio complexa, qua judicio respondet, & judicium clarissime differunt. Nam si judicium exprimitur his verbis: charta est alba; notio complexa exprimitur istis: charta alba. Vel si judicium enunciatur hoc modo: Ferrum candet; notio complexa eidem respondens indigitatur vocabulis: ferrum candens. Nimirum in judicii expressione indigitatur quoque nexus prædicati cum subjecto; in posteriori nexus iste figillatim non exprimitur. *Differentia notionis complexa judicio.*

In cognitione symbolica propositio facillime convertitur in terminum complexum, consequenter cum termino complexo notio complexa (§. 108 *Log.*), propositioni judicium respondeat (§. 41 *Log.*); hac conversione innotescit, qualis idea in animo suscitanda, ut cognitio symbolica in intuitivam vertatur. Nimirum excitanda est idea rei, in qua insunt ea, quæ notionem subjecti ingrediuntur, una cum prædicato. E. gr. Si dicatur, lilia sunt alba, terminus complexus est, lilia alba. Excitanda igitur idea, quæ lilia alba veluti oculis spectanda exhibet, ac in hoc phantasma dirigenda attentio, ubi judicii actum exercere volueris modo supra præscripto. Nil obstat, quod in hac idea occurrant multa ad notionem complexam minime spectantia: sufficit enim adesse, quæ ad eam spectant, ut actu mentis & terminorum seu vocabulorum auxilio separari possint, ubi propositionem intelligere volueris, cognitionem intuitivam cum symbolica jungendo.

§. 353.

Quoniam cognitio symbolica judicia distincta reddit (§. 351); *in judicando symbolicam cognitionem intuitivæ præferre solemus*, ac ideo *dum judicamus, nobismetipsis tacite loquimur.* *Cur in judicando cognitio symbolica intuitiva præferatur.*

Factum experientia constat: ratio redditur in propositione. Pauci sane sunt, qui actus judicii absque vocabulorum, vel aliorum signorum usu absolvere valent, in sola cognitione intuitiva acquiescentes, quemadmodum ante docuimus (§. 345 *& seqq.*). *Tacite* autem *nobismetipsis* loqui-

loquimur, dum vocabulorum ideas in nobis excitamus, perinde ac si eadem auditu perciperentur: quod ubi fit, vocabula mentem quoque subire dicuntur.

§. 354.

Ratio cur individuis obviis tribuamus nomina generis vel speciei.

Si rei perceptæ sive sensu, sive vi imaginationis nomen generis vel speciei tribuimus; rei huic competere notionem generis vel speciei judicamus & memoria nobis suggerit generi vel speciei huic convenire hoc nomen. E. gr. Ponamus te dicentem: *Hoc ens, quod nunc video, est columba:* Dico, te judicare, enti, quod nunc vides, ea convenire, quæ ad speciem entium columbæ nomine denotatorum requiruntur & vi imaginationis te meminisse significatus vocabuli (§. 273), consequenter tibi conscium esse, quod enti istiusmodi quale vides, tributum sit hoc nomen (§. 226), atque judicare enti istiusmodi convenire hoc nomen; ac ideo tandem dicere: hoc ens, quod vides, esse columbam. Nimirum dico, te intuentem columbam judicare, quod sit ens istiusmodi; memoriam tibi suggerere, quod enti istiusmodi tribuatur nomen columbæ; tandem te judicantem erumpere in hæc verba: Hoc ens, quod jam video, est columba. Quoniam enim nihil est sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit (§. 70 *Ontol.*); ratio quoque sufficiens dari debet, cur videns columbam judicet, quod sit columba & judicium suum ita enunciet. Hoc ens, sc. quod video, est columba. Ponamus itaque te columbam sive sensu, sive vi imaginationis percipere ac in simplici apprehensione acquiescere, non vero judicare, quod ens hoc sit istiusmodi; nulla sane erit ratio, cur mentem subeat, quod antea cognoveras, enti istiusmodi, ex communi nempe loquentium usu, tribui nomen columbæ (§. 273), neque amplius erit ratio, cur subinde videns columbam non judices, quod sit columba; subinde autem judices, quod sit. Admittendum itaque est, te nomen generis, vel speciei, v. gr. in casu dato nomen columbæ individuo tribuentem, judicare, quod sit ens istiusmodi. Nimirum si columbam intueris, & in simplici ap-

Digitized by Google

apprehensione acquiescis, nulla adest ratio, cur nomen columbæ mentem tuam subire debeat; in casu vero altero, ubi judicas, quod sit ens istiusmodi, hoc est, individuum ad aliquod genus, vel aliquam speciem referendum, adest ratio sufficiens, cur nomen istud in mentem venire debeat (§. *cit.*): ergo in casu posteriori venit in mentem nomen columbæ, in priori minime. Atque adeo apparet, ad rationem sufficientem, cur columbæ visæ tribuas hoc nomen, referri debere judicium, quod sit ens istiusmodi. Ponamus jam porro, tibi nondum innotuisse, quod ens istiusmodi ex communi loquentium usu dicatur columba: nulla denuo erit ratio, cur tibi in mentem venire debeat, quod ens istiusmodi dicatur columba (§. 273). Per se autem patet, nisi in mentem veniat, ens istiusmodi esse columbam; nec te judicare, quod ens a te jam visum sit columba. Quodsi ergo intelligere volueris, cur videns columbam judices, quod sit columba; necesse est ut supponas, quod judices, ens, quod vides, esse istiusmodi, & tibi in mentem veniat, ens istiusmodi esse columbam. Ratio igitur sufficiens, cur judicas, ens hoc, quod vides, esse columbam, in eo continetur, quod eam intuens judices esse ens istiusmodi & memoria tibi suggerat, ens istiusmodi esse columbam (§. 56 *Ontol.*). Quare cum ratio sufficiens ponenda sit judicii, ut judicio locus esse possit (§. 118 *Ontol.*); si videns columbam judicare debes, ens hoc, quod vides, esse columbam, & columbam intuens judicare debes, quod sit ens istiusmodi, & in memoriam tibi venire debet, quod ens istiusmodi dicatur columba.

Demonstrationem propositionis præsentis ad exemplum obvium idemque facillimum applicare libuit, ut facilius intelligeretur. Absit autem, ut quis ideo hasce subtilitates metaphysicas tanquam res nullius momenti contemnat: in re enim obvia profunda quædam latet sublimitas, quæ ad arcana mentis recludenda plurimum facit. Suo sane tempore, quando praxin morum tradituri sumus, usus hic elucescet. Hic notes velim, hactenus rationes eorum, quæ in mente humana contingunt ignorari, quod ad obvia attendere noluerint philosophi. Equidem

dem si communem morem sequi voluissemus, ex principiis hisce ardua magis deducere licuisset, quæ iis suppressis in medium prolata magis excitassent attentionem illorum, qui ad pompam philosophantur; sed nobis jam propositum est ostendere, quomodo a levibus initiis incrementa sumant scientiæ.

§. 355.

Idem alterius expenditur.

Si rei, quam sensu vel vi imaginationis percipis, notionem generis vel speciei convenire judicas, & jam antea didicisti nomen eidem generi vel speciei conveniens: eidem quoque rei hujus generis, vel speciei nomen tribues. Etenim quia rei, quam sensu vel imaginationis vi percipis, notionem generis vel speciei convenire judicas & jam antea didicisti generi vel speciei convenire nomen istud *per hypoth.* tibi succurrere debet, quod generi, vel speciei huic, aut potius individuo ad hoc genus, vel speciem hanc spectanti conveniat hoc nomen (§. 273). Ponitur adeo ratio sufficiens, cur id nominis individuo, quod intueris, tribuas (§. 56 *Ontol.*), consequenter eidem quoque nomen hoc tribuere debes (§. 118 *Ontol.*).

Propositio hæc est inversa prioris, adeoque eodem exemplo illustrari potest, ad quod demonstrationem propositionis præcedentis applicavimus. Ceterum si attente consideres, quæ in duabus hisce propositionibus & earum demonstrationibus continentur; diversos status mentis, qui in contemplatione alicujus objecti occurrere possunt, facile a se invicem distingues. Etenim si objectum aliquod percipis, aut attentionem tuam in eodem defigis, aut non defigis. In casu priori aut judicas de eo, quod hæc eidem insint; aut non judicas. Quodsi judicas, quæ eidem insint; aut nomen rei, cui talia insunt, tibi perspectum est, aut non perspectum est. Si objectum percipis, nec attentionem in ea defigis; idea ejus iterum evanescit, nec alias ex se genitas in mente relinquit, neque etiam nomen rei succurrit; etsi hoc tibi fuerit perspectum. Quodsi vero judicas, quod ea ipsi insint, quæ ad genus, vel speciem constituendum requiruntur, & nomen generis, vel speciei non fuerit perspectum; nec in hoc casu nomen ipsi tribuendum succurrit. Quodsi denique judicas, quod insint generis, vel speciei requisita, hoc est, in similitudinem cum aliis individuis attentionem tuam convertis, ac nomen in-

Digitized by Google

individuo ad iſtud genus, vel iſtam ſpeciem referendo tribuendum perſpectum fuerit; nomen quoque iſtud individuo obvio tribuis. Ceterum in præſente ac præcedente propoſitione non ſupponimus notionem generis vel ſpeciei eſſe diſtinctam; ſed ſufficit, quod adſit confuſa. Unde judicium de re percepta, quod eidem inſint determinationes generis vel ſpeciei, verbis exprimi nequit. Atque ideo tantummodo diximus, quod ens a nobis perceptum ſit iſtiusmodi. Etenim nobis probe conſcii ſumus, quale ſit, verbis tamen in gratiam alterius idem exprimere non valemus. Quamobrem cum plurimorum attentioni ſeſe ſubducant, quæ verbis exprimere non valent; plurimi quoque, immo fortaſſis plerique, non advertunt, nomen rei tribuendum non ſuccurrere, niſi prævio de re judicio, quod eidem inſint omnia generis vel ſpeciei requiſita.

§. 356.

Si ope definitionis nomen rei obviæ vindicare volueris & judicare debes, eidem convenire notas definitionem ingredientes, & definitionem tibi in memoriam revocare debes. Etenim definitio exprimit notionem completam atque determinatam termino cuidam reſpondentem (§. 152 *Log.*), conſequenter generis, vel ſpeciei termino iſto tanquam nomine ſuo indigitatæ. Enimvero ſi nomen generis, vel ſpeciei tribuis individuo obvio, & judicare debes notionem generis, vel ſpeciei eidem convenire; & meminiſſe præterea, quod eadem hoc nomine indigitetur (§. 354). Ergo ſi ope definitionis nomen rei obviæ vindicare volueris; & judicare debes, quod eidem conveniat definitio, hoc eſt, quod conveniant ſingulæ notæ eam ingredientes (§. 153 *Log.*), atque definitionem, quæ notas iſtas ſimul ſumtas cum termino ſeu nomine quodam connectit (§. 152 *Log.*), in memoriam tibi revocare debes. *Quomodo nomen definitionis ope rei vindicetur.*

Patet idem a poſteriori. Ponamus te vi definitionis quadrati hoc nomen figuræ menſæ vindicare velle. Id ut fieri poſſit, numeras latera figuræ & judicas, quod ſint quatuor, conſequenter quod figura habeat quatuor latera. Latera inter ſe confers & deprehendis, quod ſingula ſint inter ſe æqualia, conſequenter

Digitized by Google

quod figura mensæ latera æqualia habet. Denique consideras angulos & deprehendis, quod anguli singuli sint recti, consequenter quod figura singulos angulos rectos habeat. Hinc formas judicium compositum, quod propositione composita & quidem copulativa exprimitur (*§. 315 Log.*): Figura mensæ habet quatuor latera eademque æqualia ac singulos angulos rectos. Quodsi jam tibi constiterit atque in memoriam venerit, figuram, quæ quatuor habet latera, eaque æqualia, & singulos præterea angulos rectos, dici quadratum; ideo vi hujus definitionis figuræ mensæ tribuis nomen Quadrati, hoc est, judicas: Figura mensæ est Quadratum. Pone, te vel ignorare definitionem Quadrati, aut saltem eam tibi non succurrere, vel non formare judicia intuitiva de numero quaternario atque æqualitate laterum, nec non de specie angulorum, quod sint recti: in casu priori dices, te quidem videre, qualis sit figura mensæ, sed ignorare, quale ipsi tribuendum sit nomen; in casu altero affirmabis te ignorare, qualis hæc sit figura. Ast ubi & judicia dicta intuitiva formas, & definitionis, quam alias cognovisti, recordaris; tum demum dices, figuram mensæ esse quadratum.

Ex allato exemplo, quo veritatem propositionis præsentis a posteriori ita stabilivimus, ut in ejus locum facile quodvis aliud surrogari possit, satis superque apparet, ab eo, qui propositionem præsentem admittere non vult, aut concedendum esse, posse nomen ope definitionis vindicari rei obviæ, etiamsi definitionem vel ignores, aut ejusdem non recorderis, vel notas in eadem contentas rei obviæ non convenire judices. In priori casu statum mentis judicantis, quod id nomen conveniat rei obviæ, confundi cum eo, quo ignoras, quodnam eidem tribui debeat nomen; in posteriori vero eundem confundis cum altero, quo ignoras, qualis sit hæc figura, adeoque erras (*§. 631 Log.*); etenim in casu propositionis & nosti, qualis sit figura, & quod eidem tribuendum sit nomen: neutrum ignoras.

§. 357.

Quando nomen generis &

Si in casu dato rei perceptæ ad genus suum relatæ tribuitur nomen speciei: nomen generis eodem modo primum ipsi vindi-

vindicatur, quo ipſi vindicatur ſigillatim, & deinde eodem prorſus modo vindicatur quoque nomen ſpeciei. Quoniam enim genera & ſpecies in individuis exiſtunt (§. 56 *Log.*), individuum tibi obvium intuens & attentionem ſucceſſive ad alia aliaque, quæ inſunt, dirigens obſervas tum ea, quæ ad notionem generis, tum iſta, quæ ad notionem ſpeciei ſpectant. Enimvero quoniam determinationes ſpecificæ ſimul continent genericas (§. 237 *Ontol.*), adeoque hæ pauciores ſunt; facilius intelligitur, ad quodnam genus pertineat individuum obvium, quam ad quamnam ſpeciem pertineat, & ubi non minus nomen generis, quam ſpeciei perſpectum fuerit, aut definitionem utriusque familiarem experiaris; tam generis, quam ſpeciei nomen eidem tribuere debes (§. 354 355) & quidem primum nomen generis, deinde quoque nomen ſpeciei, cum nomen generis jam in mentem veniat determinationibus ſpecificis nondum ſingulis perſpectis (§. 273). *ſpeciei rei ſimul tribuatur.*

Exempla ad corollarium ſubſequens in medium afferenda propoſitionem quoque præſentem illuſtrabunt, quæ non alio fine in medium affertur, quam ut actiones atque paſſiones mentis diſtincte reſolvere diſcamus.

§. 358.

Quoniam nominibus individuorum deſtituti nomine generis vel ſpeciei utimur ad eadem ſignificanda, præfixo pronomine demonſtrativo, quemadmodum in vulgus notum eſt; *poſtquam nomen generis individuo obvio vindicavimus, eodem in nomen individui converſo, huic porro vindicantes nomen ſpeciei de genere ſingulariter prædicamus ſpeciem.*

E. gr. Videntes columbam dicimus. Hæc avis eſt columba. Primum igitur judicamus, ens iſtud ſingulare, quod videmus, eſſe avem (§. 355). Deinde eidem imponimus nomen hujus avis per modum nominis proprii. Reflectentes porro ſuper eodem individuo eidem quoque tribuimus nomen ſpeciei (§. 354). Atque ita tandem incidimus in judicium, quod his verbis effertur: Hæc avis eſt columba. Similiter ponamus nos videre pentagonum aliquod regulare. Figuram

Digitized by Google

hanc intuentes numeramus latera & quinque deprehendentes eidem vi definitionis pentagoni, quod ſit figura, cujus perimeter quinque lateribus conſtat, vindicamus nomen pentagoni judicantes ſcilicet, figuram hanc eſſe pentagonum aliquod (§. 356). Deinde ad diſcernendum hoc individuum ab aliis figuris eidem imponimus nomen hujus pentagoni per modum nominis proprii. Porro latera inter ſe conferentes atque angulos, non minus hos inter ſe æquales, quam illa ſibi invicem æqualia deprehendimus. Unde vi definitionis pentagoni regularis, quod ſit æquilaterum & æquiangulum, eidem porro vindicamus nomen pentagoni regularis (§. *cit.*). Atque ita tandem judicamus: Pentagonum hoc eſt pentagonum regurale. Quodſi initio reſpicias ad æqualitatem laterum & angulorum, figuræ vindicabis nomen figuræ regularis atque deinde nomen ipſi proprium erit, hæc figura regularis. Deinde porro numerans latera eidem vindicabis nomen pentagoni, ſicque tandem judicabis: Hæc figura regularis eſt pentagonum. Nimirum in hoc caſu figura regularis conſideratur tanquam genus, pentagonum vero tanquam ſpecies, cum in priori pentagonum ſpectetur ut genus, pentagonum vero regulare ut ſpecies. Apparet adeo, quam multi præſupponendi ſint ſtatus animæ, antequam judicare poſſis, quod hæc avis ſit columba, vel hoc pentagonum ſit regulare, aut hæc figura regularis ſit pentagonum. Sed ſtatus iſtos mentis diſtinctius perpendemus in ſequentibus.

§. 359.

Individuorum obviorum ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reductio.

Dum individuo obvio, ſeu rei quomodocunque perceptæ nomen generis vel ſpeciei vindicamus; eam a rebus aliis ſeparamus & ad ſuum genus vel ſpeciem ſuam tanquam peculiarem entium claſſem reducimus. Individuo enim obvio, ſeu rei quomodocunque perceptæ tribuimus nomen generis vel ſpeciei, quod notionem vel definitionem generis aut ſpeciei eidem convenire agnoſcimus (§. 355. 356), conſequenter quod ea inſint, quæ in omnibus individuis ad eandem ſpeciem, vel idem genus referendis eadem ſunt (§. 233. 234. 195 *Ontol.*). Individuum adeo obvium per has determinationes communes a ceteris entibus, quibus eædem ſimul non inſunt, ſeparamus atque adeo ad ſuum genus, vel ſpeciem ſuam tanquam peculiarem quandam entium claſſem referimus.

Ex

Digitized by Google

Ex propositione præsente eluceſcit usus propositionum præcedentium, cur ſcilicet condantur genera atque ſpecies, nec minus ſpeciebus, quam generibus tribuantur peculiaria nomina, ſcilicet ut res obvia quæcunque ad ſuum genus ſuamque ſpeciem referri poſſit: id quod non modo in ſcientiis perutile eſt, verum etiam in applicandis ſcientiarum præceptis ac dogmatis indiſpenſabilis neceſſitatis per ea, quæ jam ulterius ſequuntur, intelligitur.

§. 360.

Judiciorum categoricorum applicatio.

Si prædicata generum atque ſpecierum abſoluta nobis innotuerint & rem quandam obviam ad genus aliquod vel ſpeciem aliquam referimus; eidem quoque prædicata generis vel ſpeciei iſtius tribuimus. Etenim dum eam obviam ad ſuum genus vel ſpeciem ſuam reducimus, judicamus: Individuum hoc eſt hujus generis, vel hujus ſpeciei, tribuendo ſcilicet ipſi tanquam prædicatum nomen generis vel ſpeciei (§. 358). Quoniam nobis jam antea innotuerunt prædicata generis, vel ſpeciei iſtius, *per hypoth.* memoriæ mandavimus judicia, quæ exprimuntur iſtius-modi propoſitionibus: Generi A competit prædicatum B, vel ſpeciei C competit prædicatum D, conſequenter cum notio generis vel ſpeciei ſit judicio præſenti ac præterito communis, dum rem obviam ad ſuum genus, vel ſpeciem ſuam reducimus, in anima quoque reproduci debet notio judicii iſti, generi A competit prædicatum B, vel ſpeciei C competit prædicatum D reſuſcitari debet (§. 117). Rei igitur ad ſuum genus vel ſuam ſpeciem relatæ tribuimus iſtud prædicatum, judicantes individuo huic convenire prædicatum B vel D.

Idem confirmatur à poſteriori. Ponamus enim nobis innotuiſſe columbam manſuefieri poſſe, ut evolans redeat & te columbam videntem judicare *avis hæc eſt columba*: ubi in memoriam venerit, columbas manſuefieri poſſe, judicabis utique ulterius: *avis hæc manſuefieri poteſt*, vel etiam *hæc columba manſuefieri poteſt.*

Digitized by Google

Patet igitur propositiones categoricas in casu singulari applicari minime posse, nisi ante res obviæ ad suum genus, vel speciem suam reducantur.

§. 361.

Prædicatorum hypotheticorum applicatio.

Si prædicata generum vel specierum hypothetica, nobis innotuerint & rem obviam ad genus aliquod vel speciem aliquam pertinere, atque præterea conditionem præsentem esse agnoscimus, sub qua generi huic vel specici prædicatum istud tribuitur; prædicatum quoque hypotheticum rei isti tribuimus. Quoniam prædicata hypothetica subjecto tribuuntur sub adjecta conditione (§. 218 *Log.*); notioni generis vel speciei aliæ adhuc determinationes superaccedere debent, ut prædicata ista generi vel speciei convenire possint. Quodsi ergo istas determinationes genericis, vel specificis adjicias, habebis ea, quæ in individuis eadem esse debent, ut ipsis prædicata ista communia sint, consequenter determinationibus istis ad genericas vel specificas accedentibus, novæ quædam entium classes constituuntur, veluti nova quædam genera novæque species (§. 195. 233 & *seq. Ontol.*). Quamobrem ubi judicas rem obviam ad hoc genus vel hanc speciem esse referendam, atque præterea conditionem præsentem adesse, sub qua huic generi, vel speciei prædicatum aliquod sit tribuendum; eandem ad novum hocce genus, vel novam hancce speciem refers. Quoniam itaque præterea tibi nota sunt prædicata novo huic generi, vel novæ huic speciei tribuenda *per hypoth.* eadem quoque rei obviæ tribuere debes (§. 360).

Idem eodem modo independenter a propositione præcedente demonstrare licet, quo propositionem præcedentem demonstravimus. Etenim quia judicas individuum aliquod ad genus quoddam, vel speciem quandam referri debere ac præterea adesse conditionem quandam, seu notioni generis vel speciei alias quasdam superaccedere determinationes; judicium tuum tale est; Individuum A pertinet ad genus, vel speciem B eidem-

Digitized by Google

eidemque præterea accidunt determinationes C. Quoniam porro tibi innotuit prædicatum aliquod generi, vel speciei B hypotheticum, seu sub conditione C eidem tribuendum *per hypoth.* alio tempore memoriæ mandasti judicium: Generi, vel speciei B sub conditione C convenit prædicatum B. Quare notio judicio intuitivo præsenti respondens & notio conveniens judicio alteri communia habent ea, quæ notionem generis ac speciei ingrediuntur, atque præterea conditionem constituunt, sub qua generi vel speciei isti prædicatum convenit. Dum igitur formas judicium intuitivum, hoc alterum quoque tibi in mentem venire debet (§. 117), tibique conscius eris, quod antea jam idem formaveris (§. 137. 174), consequenter agnoscis individuo huic prædicatum istud D tribuendum esse.

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus nobis innotuisse, quod folia arborum autumno decidant, & jam adspicere folia arboris & perpendere, quod autumnus cœperit: patebit nos judicare, quod folia arboris nunc decidere debeant. Hic igitur habes prædicatum aliquod hypotheticum foliorum, nempe quod decidant, si fuerit autumnus. Folia arboris, quam intueris, refers ad suum genus, cum folia esse agnoscis, & conditionem præsentem esse intelligis, dum jam autumnum esse memineris. Folia igitur dum jam decidere debere judicas, rei perceptæ ad genus suum relatæ tribuis prædicatum hypotheticum, quod conditionem præsentem esse agnoscis, sub qua prædicatum istud generi illi tribuendum, & quia meministi, generi illi sub conditione ista convenire hoc prædicatum.

Si cui nondum satis evidentes videntur propositiones, in quibus statuitur de prædicatis vel absolutis, vel hypotheticis individuo alicui obvio tribuendis; is eodem modo ex principio rationis sufficientis propositionem utramque demonstrare potest, quo supra demonstravimus, quod rei perceptæ tribuendum sit aliquod nomen (§. 354 355). Quoniam enim ibi-

ibidem nomen rei tribuendum ſeſe habet per modum prædicati; ſi in locum nominis ſubſtituas prædicatum vel abſolutum, vel hypotheticum, cetera eadem erunt cum ſuperioribus.

Nimirum non habebis rationem ſufficientem, cur rei tribuas prædicatum abſolutum, niſi agnoſcas eam pertinere ad hoc genus vel hanc ſpeciem, & memineris generi huic, vel ſpeciei convenire hoc prædicatum. Nec habebis rationem ſufficientem, cur eidem tribuas prædicatum hypotheticum, niſi agnoſcas eam pertinere ad hoc genus vel hanc ſpeciem atque præſentem eſſe hanc conditionem, & præterea memineris, generi huic, vel ſpeciei ſub hæc conditione convenire hoc prædicatum.

§. 362.

Modus vindicandi rebus nomina & prædicata.

Dum vi notionis confuſæ vel definitionis rei quomodocunque perceptæ nomen, vel vi judicii cujusdam categorici, aut hypothetici prædicatum aliquod abſolutum, aut hypotheticum vindicamus; ex duobus judiciis notionem communem habentibus formamus tertium combinando notiones diverſas communi omiſſa. Dum enim rei obviæ A vindicamus nomen C; judicamus, A eſſe B, ſeu in A contineri determinationes B, & memoria nobis ſuggerit B dici C, ſeu ens, cui inſunt determinationes B, dici C; atque hinc formamus judicium, rem obviam A dici debere C (§. 355. 356). Habemus igitur duo judicia, A eſt B & B dicitur C, quorum notio communis eſt, quæ litera B deſignatur. Hac vero omiſſa formamus judicium componendo A & C, ſcilicet: A dicitur C (§. *cit.*). Quamobrem dum nomen C vindicamus rei obviæ A, ex duobus judiciis notionem communem habentibus formatur judicium tertium componendo notiones diverſas.

Similiter dum rei obviæ A vindicamus prædicatum abſolutum D; judicamus A eſſe B ſeu dici C & memoria nobis ſuggerit C ſeu ens, quod dicitur C, eſſe D, atque hinc formamus judicium, A eſſe D (§. 360). Habemus igitur denuo duo judicia A eſt C & C eſt D, quorum notio communis deſignatur litera C,

atque

Digitized by Google

atque inde formatur tertium A est D, omissa notione communi C componendo notiones diversas A & D. Patet adeo denuo si prædicatum absolutum rei cuidam obviæ vindicatur, ex duobus judiciis notionem communem habentibus formari tertium componendo notiones diversas.

Quodsi D denotet prædicatum hypotheticum & A designet notionem generis vel speciei cum conditione eidem superaddita, seu determinationibus accidentalibus essentialibus, ex quibus ista constat (*§.236 Ontol.*), superaccedentibus, quarum vi ipsi A comcompetit prædicatum D; præcedens demonstratio loquitur, si prædicatum hypotheticum rei cuidam obviæ vindicatur, exduobus judiciis notionem communem habentibus formari tertium omissa notione communi combinando notiones diversas.

In exemplis specialibus idem magis obvium est, & quidem in priori casu evidentius, si nomen individuo vindicatur vi definitionis. Etenim si figuræ, quæ mensæ est, latera numeras eaque inter se confers, eadem numero quinque ac inter se æqualia deprehendis. Si præterea angulos examinas, eos rectos deprehendis. Inde igitur formas judicium, quod hac propositione effertur: Figura mensæ constat quinque lateribus, inter se æqualibus & ad angulos rectos sibi invicem junctis. Vi definitionis Quadrati Figura constans quinque lateribus inter se æqualibus & sub angulis rectis sibi invicem junctis est Quadratum. Atque ideo judicas Figuram mensæ esse Quadratum. Habes igitur duo judicia, quibus notio communis respondet, nempe figuræ constantis quinque lateribus inter se æqualibus & sub angulis rectis sibi invicem junctis. Judicium, quod ex hisce duobus formatur, constat duabus notionibus in ceteris diversis, figuræ scilicet mensæ & nominis Quadrati. Patet igitur veritas propositionis in casu primo. Vidimus superius ideo, quod agnoscis avem hanc, quam vides, esse columbam, & quod memineris, columbam mansuefieri posse, formari judicium, quod hæc avis, quam jam vides, seu hæc columba mansuefieri possit. Habes hic denuo duo judicia, quæ notionem communem habent, nimirum avis hæc est columba & columba mansuefieri potest. Ac omissa notione communi columbæ ex ceteris notionibus diversis hujus avis & mansuefactionis formas novum judicium, quod his verbis enunciatur:

Digitized by Google

hæc avis manſuefieri poteſt. Eodem prorſus modo ſeſe res habet in caſu tertio, ubi prædicatum hypotheticum individuo vindicatur.

§. 363.

Idem expenditur in cognitione ſymbolica.

Quoniam in cognitione ſymbolica notionibus vocabula ſive termini, judiciis propoſitiones reſpondent (§. 289 *Pſych.* & §. 36. 41 *Log.*), *Si vi notionis ſeu definitionis rei perceptæ nomen, vel vi propoſitionis categoricæ aut hypotheticæ prædicatum aliquod abſolutum vel hypotheticum vindicamus; ex duabus propoſitionibus terminum communem habentibus formamus tertiam ex duobus terminis diverſis.*

Patet idem ex datis modo (*not.* §. 362) exemplis: ut adeo non opus ſit aliis.

§. 364.

Propoſitionis incognita ex cognitis formatio.

Si vi notionis ſeu definitionis, vel vi propoſitionis categoricæ aut hypotheticæ prædicatum aliquod abſolutum vel hypotheticum vindicamus; ex duabus propoſitionibus cognitis formatur tertia adhuc incognita. Etenim in primo caſu de individuo quodam obvio judicamus, quod ipſi conveniant determinationes hujus generis vel ſpeciei, & memoria nobis ſuggerit, individuo ad hoc genus vel hanc ſpeciem pertinenti competere hoc nomen, ac ideo judicamus individuo obvio competere hoc nomen. Primo igitur judicio intuitivo reſpondet propoſitio nota quippe quæ nobis reflectendo ſuper re percepta innoteſcit (§. 257). Judicio ſecundo reſpondet propoſitio, quam antea jam cognovimus, ubi eam memoriæ mandavimus. Tertium vero nunc demum nobis innoteſcit mediantibus iis, quæ ante cognita fuere. Dum igitur vi definitionis vel notionis nomen aliquod objecto obvio vindicamus; ex duabus propoſitionibus cognitis formamus tertiam, ad quam in præſenti ſine iſta non perveniſſemus. Similiter in ſecundo caſu judicamus, rei obviæ convenire hoc nomen, vel rem obviam eſſe hujus generis aut ſpeciei, nobisque ſuccurrit, rei cui hoc nomen convenit, vel quæ hujus generis aut ſpeciei eſt, convenire hoc prædicatum, atque

Digitized by Google

atque ideo ulterius judicamus: rei nobis obviæ convenire hoc prædicatum (§. 360). Habemus igitur tria judicia, quorum tertium formatur ex duobus prioribus ante cognitis, consequenter dum vi propositionis categoricæ rei obviæ prædicatum absolutum vindicamus; ex duabus propositionibus cognitis formamus tertiam antea nondum nobis cognitam, seu ad quam absque illis duabus jam non perveniſſemus.

Denique in casu tertio, ubi prædicatum hypotheticum rei obviæ vindicatur, judicamus eidem convenire hoc nomen, sivè genus hoc aut hanc speciem, hancque præsentem esse conditionem, & memoria nobis suggerit propositionem, quæ antea nobis innotuit, rei hujus generis vel speciei (§. 361) sub hac conditione convenire hoc prædicatum, atque inde formatur propositio, ad quam absque istis in præsenti non perveniſſemus: Rei obviæ convenire hoc prædicatum hypotheticum. Habemus igitur denuo duas propositiones, quibus præcognitis pervenitur ad tertiam, quæ alias nobis in mentem minime veniſſet. Patet adeo, dum ope propositionis hypotheticæ rei obviæ prædicatum hypotheticum vindicamus, ex duabus propositionibus ante cognitis perveniri ad tertiam, ad quam alias non perveniſſemus.

Vulgo hoc non advertitur. Etenim hodie plurimi sibi persuadent, propositionem tertiam, quæ ex ceteris formatur, ante cognitam esse debere, quam ceteræ formari possint: de quo præjudicio inferius plura dicentur. Apparet vero hinc necessitas penitius evolvendi mentis operationes, cum iis ignoratis viri præstantiſſimi in præjudicia scientiæ noxia incidant. Etenim qui ad operationes mentis a nobis explicatas attendit, is mirabitur, qui fieri potuerit, ut acumen virorum egregiorum fugerit, quod adeo obvium videtur, ut contemni mereatur.

§. 365.

Dum ex propositionibus quibusdam cognitis formatur alia, quæ antea nobis nondum cognita erat, vel quæ jam alias in mentem non veniſſet; *hanc ex istis colligere* dicimur, vel etiam *Illatio quid sit.*

Digitized by Google

inferre. Est igitur *Illatio* propositionis unius ex aliis formatio propositionis unius ope aliarum, terminis, ex quibus constat, inde desumtis.

Damus hic saltem definitionem nominalem, cujus realitas constat ex anterioribus. Neque enim jam definimus, num illatio alio adhuc modo fieri possit, quam in antecedentibus a nobis factum est, ubi res obvias ad sua genera suasque species reducere iisdemque prædicata tam absoluta, quam hypothetica vindicare docuimus.

§. 366.

Definitio Ratiocinationis.

Tertia mentis operatio (quæ & *Ratiocinatio* dicitur) est judiciorum ex aliis præviis formatio.

Fluit definitio hæc nominalis ex anterioribus, unde ejus patet realitas. An vero latius pateat iis, quæ in præcedentibus dicta sunt, infenius demum constabit.

§. 367.

Quando ratiocinamur.

Quoniam ex duobus judiciis præviis formamus tertium, dum vel vi notionis confusæ seu definitionis, vel ope judicii categorici, aut hypothetici rei cuidam obviæ nomen, sive genus suum, aut speciem suam, vel prædicatum absolutum, aut hypotheticum vindicamus (§. 363. 364); *dum rei cuidam obviæ nomen, seu genus vel speciem, aut prædicatum aliquod absolutum vel hypotheticum vindicamus; ratiocinamur.*

Sunt adeo exempla, quibus propositiones illustravimus antecedentes, ratiocinia.

§. 368.

Ratiocinia rum symbolica expressio.

In cognitione symbolica ratiocinia exprimuntur propositionibus determinatis, quibus efferuntur judicia, ex quibus constant. Dum enim ratiocinamur, ex judiciis quibusdam præviis formamus aliud, ad quod tum sine istis non pervenissemus (§. 366). Enimvero in cognitione symbolica recensentur vocabula, quibus subjectum & ceteræ ejusdem determinationes accidentales, si quæ adsunt, prædicatum & nexus ejusdem cum subjecto in affirmativis, repugnantia in negativis exprimuntur (§. 350),

Digitized by Google

(§. 350), consequenter judicia propositionibus exprimimus (§. 41 *Log.*). Ratiocinium igitur in cognitione symbolica exprimitur propositionibus determinatis, quibus efferuntur judicia, ex quibus constant.

Quoniam, dum scribimus, verbis efferimus, quæ in notionibus nostris continentur, exempla ante allata propositionem præsentem illustrant. Monuimus jam in Logica (§. 332), ratiocinium verbis distincte propositum dici syllogismum ibidemque omnem syllogismorum theoriam, quantum ad praxin sufficit, tradidimus. Quamobrem quæ ibidem legi possunt, hic a nobis repetenda non sunt.

§. 369.

In cognitione symbolica ratiocinia sunt magis distincta, quam in intuitiva. In cognitione enim symbolica ratiocinia exprimuntur propositionibus determinatis, quibus efferuntur judicia, ex quibus constant (§. 368). Enimvero non modo in cognitione symbolica singula judicia sunt magis distincta, quam in intuitiva (§. 351); verum etiam singula a se invicem clarius distinguuntur, quam in cognitione intuitiva: quod posterius per se patet. In cognitione igitur symbolica ratiocinia sunt magis distincta, quam in intuitiva (§. 38). *Prærogativa cognitionis symbolicæ pra intuitiva in ratiocinando.*

Idem quoque probari potest a posteriori. Formetur enim syllogismus quicunque suis constans propositionibus legitime dispositis. Advocentur singulis propositionibus ideæ respondentes & jam missis terminis seu vocabulis actus judicandi absolvatur in ideis, quemadmodum supra docuimus (§. 347 & seqq.): nullus dubito fore, ut unusquisque in semetipso experiatur, quantum intersit, utrum ratiocinans in sola cognitione intuitiva acquiescere, an vero ad symbolicam confugere velis.

Quam parum distincta sint ratiocinia in cognitione intuitiva, vel ex primo casu liquet, in quo nomen rei obviæ vi notionis confusæ vindicatur (§. 354), cum plurimi ne moniti quidem animadvertant perfectum ratiocinium adesse, propterea quod præmissæ propositionibus determinatis efferri nequeant. Multo autem clarior apparet ratiocinatio, ubi vi definitionis idem nomen rei obviæ vindicatur, propterea

Digitized by Google

quod singula judicia propositionibus determinatis exprimi possunt (§. 356).

§. 370.

Ratiocinio-rum effe-ctus.

In omni ratiocinio aut nomen, aut prædicatum aliquod vel absolutum, vel hypotheticum subjecto cuidam vindicatur. Quicquid enti alicui inest, id vel inter essentialia, vel attributa, vel modos locum habet (§. 149 *Ontol.*). Quoniam genera & species per essentialia determinantur (§. 247 *Ontol.*), ipsa autem per alia, quæ enti simul insunt, tanquam priora minime determinantur (§. 143 *Ontol.*), adeoque in ente, quod concipi debet, primo loco ponenda sunt (§. 142 *Ontol.*); de ente per essentialia determinato prædicari potest nomen generis, vel speciei, quo tale ens designatur (§. 279). Et quia attributa, nec non modorum atque relationum possibilitates, quæ per modum attributorum insunt, de eodem ente absolute (§. 215 *Log.*), modi autem ac relationes de subjecto suo nonnisi conditionate enunciantur (§. 217 *Log.*), attributa prædicata absoluta sunt, modi & relationes hypothetica. Quare cum de nullo ente prædicari possit nisi nomen, aut prædicatum aliquod absolutum, vel hypotheticum *per demonstrata*; per ratiocinia autem ex propositionibus quomodocunque cognitis formetur alia quædam, quæ alias jam nobis in mentem minime venisset (§. 366. 368), adeoque subjecto alicui tribuatur aliquod prædicatum (§. 200 *Log.*); in omni ratiocinio aut nomen aliquod, vel prædicatum quoddam absolutum, aut hypotheticum subjecto cuidam vindicatur.

Ratiociniorum itaque est usus, ut constet, quodnam rei obviæ conveniat nomen generis ac speciei, consequenter ad quod genus, ad quamnam speciem referri debeat, & quænam ipsi conveniant prædicata cum absoluta, tum hypothetica. Quamobrem quo plura prædicata ad genera sua speciesque suas relata cognoveris; eo ad ratiocinandum aptior eris. Hinc patet necessitas disciplinarum: patet etiam, quænam in iisdem tradi debeant, scilicet definitiones accuratæ & propositiones determinatæ, tum categoricæ, in quibus prædicata absoluta determinan-

Digitized by Google

nantur per essentialia, quæ definitiones ingrediuntur; tum hypotheticæ, in quibus prædicata hypothetica determinantur per accidentalia essentialibus in definitione contentis superaccedentia.

§. 371.

Definitio rei convenire dicitur, si eidem insint singulæ notæ definitionem ingredientes. *Genus* vel *species* rei convenire dicitur, si eidem insunt determinationes singulæ genericæ, vel specificæ. *Definitio, Genus & species quandonam rei convenire dicantur.*

Uberior horum explicatio quoad definitionem petenda ex doctrina logica de definitionibus (§. 152 *Log.*); quoad genus & speciem ex doctrina ontologica de ente universali (236 & seqq. *Ontol.*). Præmittimus autem terminorum horum explicationem, ut sequentes ratiocinandi leges rectius intelligantur.

§. 372.

Regulæ ratiocinandi seu *syllogismorum* dicuntur, per quas ratiocinia explicari possunt, seu quas anima observat, dum legitime ratiocinatur. Dicitur autem *legitime ratiocinari*, si propositio illata fuerit vera. *Regulæ syllogismorum quanam dicantur.*

Regulæ illæ syllogisticæ explicantur in Logica (§. 366 & seqq.)

§. 373.

Lex ratiocinandi dicitur principium generale ratiociniorum seu regularum ratiocinandi. *Leges ratiocinandi quanam dicantur.*

Rationem denominandi vide superius (*not.* §. 84), quemadmodum jam indicavimus supra (*not.* §. 116).

§. 374.

Leges ratiocinandi sunt. 1. *Cui competit definitio aut notio confusa eidem respondens, eidem competit definitum, seu nomen ista definitione explicatum & contra.* 2. *Cui competit genus vel species, eidem* quoque *competunt prædicata absoluta generi vel speciei isti tribuenda.* 3. *Cui præter genus vel speciem conveniunt determinationes quædam accidentales; eidem* quoque *conveniunt prædicata sub istis determinationibus accidentalibus generi & speciei isti tribuenda.* Etenim dum ratiocinamur, *Leges ratiocinandi.*

Digitized by Google

namur, rei aut nomen aliquod vindicamus, aut prædicatum absolutum, vel hypotheticum (§. 370). Quoniam nomen rei ideo tribuitur, quod eidem conveniat definitio, vel notio confusa eidem respondens (§. 385. 386. 371), consequenter & definitio vel notio confusa eidem respondens convenire debet, si nomen eidem tribuendum esse ponis; per propositionem istam, *cui convenit definitio, eidem convenit definitum & contra*, intelligitur, cur ratiocinans tribuat rei vel nomen aliquod, vel definitionem aliquam, consequenter ratio, cur id fiat, in eadem continetur (§. 56 *Ontol.*). Est adeo principium ratiocinandi (§. 866 *Ontol.* & §. 367 *Psychol.*), consequenter lex ratiocinandi (§. 373).

Similiter prædicatum absolutum ideo tribuimus rei, quod rem ad genus istud, vel speciem illam referimus, cui istud convenire nobis constat (§. 360), consequenter quia genus, vel species eidem convenit (§. 371). Quoniam itaque per propositionem istam, *cui convenit genus vel species, eidem quoque conveniunt prædicata absoluta generi vel speciei tribuenda*, intelligitur, cur ratiocinans tribuat rei hoc prædicatum absolutum (§. 367); in propositione hac continetur ratio ratiocinii (§. 56 *Ontol*), consequenter ipsa principium ratiocinii est (§. 866 *Ontol.*). Est igitur lex ratiocinandi (§. 373).

Denique prædicatum hypotheticum ideo tribuimus rei, quod rem obviam ad genus aliquod vel speciem aliquam pertinere, præterea conditionem præsentem esse agnoscamus, ob quam generi isti vel speciei prædicatum hoc hypotheticum tribuitur (§. 361), consequenter quia eidem præter genus conveniunt etiam determinationes quædam accidentales (§. 371). Quare cum per propositionem istam, *cui præter genus vel speciem conveniunt determinationes quædam accidentales; eidem quoque conveniunt prædicata sub istis determinationibus accidentalibus generi vel speciei tribuenda*, intelligatur, cur hoc prædicatum hypotheticum eidem tribuatur, in propositione hac conti-

Digitized by Google

continetur ratio, cur prædicatum hypotheticum rei sit tribuendum (*§. 56 Ontol.*), consequenter principium est (*§. 866 Ontol.*) & quidem, cum prædicatum hypotheticum rei tribuens ratiocinetur (*§. 367*), principium ratiociniorum. Est igitur lex ratiocinandi (*§. 373*).

Coincidit cum hac legn *Dictum de omni* Logicorum (§. 346. 348. 349 *Log.*).

§. 375.

Si rei cuidam obviæ notas definitionem aliquam ingredientes junctim sumtas non convenire agnoscimus, atque definitionis illius memores nobis conscii sumus, rei, cui definitio ista convenit, tribuendum esse hoc nomen; idem rei obviæ convenire non posse judicamus. Quoniam enim nomen generis, vel speciei alicujus tribui volumus enti, cui determinationes istæ genericæ, vel specificæ insunt, quibus notio generis vel speciei continetur (*§. 271 Psych.* & *§. 236 Ontol.*), nomen quoque istud, stante significatu vocabuli, quem non immutari supponimus, tribui nequit nisi enti, cui determinationes genericæ, vel specificæ simul insunt, consequenter cui genus, vel species convenit (§. 371). Quare cum definitionem rei obviæ non convenire agnoscamus & nobis conscii simus hanc esse definitionem rei, cui id nominis tribuitur *per hypoth.* judicare utique debemus, nomen istud rei obviæ tribui minime posse. *Nomen quando rei denegetur.*

Idem quoque confirmatur a posteriori. Ponamus enim nos agnoscere, quod figura mensæ quatuor habeat latera, ac inde inferre, quod non habeat tria. Ponamus porro in memoriam nobis venire, figuram, quæ tribus lateribus continetur, esse triangulum, consequenter quæ tribus lateribus non continetur, non esse triangulum. Nemo non ideo judicabit, figuram mensæ non esse triangulum.

Nimirum ratio, cur rei alicui tribuendum sit nomen aliquod, est definitio. Quare si hæc rei non convenit, nec ratio ponitur, ob quam nomen eidem tribuendum. Ergo nec nomen eidem tribui potest.

Digitized by Google

§. 376.

Alter casus. Quoniam notio confusa continens notas, quæ definitionem ingrediuntur, definitioni æquivalet, seu eidem generi vel speciei convenit, cui definitio convenit, quod per se patet; *Si obviæ cuidam rei notionem aliquam confusam non convenire agnoscimus atque meminimus, nomen aliquod indigitare rem, cui notio ista convenit: nomen rei obviæ non convenire judicamus* (§. 375).

Pertinet hæc exemplum, quando scilicet judicamus, ens, quod videmus, non esse avem, vel etiam avem, quam videmus, non esse columbam. Propositio præsens eodem modo demonstrari poterat, quo præcedens.

§. 377.

Quando definitio denegetur. *Si rei cuidam obviæ nomen aliquod convenire non posse agnoscimus atque meminimus, rei hoc nomine indigitatæ convenire definitionem aliquam: eidem quoque definitionem convenire non posse judicamus.* Quoniam enim nomen aliquod rei tribuimus, ut indigitemus eidem convenire definitionem aliquam (§. 271), si nomen rei non convenire potest, nec definitionem eidem tribuere licet. Quare si agnoscimus rei cuidam obviæ nomen aliquod convenire non posse atque meminimus rei hoc nomine indigitatæ convenire definitionem aliquam; eidem quoque definitionem hanc convenire minime posse utique judicare debemus.

E. gr. Si constet figuram mensæ non esse triangulum, atque recordemur, triangulum esse figuram quæ tria latera habet; utique judicamus figuram mensæ non habere tria latera.

§. 378.

Quando notio quædam confusa rei denegetur. Quoniam notio confusa continens notas, quæ definitionem aliquam ingredi debent, definitioni æquivalet; *si rei cuidam obviæ nomen aliquod convenire non posse agnoscimus atque meminimus rei hoc nomine indigitatæ convenire notionem aliquam*

aliquam confuſam; eidem quoque notionem hanc confuſam convenire non poſſe judicamus (§. 377).

E. gr. Si noſti avem a Titio viſam non eſſe columbam, atque imaginatio præſens tibi ſiſtat phantaſma columbæ; judicabis utique phantaſmate iſto minime repræſentari avem a Titio viſam.

§. 379.

Quando rei denegetur prædicatum abſolutum.

Si rei cuidam obviæ nomen aliquod convenire agnoſcimus, ſeu eam ad hoc genus vel ſpeciem iſtam referri debere agnoſcimus atque meminimus rei hac nomine denotatæ, ſeu ad hoc genus vel ſpeciem iſtam ſpectanti repugnare aliquod prædicatum abſolutum; idem quoque rei obviæ tribui non poſſe judicamus. Etenim ſi rei aliquo nomine denotatæ, ſeu ad genus aliquod, vel ſpeciem aliquam relatæ prædicatum aliquod abſolutum repugnat, ex eo intelligitur, quod prædicatum aliquod rei cuidam convenire nequeat, quod ipſi hoc nomen conveniat, vel quod ad genus, vel ſpeciem iſtam ſpectet, conſequenter in judicio, quod res obvia ad hoc genus, vel ſpeciem iſtam ſpectet, ratio continetur, cur prædicatum convenire non poſſit (*§. 56 Ontol.*). Quare cum agnoſcamus, rei obviæ convenire nomen aliquod, vel eam ad hoc genus, aut ſpeciem iſtam referendam eſſe, *per hypoth.* ratio ponitur, cur prædicatum iſtud abſolutum rei obviæ convenire minime poſſit, conſequenter prædicatum iſtud convenire eidem nequit (*§. 118 Ontol.*). Recte igitur judicamus, prædicatum iſtud abſolutum rei obviæ convenire minime poſſe.

E. gr. Si nobis conſtet figuram menſæ eſſe Quadratum atque meminimus, Quadratum non habere tres angulos; utique judicamus, figuram menſæ non habere quatuor angulos. Similiter ſi conſtet, avem, quam videmus, eſſe hirundinem, atque recordemur, hirundinem caveæ incluſam vivere non poſſe; utique judicamus, avem hanc, quam videmus, caveæ incluſam vivere non poſſe. Nemo autem miretur nos rationem ſufficientem appellare notionem ſubjecti ſeu nomen, quo eadem denotatur, cui prædicatum aliquod repugnat, cur prædicatum iſtud rei convenire non poſſit: neque enim invita definitione rationis ſufficientis (*§. 56 Ontol.*) dantur etiam rationes ſufficientes ad negandum.

Digitized by Google

§. 380.

Quando denegetur praedicatum hypothetice.

Quodsi nobis constet rei cuidam obviæ tribuendum esse nomen aliquod, vel eam ad hoc genus, aut speciem istam referendam esse ac præterea adesse conditionem quandam seu determinationes quasdam accidentales, atque meminerimus generi vel speciei isti sub hac conditione, seu his superaccedentibus determinationibus accidentalibus repugnare aliquod prædicatum; idem rei obviæ non convenire judicamus. Quoniam enim generi vel speciei sub hac conditione repugnat prædicatum *per hypoth.* ex eo intelligitur, quod rei ejus generis vel speciei posita ista conditione prædicatum convenire non possit, consequenter notio generis vel speciei cum conditione ista ratio est, cur hoc prædicatum rei ad idem genus, vel eandem speciem pertinenti convenire minime possit (§. 56 *Ontol.*). Quare cum nobis constet rem obviam esse hujus generis, vel speciei atque conditionem esse præsentem, sub qua prædicatum generi vel speciei huic repugnat, *per hypoth.* ratio sufficiens ponitur cur eidem hoc prædicatum convenire nequeat, consequenter utique eidem convenire non posse perspicimus (§. 118 *Ontol.*). Judicamus itaque rei obviæ prædicatum hoc convenire minime posse.

Ponamus nos perspicere, quod semen sit commissum terræ aridæ, & meminisse quod semen terræ aridæ commissum non germinet: utique judicabimus, semen, quod jam terræ commissum est, germinare non posse.

§. 381.

Alius casus.

Si nobis constet rei cuidam obviæ tribuendum esse nomen aliquod, sive genus, vel speciem, & meminerimus, generi vel speciei isti sub data quadam conditione vel datis quibusdam determinationibus accidentalibus convenire aliquod prædicatum, hanc autem conditionem, vel istas determinationes accidentales abesse videamus; rei quoque prædicatum istud non convenire judicamus. Quoniam enim prædicatum generi, vel speciei competere non intelligitur, nisi posita ista conditione, seu deter-

terminationibus accidentalibus ad eſſentiales notionem generis, vel ſpeciei conſtituentes accedentibus; hæ notioni generis vel ſpeciei junctæ abſolvunt rationem ſufficientem, cur prædicatum hypotheticum generi, vel ſpeciei convenire poſſit (§. 56 *Ontol.*). Quare cum prædicatum demum ponatur, poſita ratione ſufficiente (§. 118 *Ontol.*); conditione abſente, vel determinationibus accidentalibus non extantibus, prædicatum hypotheticum rei datæ convenire non poſſe perſpicimus, atque adeo judicamus prædicatum hypotheticum rei obviæ non convenire.

E. gr. Ponamus nos videre lapidem & meminiſſe lapidem calidum non calefacere. Quodſi porro deprehendamus, lapidem, quem videmus, non eſſe calidum; utique judicabimus, lapidem hunc, quem videmus, non poſſe calefacere. Certe nos ita judicare, quovis momento experiri licet. Quodſi ad judicia hominum fuerimus attenti & ſuper iis reflectentes principia univerſalia abſtrahamus; in omnes illas propoſitiones a poſteriori incidemus, quas hic de ratiociniis a priori ſtabilimus omnes muneris, quod philoſopho incumbit (§. 6 *Diſc. prælim.*), partes adimpleturi.

§. 382.

In omni ratiocinio negativo aut nomen aliquod, aut prædicatum vel abſolutum, vel hypotheticum aliquod de ſubjecto quodam negatur. Quoniam per ratiocinium negativum illud intelligimus, quo concluſio negativa infertur; non alia prædicata per ratiocinium negativum a ſubjecto removeri poſſunt, quam quæ per affirmativa eidem vindicantur. Jam vero in omni ratiocinio affirmativo, quo ſcilicet prædicatum aliquod ſubjecto vindicatur, aut nomen, aut prædicatum aliquod abſolutum, vel hypotheticum ſubjecto alicui vindicatur (§. 370). Ergo in omni ratiocinio negativo aut nomen aliquod, aut prædicatum vel abſolutum vel hypotheticum removeri debet. *Ratiociniorum negativorum effectus.*

Ratiociniorum negativorum adeo hic caſus eſt, ut præcaveamus errores in judicando, ne ſcilicet rei tribuamus nomen, quod eidem minime convenit, aut ne eandem ad genus aliquod vel ſpeciem referamus

cui ſubſtare nequit, ac ne porro eidem tribuamus prædicata, quæ in eam vel nunquam, vel ſaltem in præſenti convenire nequeunt. Quodſi nunquam per errorem judicaremus, ſed in ratiocinando exacti eſſemus; ratiociniis negativis non haberemus opus.

§. 383.

Quando ratiocinemur.

Dum vi definitionis, aut notionis eidem æquipollentis nomen; aut vi judicii cujusdam categorici, vel hypothetici prædicatum abſolutum, vel hypotheticum a re quadam removemus; ratiocinamur. Quando enim vi definitionis aut notionis confuſæ eidem æquipollentis nomen, aut vi judicii cujusdam categorici, aut hypothetici prædicatum aliquod abſolutum, aut hypotheticum a re quadam removemus, ex duobus præviis judiciis formamus tertium (*§. 375 & ſeqq.*). Quare cum ratiocinemur, dum ex judiciis aliis prævis judicia formamus (§. 366); in omni caſu propoſitionis ratiocinamur.

Sunt adeo exempla, quibus propoſitiones antecedentes illuſtravimus, ratiocinia.

§. 384.

Leges ratiocinandi negative.

Leges ratiocinandi ſunt: 1. *Cui non convenit definitio, aut notio confuſa eidem reſpondens, ei nec convenit definitum & contra* 2. *Cui convenit genus, vel ſpecies, eidem quoque non convenit prædicatum abſolutum generi, vel ſpeciei iſti repugnans.* 3. *Cui præter genus, vel ſpeciem convenit conditio, ſub qua prædicatum aliquod eidem generi, vel ſpeciei repugnat; eidem quoque prædicatum iſtud non convenit.* 4. *Cui genus & ſpecies convenit, ſed non convenit conditio, ſub qua prædicatum aliquod eidem tribuendum; ei nec prædicatum hoc convenit.* Etenim nomen, vel genus aliquod, aut ſpeciem aliquam rei non convenire ex eo intelligimus, quod non conveniat eidem definitio, vel notio confuſa huic æquipollens (§. 375. 376), conſequenter in propoſitione, *cui non convenit definitio, aut notio confuſa eidem æquipollens, ei nec convenit nomen definitioni, vel notioni iſti reſpondens*, continetur ratio, cur nomen a ſubjecto ſit removendum

dum (§. 56 *Ontol.*). Est igitur principium (§. 806 *Ontol.*). Quoniam itaque ratiocinamur, dum nomen aliquod subjecto convenire vi definitionis aut notionis eidem æquipollentis negatur (§. 383); propositio ista principium ratiocinandi est, adeoque lex ratiocinandi (§. 373).

Similiter cum ex eo intelligatur, quod rei alicui definitio, vel notio quædam confusa eidem æquipollens convenire nequeat, quod nomen definitioni, vel notioni isti respondens non conveniat; eodem prorsus modo ostenditur, legem ratiocinandi esse hanc propositionem: *Cui non convenit nomen, cui definitio quædam, vel notio confusa aliqua respondet, ei nec convenit definitio vel notio ista.*

Prædicatum aliquod absolutum rei non convenire ex eo intelligimus, quod ipsi conveniat genus, vel species, cui prædicatum istud repugnat (§. 379). Quamobrem denuo, ut ante ostenditur, legem ratiocinandi esse propositionem: *Cui convenit genus, vel species, eidem nec convenit prædicatum absolutum generi isti, vel speciei repugnans.*

Prædicatum aliquod hypotheticum rei cuidam non convenire intelligimus tum ex eo, quod ipsi præter genus, vel speciem conveniat ista conditio, sub qua generi huic, vel speciei prædicatum aliquod repugnat (§. 382); tum ex eo, quod ipsi genus quidem, vel species, sed non conditio conveniat, sub qua prædicatum generi isti, vel speciei convenit (§. 383). Quamobrem eodem prorsus modo etiam ostenditur, esse non minus hanc propositionem, *Cui præter genus, vel speciem convenit conditio, sub qua prædicatum aliquod eidem generi, vel speciei repugnat, eidem quoque prædicatum istud non convenit*; quam alteram, *Cui genus & species convenit, sed non conditio, sub qua prædicatum aliquod eidem convenit, ei nec prædicatum hoc convenit*; legem ratiocinandi.

Coincidit cum legibus istis ratiocinandi *Dictum de nullo* Logicorum (§. 347 & *seqq. Log.*). Exempla petenda sunt ex anterioribus (*vt.* §. 375

Digitized by Google

§. 375 *& ſeqq.*). Sunt autem leges hæ ratiociniorum negativorum, quemadmodum ſuperiores (§. 374) affirmativorum. In caſu hypothetico leges duæ ſimul ſubinde obtinent, ſi ad ideam reſpicias, non ad verba, quæ variari poſſunt, illa exiſtente eadem: id quod exemplis redditur manifeſtum. Ponamus lapidem eſſe frigidum, adeoque non calidum. Aut igitur ex eo, quod ſit frigidus, aut ex eo, quod non ſit calidus, colligitur, quod non calefaciat. In caſu priori ponitur conditio, cui prædicatum repugnat; in poſteriori tollitur conditio, ſub qua prædicatum ponitur. Similiter ponamus porro parietem eſſe rubro panno tectum, adeoque non album. Aut igitur ex eo, quod rubro panno tegatur, aut ex eo, quod albus non ſit, colligitur, quod imagines per foramen exiguum intromiſſas non exhibeat claras atque ſatis diſtinctas. In caſu priori ponitur denuo conditio, cui prædicatum repugnat; in poſteriori tollitur conditio, ſub qua prædicatum ponitur. Atque hæc ratio eſt, cur plerumque lex altera non attendatur, ſed ſimul ſub priori tacite comprehendatur.

§. 385.

Modus ratiocinandi conditionatus.

Si quid eſſe agnoſcimus atque meminimus, ideo etiam aliud quid eſſe debere: hoc alterum quoque eſſe judicamus. Etenim ſi quid ideo eſt, quia alterum eſt; ex eo quod hoc eſt, etiam illud eſſe intelligitur conſequenter illud ratio ſufficiens eſt, cur hoc ſit (§. 56 *Ontol.*). Quare cum agnoſcamus hoc eſſe, propter quod alterum eſſe debet *per hypoth.* rationem ſufficientem poni agnoſcimus. Et quia meminimus, ſi hoc eſt, etiam alterum eſſe debere; id, quod ponitur, eſſe rationem ſufficientem alterius nobis conſcii ſumus. Quoniam itaque poſita ratione ſufficiente ponitur etiam id, quod per eam potius eſt, quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); alterum quoque eſſe debere utique judicamus.

Idem patet a poſteriori. Ponamus nos obſervare, quod ventus orientalis ſpiret, atque in plagam, unde ſpirat, reſpicientes judicare, quod ſpiret. Quodſi nobis in mentem veniat, quod ante cognovimus: Si ventus orientalis ſpirat, tempeſtas ſerena eſt, & in hanc propoſitionem attentionem noſtram perinde ac in priorem convertimus; nos judicare experimur, quod tem-

Digitized by Google

tempestas sit serena. Duas hic habemus propositiones, 1. ventus orientalis spirat & 2. tempestas est serena. Experientia & ratione constat, si ventus orientalis spirat, tempestatem esse serenam, adeoque generaliter, si id est, quod propositione una affirmatur, esse etiam alterum, quod affirmatur propositione altera. Observamus vero prius esse, ac ideo judicamus, quod etiam sit alterum.

Spectamus nimirum hic duo a se invicem diversa tanquam inter se connexa, ut posito uno ponatur etiam alterum. Et idem sane obtinet in omni ratiocinio categorico, de quo antea diximus. Etenim nomen rei tribuitur sub conditione definitionis, seu eidem æquipollentis notionis confusæ; prædicatum absolutum sub conditione eadem, prædicatum hypotheticum sub conditione expressa definitioni superaddita. E. gr. si judicamus columbam mansuefieri posse, supponimus avem esse columbam & inde colligimus, quod mansuefieri possit. Quare si verum est, avem esse columbam; verum etiam est, eam mansuefieri posse. Similiter si judicamus, lapidem calidum calefacere, supponimus lapidem esse calidum ac inde colligimus quod calefaciat. Quare si verum est, lapidem esse calidum; verum eitam est, eum calefacere. Propositione adeo præsente **nituntur ratiocinia positiva non minus categorica, quam hypothetica.**

§. 386.

Si quid non esse agnoscimus atque meminimus, ideo etiam aliud quid non esse debere; hoc alterum quoque non esse judicamus. Etenim si quid ideo esse nequit, quia alterum non est; ex eo, quod hoc non est, intelligitur cur illud etiam non sit, consequenter non existentia hujus est ratio sufficiens non existentiæ illius (§. 56. *Ontol.*). Quare cum agnoscamus hoc non esse, propter cujus non existentiam nec alterum esse potest *per hypoth.* rationem sufficientem poni agnoscimus, cur alterum non sit. Et quia meminimus, si hoc non est, nec aliud quid esse posse, vel ideo etiam aliud quid non esse debere *per hypoth.* id, quod ponitur, esse rationem sufficien- *Modus tollens.*

Digitized by Google

tem cur alterum esse nequeat nobis conscii sumus. Quoniam itaque posita ratione sufficiente ponitur etiam id, quod per eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol.*), adeoque posita ratione sufficiente, cur aliquid esse non possit, etiam id, quod per eam potius non est, quam esse potest, esse nequit; alterum quoque non esse debere utique judicamus.

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus nos observare, lapidem non esse calidum. Quodsi nobis in mentem veniat: si lapis non est calidus, nec calefacit, & in hanc propositionem attentionem nostram perinde ac in priorem convertamus, nos judicare experimur, quod lapis non calefaciat. Duas hic habemus propositiones, 1. Lapis non est calidus & 2. Lapis non calefacit. Experientia & ratione constat, si lapis non est, quod propositione una esse negatur, nec alterum esse, quod propositione altera negatur. Observamus vero prius non esse, ac ideo judicamus, quod etiam alterum non sit.

Duæ hæ notiones negativæ, quæ duabus propositionibus negativis respondent, ex quibus hypothetica componitur, ita inter se connexæ sunt, ut una posita ponenda etiam sit altera, consequenter ut, si unum negetur, negandum etiam sit alterum: ut adeo casus propositionis præsentis contineatur sub priori, si per fictionem negativa notio spectetur ut positiva: quo respectu affirmamus aliquid non esse, dum idem esse negamus. Ad hanc fictionem dudum amenderunt Logici non modo in casu præsenti, verum etiam in aliis (§. 208. *Log.*), ubi negationem explicare per affirmationem, quod quid non sit, ad salvandos conceptus universales. Et in præsenti quidem casu, ponit dicitur, quod esse vel non esse judicamus (§. 466. *Log.*). Quamobrem & Logici utramque propositionem mediante hoc termino in unam contrahunt.

§. 187.

Alius modus. *Si quid non esse agnoscimus atque meminimus, idem esse positoquod sit aliud, etiam hoc non esse, agnoscimus.* Ponamus nos agnoscere B non esse, atque meminisse, si A est, etiam B esse;

B. esse: dico nos judicare, quod A non sit. Etenim si judicare velimus, A esse, judicandum quoque quod sit B (§. 385.) Quare cum B non sit *per hypoth.* A non esse utique judicandum (§. 53. *Ontol.*)

Quodsi exemplum quodvis singulare substituas, idem confirmabitur a posteriori & ad te ipsum attentus agnoscès, non aliam esse rationem, cur ita judices, quam eam, quæ in demonstratione adducta fuit. E. gr. Si observamus tempestatem non esse serenam, atque recordemur, si ventus orientalis spirat, serenam esse tempestatem; hinc utique colligimus, ventum orientalem non spirare. Quæsiti cur ita colligamus, respondemus quod alias tempestas serena esse deberet.

Nimirum si posita A ponitur etiam necessario B, fieri non potest, ut, si A sit, B non sit. Quare utique ex eo, quod B non est, colligendum, etiam A non esse. Multa in exemplis singularibus evidentia sunt, quæ ad universalitatem revocata obscurata evadunt.

§. 388.

Lex ratiocinandi est: Posito propositionis hypotheticæ antecedente ponitur consequens & sublato consequente tollitur antecedens. Quoniam enim in propositione hypothetica consequens ideo est, quia antecedens est (§. 385 386.) & antecedens non est, quia consequens est (§. 387.), ex eo, quod antecedens ponitur, intelligitur cur ponatur consequens & ex eo, quod consequens tollatur, intelligitur, cur tollatur antecedens, consequenter in propositione: *Posito propositionis hypotheticæ antecedente ponitur consequens & sublato consequente tollitur antecedens*, continetur ratio, cur judicandum sit in casu priori consequens esse, in posteriori antecedens non esse (§. 56. *Ontol.*), adeoque propositio ista principium est (§. 506. *Ontol.*). Enim vero dum ita judicamus, ex duabus propositionibus datis formamus tertiam, consequenter ratiocinamur (§. 366.) Est igitur propositio ista lex ratiocinandi (§. 373.) *Lex ratiocinandi hypotheticarum.*

Digitized by Google

Hac lege demum nituntur syllogismi hypothetici; quemadmodum alias docuimus (§. 409. & seqq. *Log.*)

§. 389.

Modus ratiocinandi disjunctive.

Si duorum aut plurimum uno existente cetera non existant, unum vero eorum semper existat; propterea quod unum existere constat judicamus cetera non esse &, ubi cetera non esse intelligimus, unum eorum esse. Propositio hæc coincidit cum fundamento syllogismorum disjunctivorum, quod in Logica §. 427. exposuimus. Non igitur opus est, ut eam denuo probemus, præsertim cum adeo evidens sit, ut absque omni probatione concedi debeat.

Ponamus nimirum aut A, aut B, aut C esse. Quodsi fuerit, C; non erit A, non erit B. Et si nec C, nec B fuerit, erit A. Idem clarius patet in casu speciali. Quoniam substantia omnis aut simplex est, aut composita, ideo animam aut simplicem esse constat, aut compositam. Ponamus jam porro probari, quod non sit composita. Nemo non protinus judicabit, quod sit simplex. Similiter constat semper esse aut diem, aut noctem. Ponamus constare, quod dies fuerit, cum aliquis nasceretur. Hinc ergo colligimus, quod nocte natus non fuerit.

§. 390.

Lex ratiocinii disjunctivorum.

Lex ratiocinandi est: Posita uno membro propositionis disjunctivæ, tolli cetera & ceteris sublatis poni unum, ac uno sublato indeterminate poni ceterorum unum. Etenim ex eo quod membrum unum ponatur, intelligitur cur cetera tollantur, & ex eo, quod tollantur cetera vel eorum unum, intelligitur, cur ponatur unum vel determinate, vel indeterminate, consequenter in propositione præsente continetur ratio, cur judicemus quid esse, vel non esse (§. 56. *Ontol.*), adeoque propositio ista principium est (§. 506. *Ontol.*). Habemus autem duas propositiones, alteram disjunctivam, alteram categoricam, vel disjunctivam itidem, qua aliquid ponitur, vel aliquid aut plura tolluntur, atque hisce præviis formatur tertia, qua quid esse affirmatur, vel negatur, adeoque vi propositionis præsentis

Digitized by Google

tis judicantes ratiocinamur (§. 366.) Propositio igitur præsens principium ratiocinandi *per demonstrata*, consequenter lex ratiocinandi (§. 373.)

Quomodo hinc deducantur modi syllogismorum disjunctivorum, in Logica docuimus §. 419. & seq.

§. 391.

In ratiociniis ex notionibus aliis præviis nascitur alia. Quando enim ratiocinamur, judicium aliquod ex aliis præviis formamus (§. 366.) consequenter in cognitione symbolica ex propositionibus determinatis præviis formatur alia (§. 368.). Quoniam vero omni propositioni veræ notio aliqua respondet (§. 520. 521. *Log.*); in ratiociniis ex præviis notionibus aliis nascitur alia. *Notionum ortus ex ratiociniis.*

Idem patet a posteriori. Ponamus enim me pirum intuentem judicare, quod sit arbor, atque recordantem, quod arbor omnis autumno folia deponat, colligere, quod pirus, quam intueor, autumno folia sit depositura. Tum igitur ita ratiocinamur. Pirus hæc arbor est. Arbor omnis autumno folia sua deponit. Ergo & hæc pirus folia sua autumno deponet. Propositioni primæ, quæ est minor syllogismi (§. 340. *Log.*), respondet notio, qua pirus exhibetur tanquam arbor, quatenus in idea piri præsentis attentionem nostram dirigimus ad ea, quæ piro cum arboribus ceteris communia sunt, veluti ad truncum, ramos, surculos atqut folia. Propositioni secundæ respondet notio arboris autumno folia deponentis, quatenus nobis in memoriam revocamus ideam alicujus arboris, qualem folia deponentem conspeximus autumnali tempore, una cum aliis perceptionibus, quas ista tempestate simul habuimus. Propositioni denique tertiæ respondet notio aut, si mavis, idea exhibens hanc arborem, qualis conspicietur autumnali empore folia depositura. Ex duabus igitur notionibus præviis nascitur tertia & in cognitione intuitiva ex duabus ideis

Digitized by Google

tertia naſcitur. Idem eodem modo patet in quocunque caſu alio ratiocinii categorici. Enimvero non minus idem patet in caſu ratiocinii hypothetici: id quod vel eodem exemplo, quod modo dedimus, probari poteſt, ſi ratiocinium categoricum ad hypotheticum revocetur. Etenim ponamus, nos ut ante pirum intuentes judicare, quod ſit arbor, atque perpendentes, quod, ſi arbor ſit, folia ſua autumno deponere debeat, colligere, quod hæc, quam intuemur, pirus folia ſua deponere debeat. Ecquis non videt, nos ita ratiocinari: ſi hæc pirus arbor eſt, folia ſua autumno deponet. Atqui hæc pirus arbor eſt. Ergo folia ſua autumno deponet. Enimvero quis non ſimul videt, ſubſumtioni & concluſioni, utpote iisdem cum minore ac concluſione ſyllogiſmi categorici, eandem reſpondere notionem, propoſitioni autem hypotheticæ notionem ex utraque compoſitam ſive ideam, qua pirus exhibetur tanquam arbor foliis prædita & deinde tanquam eadem deponens una cum perceptionibus tempeſtatis autumnalis ſignis. Idea enim, quæ primo ſe ſiſtit, antecedenti reſpondet: eadem vero deinde ſucceſſive immutatur, ut reſpondeat conſequenti. Sed idem caſus convertitur quoque in ratiocinium hypotheticum a categorico diverſum. Ponamus enim nos ad perceptiones noſtras attentos judicare, quod ſit autumnus, atque recordantes, quod autumno decidant folia arborum, conſequenter judicantes quod, ſi autumnus ſit, hæc pirus ſive hæc arbor folia ſua depoſitura ſit, colligere, quod hæc arbor folia deponere debeat. Hoc modo igitur hypothetice argumentamur: Si autumnus eſt, pirus hæc folia deponet. Atqui autumnus eſt. Ergo pirus hæc folia ſua deponet. Antecedenti reſpondet notio autumni, quam in idea exhibemus per ea, quæ iſta tempeſtate diverſa a nobis ſenſu percipiuntur; conſequenti autem notio, quæ in idea arboris folia ſua deponentis continetur. Propoſitionem adeo hypotheticam nobis repræſentamus per ideam ex utraque compoſitam

Digitized by Google

sitam, quatenus successive attentio ab una ad alteram promovetur. Subsumtioni respondet notio antecedentis solitaria. Nascitur adeo hic aliqua notio ex aliis prævis. Eodem prorsus modo idem intelligitur in quocunque casu alio judicii hypothetici.

Plurimum prodest ad distinctam mentis humanæ cognitionem, ut status mentis expendamus, qui in ratiociniis successive se invicem excipiunt. Quamobrem acumen sibi comparaturi, quo in animæ interioribus rimandis opus est; ratiocinia complura tam categorica, quam hypothetica revocet ad notiones complexas atque ideas, quæ successive in mente nascuntur, dum ratiocinamur. Valde proficuum hoc nobis est in philosophia morali, quemadmodum suo loco plenius constabit.

§. 392.

Quoniam in ratiociniis ex notionibus quibusdam prævis nascuntur aliæ, ad quas tunc temporis absque istis non perveniissemus (§. 391.); ex ratiociniis intelligitur, quomodo in mente notiones aliæ ex aliis nascantur, consequenter *Ratiocinia & in cognitione symbolica syllogismi notionum atque idearum, in quibus ista continentur, successioni explicandæ inserviunt.* *Usus ratiociniorum in explicanda successione ideorum.*

Usus hic Syllogismorum prorsus egregius est antea non animadversus. Primus mentionem ejus injeci in Lexico Mathematico sub voce *demonstratio*. Dixi deinde plura de eodem in Ratione Prælectionum Sect. 2. c. 3. §. 28. p. 147. atque in Metaphysica patrio idiomate conscripta §. 341. & seqq. quæ in compendio proposui in *Thummigii* in Instit. Psychologiæ §. 791. Ut vero plenius intelligatur, aliquot adhuc theoremata specialia condenda sunt.

§. 393.

Si judicium intuitivum notionem communem habet cum præterito aliquo judicio, quod memoria tenemus, & formatum ex terminis eorum diversis judicium denuo communem quandam notionem habet cum judicio aliquo præterito, quod memoria tenemus ac ita porro; series cogitationum continuatur per leges *Modus primus continuationis seriei perceptionum.*

leges ratiocinandi. Etenim ſi judicium, quod formatur, intuitivum notionem communem habet cum judicio aliquo præterito, hocque memoria tenemus, atque adeo idem reproducere ac reproductum recognoſcere valemus (§. 180.); vi notionis communis judicium præteritum reproducimus (§. 104.) terminisque diverſis judicii utriusque combinatis judicium diſcurſivum formatur (§. 362.) ſicque pervenitur ad judicium, quod alias mentem noſtram tunc temporis non ſubiiſſet (§. 366.) Quodſi attentionem noſtram in hoc judicium dirigimus & id notionem quandam communem habet cum alio præterito, quod itidem memoria tenemus; eodem, quo ante, modo oſtenditur, nos ad judicium aliquod diſcurſivum pervenire, ad quod alias non perveniſſemus. Unde facile patet, eadem lege quantocunque temporis intervallo ſeriem cogitationum ratiocinando continuari poſſe, modo non deſint judicia præterita, quorum ope præſentium recordamur.

Liquet idem a poſteriori in exemplis obviis. Ponamus Titium mane evigilare, auditaque hora quinta ſurgere, veſtes induere, preces ad Deum fundere, in Bibliis ſacroſanctis legere ac deinde ad labores conſuetos progredi. Ponamus majoris evidentiæ gratia, omnia hæc fieri ex intentione agentis, ita ut habeat animum agendi, quod agit. Quodſi jam meditemur, quomodo ſucceſſive cogitationes animum ſubeant; id explicari non poſſe animadvertes niſi per ratiocinii notionem. Nimirum Titius, dum evigilat, audit horologium ſonitu campanæ indicare horam quintam. Super perceptione ſua reflectens judicat, horam quintam jam audiri: quo facto propoſiti ſui recordatur, hora quinta eſſe ſurgendum, ac inde infert, ſibi jam eſſe ſurgendum. Latere in hiſce ſyllogiſmum ſequentem: Quando hora quinta auditur, ſurgendum mihi eſt. Nunc auditur hora quinta. Ergo nunc mihi ſurgendum eſt: ecquis non videt? Propoſitioni ſingulari ſurgendi non futurum fuiſſe locum, niſi duo ſtatus mentis præ-

ces-

Digitized by Google

ceſſiſſent, qui præmiſſis reſpondent vi principii rationis ſufficientis concluditur. Ponamus enim te non audire horam quintam ſonitu campanæ jam indicari, aut ſaltem ſuper perceptione nonreflectere; nulla erit ratio, cur ſurgendi propoſitum tibi in mentem veniat (§. 104.): id quod & a poſteriori innoteſcit, modo ad diverſos ſtatus diverſo tempore obtinentes attendere conſueveris. Ponamus te quidem audire, quod horologium loquatur horam quintam, immo te animum ad perceptionem præſentem reflectentem judicare, quod hora quinta jam audiatur, nunquam autem tibi fuiſſe propoſitum hora quinta ſurgendi: nec intelligere licet, quomodo vi ſolius perceptionis præſentis, vel etiam judicii de eo, quod percipitur, perveniatur ad propoſitum ſingulare, nec nos in caſu utoque ad idem pervenire experiemur. Quodſi vero ſupponas te jam antea propoſitum ſurgendi animo concepiſſe & jam audire, quod horologium loquatur horam quintam, qua ſurgere decreviſti, teque jam judicare, quod hora iſta audiatur, non modo hinc intelliges, cur propoſiti tui recorderis (§. 104), verum etiam cur propoſitum ſingulare jam ſurgendi locum habeat (§. 360.), conſequenter propoſiti hujus rationem ſufficientem habes; atque in hoc ſolo caſu tibi eſſe propoſitum ſurgendi ſpeciale, ſiquidem immediate ex perceptione ſonitus horologii horam quintam loquentis & memoria propoſiti antea animo concepti oriri debet, ipſo opere experieris. Quodſi jam porro propoſitum hoc exequeris tibique executionis conſcius es, hoc ipſo judicas, te jam ſurgere. Quare ſi antea animo concepiſti propoſitum veſtimenta induendi, dum ſurgis; hujus propoſiti meminiſſe (§. 104.) atque hinc porro ut ante inferre debes, veſtimenta jam eſſe induenda. Propoſitum adeo ſingulare induendi veſtimenta diſtincte explicabile per hunc ſyllogiſmum. Quando ſurgo, veſtimenta ſunt induenda. Jam ſurgo. Ergo jam veſtimenta induenda ſunt. In præſenti caſu non eſſe rationem ſufficien-

tem propoſiti veſtimenta induendi ſingularis, niſi utraque præmiſſa prævia; eodem prorſus, quo ante, modo oſtenditur. Quodſi dubites, te judicare, quod ſurgas, dum tibi conſcius es te ſurgere; id inde intelliges, quod quæſitus, quid facias, reſpondeas te ſurgere. Propoſitio enim hæc exprimit judicium, quod in præſenti caſu ſupponimus. Similiter dum tibi conſcius es, te veſtimenta induere; judicas utique quod jam veſtimenta induas &, actu finito, quod eadem indueris: unde quæſitus quid facias, vel quid feceris, reſpondes te veſtimenta induere, vel induiſſe. Quare ſi jam animo tuo ſedet propoſitum ubi veſtimenta induſti, preces ad Deum fundendi; hujus propoſiti recordatus colligis preces ad Deum jam eſſe fundendas. Atque adeo modus, quo determinatur actualitas propoſiti hujus ſingularis, denuo explicabilis per ſyllogiſmum, ſcilicet ſequentem: Quando veſtimenta induero, preces ad Deum ſunt fundendæ. Atqui veſtimenta jam induo. Ergo preces ad Deum ſunt fundendæ. In hoc enim demum contineri rationem ſufficientem actualitatis propoſiti ſpecialis fundendi ad Deum preces eodem, quo ante, modo innoteſcit. Dum propoſitum tuum ipſo opere executus preces ad Deum fudiſti & te hoc feciſſe tibi conſcius es; perinde ac ante intelligitur, te judicare quod jam preces ad Deum fuderis. Atque ita ulterius propoſiti tui recordaris, quod precibus ad DEum fuſis textus in ſacroſanctis Bibliis ſit legendus. Actualitas adeo hujus propoſiti per ſyllogiſmum ſequentem explicabilis: Quando preces ad Deum fudi, textus in ſacroſanctis Bibliis legendus. Atqui jam preces ad Deum fudi, Ergo jam textus in Bibliis legendus. Denique dum hoc propoſitum ipſo opere executus tibi conſcius es, quod jam textum in Bibliis legas, ulterioris propoſiti recordaris, quod a lectione Bibliorum ad labores conſuetos te conferre debeas. Hinc igitur infers ad labores conſuetos nunc eſſe accedendum. Propoſitum adeo ſingulare accedendi ad labores conſuetos quomodo naſcatur, denuo per ſyllo-

Digitized by Google

syllogismum hunc explicari potest. Quando textus in Bibliis lectus fuit, ad labores consuetos accedendum. Atqui jam textus in Bibliis lectus fuit. Ergo jam ad labores consuetos accedendum. Et ita per ratiocinia, saltem per latentia, series perceptionum continuatur ac appetituum, donec nova quadam sensatione interrumpatur. Idem innumeris aliis exemplis non minus obviis confirmare licet, modo ad singula animum attentum afferre & attentionem allatam in iisdem conservare didiceris: quod etsi adeo leve videatur, ut puerile reputetur, non tamen adeo leve deprehenditur, quemadmodum putatur, prout tentantibus apparebit.

Quæ a posteriori ad confirmandam propositionem præsentem in medium allata sunt, illustratione aliqua indigent, ne ad præcipitanda judicia adducantur qui sibi acumine præstare videntur, quo destituuntur. Notandum itaque est, quando status animæ per syllogismos explicabiles esse asseveramus, id non ita accipiendum esse, ac si mens nostra syllogismos formales formet tacite quasi sibimetipsi loquendo, quemadmodum accidere solet animum ad perceptiones suas reflectentibus; sed id unice defendi, quod perceptiones ac in iis latentes notiones singulis syllogismi propositionibus respondentes in mente successive se invicem excipiant, quodque perceptio respondens conclusioni consequatur ex perceptionibus, quæ per præmissas exprimuntur, quemadmodum ex præmissis in syllogismo consequitur conclusio. E. gr. Dum hora quinta auditur, non opus est, ut mentem subeant hæc verba: Hora quinta jam auditur; sed sufficit me mihi conscium esse ejus, quod auditu percipio, & significatus ejusdem confuse tantummodo recorder, immo prorsus obscure, ut mihi ejusdem vix ac ne vix quidem conscius sim: sufficit enim ita in ideis exhiberi quæ verbis hisce indigitantur: Jam hora quinta auditur. Similiter dum propositi surgendi hora quinta recordor; non opus est ut hæc verba musitem, Hora quinta mihi surgendum est. Ergo jam surgendum est; sed sufficit adesse in mente perceptiones, quibus continentur notiones propositionibus istis respondentes. Perceptiones nimirum constituunt status mentis, qui per modificationes animæ a se invicem discernuntur, quæ a facultatibus mentis oriuntur secundum leges in Psychologia stabilitas. In ipsa autem demonstratione propositionis jam docuimus, vi principii rationis sufficientis

tis diversos illos ſtatus in mente admittendos eſſe, qui ſingulis ſyllogiſmi propoſitionibus reſpondent, & eo modo conſequi ſtatum, quem concluſio exprimit, ex ceteris, qui per præmiſſas indigitantur, quomodo ex præmiſſis concluſio conſequitur. Deinde porro notandum eſt, quemadmodum eadem concluſio ex diverſis præmiſſis inferri poteſt; ita etiam ſtatum mentis, qui eidem concluſioni reſpondet, ex diverſis ſtatibus prævis conſequi poſſe atque ſolere. Sufficit itaque ſtatum iſtum in omni caſu ita conſequi ex prævis, ut modus, quo conſequitur, per ſyllogiſmum explicabilis ſit. Abſit itaque ut quis in dubium vocet ea, quæ ad confirmandam propoſitionem præſentem a poſteriori in medium adducta ſunt, quod ea in ſe aliter experiatur. Huc etiam pertinet, quod, quemadmodum judicia intuitiva ſubinde etiam per ratiocinia tanquam diſcurſiva inferantur, ita quoque ſtatus mentis, qui perceptionibus ſenſualibus continetur, ex aliis ſtatibus prævis conſequantur. Ita horam audiri quintam judicamus non ſemper ideo quod ſonitus campanæ aures feriat; ſed idem ſæpius colligimus ex perceptionibus aliis, veluti lumine ſolis orientis ab ædificio aliquo reflexi, vel actionibus aliorum hominum iſto tempore edi ſolitis & ita porro. Notandum denique me exemplum maxime vulgare ſtudio elegiſſe, ut propoſitio præſens facilius intelligeretur ac idea exemplaris analyſeos cogitationum menti ingeneraretur. Abſit itaque ut contemnatur id, in quo inexſpectata latet profunditas & quod maximam philoſophantibus utilitatem ſpondet, propterea quod per obvia intelligatur. Uſus præterea inſignis paulo poſt eluceſcet in notione demonſtrationis ad communem revocanda.

§. 394.

Alius modus, quo ſeries cogitationum continuatur.

Si ope notionis complexæ formentur plura judicia intuitiva ac per ea perveniatur ad totidem diſcurſiva, hinc vero denuo formetur notio complexa, vel formentur notiones complexæ plures, ac inde deducantur judicia alia per modum intuitivorum, per quæ ad alia diſcurſiva perventitur; ſeries cogitationum per ratiocinia continuatur. Etenim ſi ope notionis complexæ formantur plura judicia intuitiva ac per ea pervenitur ad totidem diſcurſiva; tot ratiociniis opus habemus, quot ſunt judicia diſcurſiva, quæ ex intuitivis colliguntur (§. 393.). Dum vero ex notionibus complexis, quæ judiciis iſtis diſcurſivis

ſivis ſimul ſumtis reſpondent, formantur denuo alia judicia per modum intuitivorum ac eorum ope ad alia diſcurſiva perveniturr; tot denuo ratiociniis opus habemus, quot prodeunt judicia diſcurſiva (*§. cit.*). Series igitur cogitationum in hypotheſi propoſitionis præſentis per ratiocinia continuatur.

Idem confirmatur a poſteriori exemplis obviis. Ponamus nos conſpicere pruna immatura. Duo igitur formare licet judicia intuitiva, nimirum quod fructus hi ſint pruna, & quod iidem ſint pruna immatura. Ponamus jam porro judicantibus in memoriam venire, quod pruna multum habeant in re œconomica uſum. Inferemus ergo: fructus, quos conſpicimus, multum habere in re œconomica uſum. Judicium hoc diſcurſivum verbis ſæpiſſime efferimus, dum pruna contuemur. Ponamus denique judicantibus pruna eſſe immatura incidere, quod pruna immatura diarrheas excitare poſſint, aut minimum tormina ventris. Inferemus ergo: fructus hos, quos conſpicimus, diarrheas excitare poſſe, aut minimum tormina ventris. Judicia diſcurſiva combinata exhibent hoc judicium, quod quaſi intuitivum eſt; fructus hi multum in re œconomica uſum habere ac dianheas, aut tormina minimum ventris excitare poſſe. Quod ſi igitur memoria tibi ſuggerat judicium aliquod præteritum, aut minimum notiones, unde iſtud naſcitur, fructum, qui in re œconomica multum habet uſum, & diarrheas aut tormina ventris excitare poteſt, eſſe & utilem, & noxium; inde ulterius colliges, fructus hoſce, quos conſpicis, eſſe & utiles, & noxios. Si porro recorderis, pruna eſſe in re œconomica utiles, quando clibano torrentur, aut in aheno conquuntur, ut in pultem abeant; hinc porro colliges, fructus, quos conſpicis, eſſe utiles, quando in clibano torrentur, aut in aheno coquuntur, ut in pultem abeant. Similiter ſi porro memineris pruna immatura recenter comeſta tormina ventris, vel diarrheas excitare adeoque noxios eſſe;

Digitized by Google

inde similiter colligis, fructus, quos conspicis, esse noxios, quando recentes comeduntur. Quodsi jam judicium discursivum, ad quod antea pervenisti, cum hisce conferas; inde judicium novum quasi intuitivum formas: Fructus, quos conspicis, esse utiles, si in clibano torrentur, vel in aheno coquuntur, ut in pultem abeant; esse autem noxios, si recenter comeduntur. Quamobrem ulterius recordatus usum esse appetendum, abusum noxium vitandum; hinc tandem colligis fructus, quos conspicis, esse vel in clibano torrendos, vel in aheno coquendos, ut in pultem abeant. Quodsi denique in mentem veniat, te & prunis tostis, & prunis in pultem redactis habere opus, & quantitatem, quæ tibi suppetit, utrisque sufficere intelligis ope ratiociniorum, quæ brevitatis causa omittimus; hinc tandem infers, partem fructuum, quos conspicis, in clibano torreri, partem reliquam in aheno coqui debere, ut in pultem abeant, atque ita pervenitur ad judicium decretorium de usu prunorum, quæ non prorsus hoc anno ad maturitatem pervenere.

Quæ de casu præcedente annotavimus (*not.* §. 393); ea etiam mutatis mutandis ad præsentem applicari possunt. Meretur tamen casus præsens singularem attentionem, ne per præcipitantiam in præjudicium noxium incidas, usum syllogismorum in explicanda continuatione seriei perceptionum vel prorsus rejiciens, quando occurrit casus, qui per theorma præcedens facilius explicari nequeunt, vel ad casum saltem priorem restringens, cum in posteriori frustra progressum perceptionum per theorema præcedens explicare conaris. Præterea observandum usum theorematis præsentis esse difficiliorem usu præcedentis, cum ad idem applicandum majore attentione opus sit, quam quæ ad applicationem anterioris requiritur. Quamobrem consultum est, ut quandam applicandi prius facilitatem tibi contrahas, antequam de applicatione posterioris cogites. Ceterum admiratione careret, quod anima secundum leges perceptiones suas continuet, quas ignorat, & quas intellectas sæpe non agnoscit, immo ubi eas jam novit, a se observari vix ac ne vix quidem advertit. Etenim eodem prorsus modo res sese habet in motibus mechanicis corporis. Secun-

Digitized by Google

cundum leges ſtaticas incedimus & corpus noſtrum in quoslibet ſitus componimus. Plerique tamen hominum illas ignorant &, ſi qui eas intelligunt, eas a ſe obſervari ignorant, nec ad motus ac ſitus corporis explicandos transferre valent, ita ut exiguus admodum ſit eorum numerus, qui hunc illarum uſum facere poſſit. Nemo igitur miretur, ſi eadem in perceptionibus obtineant, quæ quod in motibus corporis obtineant, in dubium vocari nequit. Abſit autem, ut tibi perſuadeas ſemper recurrendum hic eſſe ad ſyllogiſmos categoricos: ſæpius enim & hypotheticis, & disjunctivis, & aliis quibuscunque argumentandi modis locus eſt, prout caſus tulerit. Non opus eſt, ut exempla anxia ſollicitudine conquirantur. Si quis enim in poſterum ad ſeries perceptionum ſuarum attenderit, is quæ deſiderantur, ipſemet domeſtica experientia ſupplebit.

§. 395.

Identitas legum demonſtrationis & continuationis ſeriei perceptionum communium.

In demonſtrationibus cogitationes eadem modo procedunt, quo ſeries notionum ac perceptionum communiter continuantur. In demonſtratione enim oſtenſiva ex definitione, vel hypotheſi integra formatur propoſitio per modum judicii intuitivi, aut ex illius partibus plures formantur propoſitiones atque ſumuntur tanquam minores ſyllogiſmorum. In memoriam revocata propoſitione alia antea nobis jam cognita, quæ terminum cum iſta communem habet, ac in locum majoris in ſyllogiſmo ſurrogata, infertur concluſio & eodem modo inferuntur concluſiones plures, ſi plures ex definitione vel hypotheſi formatæ fuerint propoſitiones. Concluſiones, deinde ſumuntur ut præmiſſæ novorum ſyllogiſmorum, vel plures ſimul ſpectantur, ut notio complexa, formaturque inde propoſitio, quæ ſumitur ut præmiſſa novi ſyllogiſmi, atque præmiſſis iſtis ubi jungimus propoſitiones alias terminum communem habentes, novæ ulterius inferuntur concluſiones. Atque hoc pacto cogitationum ſeries continuatur in demonſtrationibus oſtenſivis (*§.* 551. 552. *Log.*) Neque diverſo ab hoc modo eadem continuatur in demonſtrationibus apogogicis, niſi quod propoſitio contraria

traria ei, quæ demonſtrari debet, ſumatur ut ante definitio, vel hypotheſis (§. 553. *Log.*). Enimvero eodem prorſus modo ſeries perceptionum communium continuatur (§. 393. 394.) In demonſtrationibus adeo cogitationes eodem modo procedunt, quo ſeries notionum ac perceptionum communiter continuantur.

Paralleliſmum hunc primum oſtendi in Lexico Mathematico, cum uſum ſyllogismorum in explicanda cogitationum ſerie oſtenderem (*not.* §. 392.). Ad eum clarius percipiendum conducit, ut & ſeries quædam cogitationum obviarum eo modo reſolvantur, quo in confirmandis theorematis huc ſpectantibus a poſteriori reſolutionem inſtituimus (§. 391. 392.), & demonſtrationes aliquot geometricæ ea lege reſolvantur, qua idem fecimus indolem demonſtrationis illuſtraturi (§. 551. & ſeqq. *Log.*). Quodſi enim ſolutiones iſtas inter ſe conferas, non ovum ovo iſtis ſimilius deprehendes. Etſi autem quis exiſtimare poſſet, reſolutionem ſeriei cogitationum obviarum in ſyllogiſmos faciliorem eſſe reſolutione demonſtrationum in eosdem; ipſo tamen facto contrarium experietur. Atque hinc patet ratio, cur iſte perceptionum progreſſus hactenus non ſatis ſit animadverſus, nec a nobis forſan animadverſus fuiſſet, niſi ante in demonſtrationibus reſolvendis diu multumque verſati fuiſſemus, quam in notionem progreſſus perceptionum inquiſiviſſemus. Suademus igitur ut alii exemplum noſtrum imitentur, qui paralleliſmum hunc penitius introſpicere geſtiunt: id quod ſua non carere utilitate, ex ſequentibus elucet.

§. 396.

Ordo cogitandi in demonſtrationibus.

Quoniam in demonſtrationibus cogitationes eodem modo procedunt, quo ſeries notionum ac perceptionum communiter continuantur (§. 395.) *in demonſtrationibus cogitationes procedunt ordine maxime naturali.*

Atque hinc intelligitur, cur demonſtrationes adeo evidentem reddant veritatem, modo in iis concipiendis fueris verſatus, & principia, quæ easdem ingrediuntur, fuerint familiaria, ita ut memineris, te jam antea eadem perſpexiſſe. Patet ſimul, cur demonſtrationes,

Digitized by Google

tiones, quas consummatas appello (§. 855. *Log.*), cetteris præstent, & cur in nova Elementorum Matheseos editione non postrema cura fuerit, quam demonstrationibus consummandis impendi.

§. 397.

Et quoniam probatio probabilis a demonstratione non differt nisi principiis (§. 388. *Log.*) consequenter cogitationes in eadem eodem ordine procedunt, quo in demonstratione se invicem excipiunt; *in probatione* quoque *probabili cogitationes procedunt ordine maxime naturali* (§. 396). *Ordo cogitationum in probatione probabili.*

Qui idem minime perspiciunt, probationes evolvere vel non solent, vel non possunt. Atque adeo non magis mirari convenit, si quando ordinem istum distincte non percipi observamus, quam ubi eum in serie perceptionum obviarum non animadverti experimur. Si probationes non fuerint spuriæ, sed genuinæ; ad eam constanter formam reduci possunt per distinctam explicationem, ut ordo iste eluceat. Cur in spuriis resolutio non succedat, patebit paulo post.

§. 398.

Quoniam probatio omnis vel probabilis est, vel demonstratio, prouti vel certo, vel probabiliter cognoscimus, quod probari debet (§. 574. 578.); *in omni probatione cogitationes ordine naturali procedunt.* (§. 396. 397.) *Ordo cogitationum in omni probatione.*

Probationem hic intelligi genuinam, non spuriam ex modo dictis patet (*not.* §. 397). Est nempe genuina, quæ vel certo, vel probabiliter evincit, quod erat probandum: spuria autem, quæ a genuina probationis forma deficit, adeoque nec veritatem, nec probabilitatem propositionis evincit, quæ probari debebat.

§. 399.

Quia in probatione omni cogitationes ordine naturali procedunt (§. 398.), adeoque eodem; *demonstrationes & probationes probabiles ejusdem cum illis formæ* (§. 588. *Log.*) omni *An omnidisciplinæ conveniant demonstrationes & probationes genuinæ formæ.*

Digitized by Google

omni disciplinæ conveniant, nec Matheſi vi objecti propria ſunt.

Cum demonſtrationes & probationes probabiles ejusdem cum ipſis formæ in Matheſi tantummodo uſu receptæ fuerint, in diſciplinis autem cæteris probationum legitima evolutio hactenus deſiderata fuerit; enarum hinc eſt præjudicium, quaſi demonſtrationes & probationes etiam probabiles ejusdem cum ipſis formæ ſint Matheſi propriæ vi objecti, de quo agit, nec ad alias diſciplinas, in quibus nobis non cum quantitate, ſed qualitatibus rerum negotium eſt, extendi poſſint. Poſtquam vero accuratiori methodo philoſophari cœpimus, idem ſucceſſive evaneſcit, aliis exemplum noſtrum imitantibus. Et cum in Horis ſubſecivis A. 1730. *Trim. brum. n. 2. Trim. vern. n. 2. & Trim. æſtiv. n. 2.* & regulis, & exemplis docuerimus, quomodo in ipſo Jure civili accurata methodus adhiberi debeat, & Cl. *Cramerus*, Collega conjunctiſſimus, qui jura accurata methodo maximo cum applauſu profitetur, in argumento ſingulari de pacto hereditario renunciativo filiæ nobilis ſpecimen ſingulare demonſtrationum in Jure dederit, & Cl. *Schreiberus* in Elementis Medicinæ phyſico-mathematicis eandem methodum ad artem ſalutarem applicaverit; non dubitamus fore, ut præjudicium iſtud ignaviæ patrocinans & incrementis eruditionis ſolidæ noxium tandem prorſus extirpetur.

§. 400.

Cur ſyllogiſmi formales in demonſtrationibus non animadvertantur.

Si quis analyſin demonſtrationum logicam negligit, nec in iis expendendis cum ſequitur ordinem, qui ex analyſi apparet; is ſyllogismos formales eorundemque concatenationem in iſtis non animadvertit. Qui enim analyſin demonſtrationum logicam negligit, is eas in ſyllogiſmos formales non reſolvit, nec ſyllogiſmos ac propoſitiones eo ordine collocat, quo ſe invicem in demonſtratione ordinata excipiunt, (*§. 551*, & ſeqq. item *§. 799. Log.*), conſequenter diſtincte non cognoſcit, quinam ſyllogiſmi demonſtrationem ingrediantur, quo ordine ſe invicem excipiant & quomodo vi præmiſſarum perveniatur ad concluſiones, adeoque notionem diſtinctam ſyllogiſmorum demonſtrationem ingredientium & concatenationis eorundem

Digitized by Google

dem non consequitur (§. 682. *Log.*). Quodsi quis porro in demonstrationibus expendendis eum non sequitur ordinem, qui ex analysi apparet; is non format ex notione subjecti judicia intuitiva, nec eorum ope in memoriam revocat principia terminum communem cum iis habentia, ac inde conclusiones infert, neque etiam in conclusiones ita illatas mentis aciem dirigit, ut ope termini unius in eadem obvii in memoriam sibi revocet propositionem aliam, quæ terminum communem habet, ac vi cujus novam infert conclusionem. Fieri igitur non potest ut vel confusa demonstrationis ordinatæ seu naturalis idea animo ejus ingeneretur, dum demonstrationes expendit (§. 799. 690. *Log.*). Quoniam igitur nec distinctam, nec confusam notionem resolubilitatis demonstrationum in syllogismos formales & concatenationis horum consequitur, qui analysin demonstrationum logicam negligit, nec in iis expendendis eum sequitur ordinem, qui ex analysi apparet; ut syllogismos formales eorundemque concatenationem in demonstrationibus animadvertat, fieri nequit (§. 80. 88. *Log.*).

Domestico idem confirmare possum exemplo. Quamdiu enim vulgari modo Matheſin edoctus in expendendis demonstrationibus non naturalem secutus fui ordinem, sine quo ex notione subjecti prædicatum distincte erui nequit, nec syllogismos formales adverti, qui demonstrationem ingrediuntur, nec genuinam eorundem concatenationem percepi. Enimvero ubi methodo analytica inquisivi, quomodo ex definitione, vel hypothesi, tanquam assumto, eruatur prædicatum tanquam quæsitum legitima ratiocinatione, in analysin logicam demonstrationum incidi, syllogismos formales, qui easdem ingrediuntur, detexi & eorum concatenationem perspexi. *Cartesius* in Dissertatione de methodo p. m. 11. se animadvertisse ait, syllogismorum formas aliaque fere omnia Logicæ præcepta non tam prodesse ad ea, quæ ignoramus, investiganda, quam ad ea, quæ scimus, aliis exponenda; vel etiam ut ars *Lullii* ad copiose & sine judicio de iis, quæ nescimus, garriendum. Non igitur agnovit ex sumta definitione vel hypothesi theorematis tanquam cognita constante

ratiociniorum nexu inferri tandem prædicatum tanquam ignotum, ubi demonſtrationem rite expenderis; ut cogitationes naturali ordine procedant. Unde apparet, ipſum de ſyllogiſmo non ex veritate pronunciare ſententiam, quod analyſin demonſtrationum logicam neglexerit, nec in iis expendendis eum ſecutus fuerit ordinem, qui ex analyſi apparet. Magis abjecte de ſyllogiſmo ſentit de *Tſchirnhauſen* in Medicina Mentis part. 2. p. m. 28. 29. ubi ne quidem hunc ejus uſum largitur, quem in veritate cognita clarius aliis exponenda conceſſit *Carteſius*, ſed rationem nexus inter prædicatum atque ſubjectum, quem demonſtratio manifeſtat, multo facilius absque ſyllogiſmo perſpici contendit: id quod denuo arguit, quod demonſtrationis naturalis ſeu ordinatæ ac naturalis coagitandi modi nullam habuerit notionem diſtinctam. In eandem ſententiam ivit *Lockius* de Intellectu humano lib. 4. c. 17. f. 295, qui fidenter pronunciat, nos optime tunc ratiocinari, quando argumenta contemplamur, prout inter ſe connexa ſunt, ſine regulæ cujusvis, aut ſyllogiſmi ſubſidio, atque prolixe contra ſyllogiſmos diſputat tandemque concludit, principium ſyllogiſmorum uſum eſſe in ſcholis, ubi homines haud raro [illegible] idearum, quæ inter ſe plane conveniunt, convenientiam [illegible] re, vel extra ſcholas apud eos, qui didicere ibi ſine rubore [illegible] idearum connexionem negare, quæ ipſis perſpicua eſt. Patet [illegible] ex iis, quæ de demonſtratione diſſerit lib. 3. c. 2. §. 2. & ſeqq. f. 236. ipſum ad genuinam demonſtrationum analyſin animum non adverſiſſe. Quoniam tantorum virorum autoritate hactenus plurimi fuerunt impediti; noſtrum eſſe putavimus hæc monere, ut ſublato impedimento veritati utili aſſenſus adjiciatur. Etenim ut præjudicium nocuum vitemus cavendum eſt, ne in Probationibus, ipſis demonſtrationibus perpendendis communem ſequamur morem, ut ſcilicet ad concluſionem reſpicientes omnium primo ex nobis ipſis vel aliis quæramus, cur propoſito iſta vera ſit, ſeu prædicatum ſubjecto conveniat & reſponſionis loco medium terminum allegemus, mox porro quæſituri, num vi ejus prædicatum ſubjecto tribui poſſit, ac adeſſe hic vim concludendi probaturi per allegationem propoſitionis majoris. Sane quamdiu hoc pacto demonſtrationes geometricas perpendi, genuinam earum indolem perſpicere minime potui. Sit ita viros inſignes *de Tſchirnhauſen & Lockium* tunc collegiſſe, quod absque ſyllogiſmorum formalium ſubſidio ita multo facilius veritatem perſpiciamus. Neque unquam demonſtratio ordinata ac completa, quam

uno

uno nomine conſummatam appello, ab eo expectanda erit, qui non alia via in demonſtrationibus aliorum conſipiendis incedit.

§. 401.

Si eidem notioni complexæ propoſitiones diverſæ reſpondere poſſunt, & ex iis in ratiocinando ea eligitur, quæ in formam ſyllogiſmi non quadrat; Syllogiſmus crypticus oritur. Etenim cum propoſitiones, quibus eadem notio complexa reſpondet, ſint æquipollentes (§. 278. *Log.*), ſalva veritate, quæ notioni ineſt, non verbis (§. 513. *Log.*), una alteri ſubſtitui poteſt, cumque vi termini communis cum propoſitione aliqua data in memoriam revocari poſſit, quæ ad formam ſyllogiſmi non quadrat (§. 104), eam retinemus, prouti occurrit. Quoniam igitur formæ ſyllogiſmi non convenit, etſi æquipolleat alteri, quæ in eandem quadrat *per demonſtrata*; ſyllogiſmus equidem legitimus eſt, ſeu in regulas non peccat, unde formam ſuam habet, ejus tamen genuina forma non apparet. Eſt igitur crypticus (§. 365. *Log.*). *Ortus ſyllogiſmi cryptici.*

Hanc eſſe genuinam rationem crypſis ſyllogiſticæ a poſteriori confirmatur. E. gr. ſyllogiſmus crypticus ſequens eſt (*not.* §. 439. *Log.*) Dimidium parallelogrammi eſt triangulum ſuper eadem baſi & ejusdem altitudinis. Sed hæc figura eſt triangulum cum parallelogrammo eandem baſin & altitudinem habens. Ergo hoc triangulum eſt dimidium parallelogrammi. Notio complexa reſpondens propoſitioni majori exhibet rationem duplam parallelogrammi ad triangulum ſuper eadem baſi & altitudinis ejusdem, vel rationem ſubduplam trianguli ad parallelogrammum ſuper eadem baſi & ejusdem altitudinis. Propoſitiones igitur æquipollentes ſunt: Dimidium parallelogrammi eſt triangulum ſuper eadem baſi & ejusdem altitudinis & Triangulum cum parallelogrammo ſuper eadem baſi conſtitutum & ejusdem altitudinis eſt dimidium parallelogrammi, ita ut ſalva notione, ſeu veritate rei, unam alteri ſubſtituere valeas. Similiter ſive dicas, hæc figura eſt triangulum cum parallelogrammo eandem baſin & altitudinem habens, ſive affirmes, hoc triangulum

Digitized by Google

cum parallelogrammo constitui super eadem basi & esse ejusdem altitudinis, una denuo eademque notio utrique propositioni respondet. Quodsi duabus propositionibus prioribus utaris tanquam præmissis, syllogismus crypticus est, quemadmodum in Logica (*loc. cit.*) jam ostendi; quodsi vero posteriores in eorum locum surroges, a crypsi liberatur syllogismus & in sequentem formæ utique manifestæ degenerat: Omne triangulum cum parallelogrammo super eadem basi constitutum & ejusdem altitudinis est dimidium parallelogrammi. Hoc triangulum cum parallelogrammo constitutum super eadem basi & ejusdem altitudinis est. Ergo hoc triangulum est dimidium parallelogrammi. Quodsi exempla cetera, quæ de syllogismis cryptices dedimus in Logica, attentius consideres; iisdem non minus, quam eo, quod modo in medium attulimus, veritatem propositionis præsentis confirmari intelliges. Crypses in ratiocinando frequentissimæ sunt ac inprimis ab iis non emendantur, qui distinctam formæ syllogismorum notionem animo comprehensam non habent. Accidit igitur ut non sufficiente ad talia attenti sibi aliter ratiocinari videantur, quam forma syllogistica præscribit, ita ut ea omnibus ratiociniis præscribi non posse judicetur. Intimius hæc perspiciet, qui inter judicia & propositiones distinguere noverit ac cognitionem symbolicam ad intuitivam reducere didicerit, quemadmodum supra præcepimus.

§. 402.

Ortus figura secunda & tertia syllogismorum.

Quoniam syllogismi figuræ secundæ & tertiæ sunt cryptici syllogismi in prima (§. 385. 397. *Log.*): *Syllogismi in secunda & tertia figura ortum trahunt ex eo, quod eidem notioni complexæ propositiones diversæ respondere possunt & ex iis in ratiocinando seligatur, quæ in formam syllogismorum primæ figuræ non quadrat.* (§. 401.)

Idem confirmari potest exemplo. In figura secunda argumentamur (*not.* §. 383. *Log.*): Nullum triangulum habet quatuor angulos. Omne Quadratum habet quatuor angulos. Ergo Nullum Quadratum est triangulum. Notio propositioni respondens majori exhibet repugnantiam inter figuram trianguli & quatuor angulos. Enimvero

Digitized by Google

vero eadem notio convenit quoque propoſitioni huic: Quæcunque figura habet quatuor angulos, illa non eſt triangulum, ſeu Nulla figura, quæ habet quatuor angulos, eſt triangulum. Quodſi vero hanc propoſitionem priori æquivalentem ſubſtituis; ſyllogiſmus in prima figura prodit. Quod adeo ſyllogiſmus ſecundæ figuræ loco alterius in prima prodierit ratiocinanti, id quidem inde eſt, quod notioni complexæ majori convenienti reſpondeant duæ propoſitiones æquivalentes, quarum una quadrat in formam figuræ primæ, altera in eandem non quadrat, hæc autem poſterior adhibita fuerit loco prioris, quia judicanti quadratum quatuor habere latera occurrit propoſitio quod nullum triangulum quatuor angulos habeat, cum in figuram trianguli & quadrati intentus judicare deberet figuram nullam, quæ quatuor angulos habet, triangulum eſſe. Idem eodem modo deprehenditur in exemplis cæteris quibuscunque ſyllogiſmorum ſecundæ figuræ E. gr. in modo *Cameſtres* argumentamur (*not.* §. *cit.*): Omne triangulum habet tres angulos. Nullum quadratum habet tres angulos. Ergo nullum quadratum eſt triangulum. Propoſitioni majori reſpondet notio quæ figuram tribus lineis comprehenſam cum tribus angulis exhibet. Enimvero vi ejusdem notionis judicare etiam licet, quod nulla figura, quæ tres angulos non habet, ſit triangulum. Quodſi hanc propoſitionem in locum prioris ſurroges, prodit ſyllogiſmus in prima figura: Nulla figura, quæ tres angulos non habet, eſt triangulum ſeu quæcunque figura non habet tres angulos, ea triangulum non eſt. Atqui Nullum quadratum habet tres angulos. Ergo Nullum Quadratum eſt triangulum. Hinc igitur denuo per propoſitionem præſentem explicari poteſt, cur loco ſyllogiſmi in prima figura prodeat ſyllogiſmus in ſecunda. Supereſt ut exemplum in tertia figura exhibeamus, quo veritas propoſitionis præſentis itidem confirmetur. In modo *Felapton* ita argumentamur (*not.* §. 390. *Log.*): Nullus vere doctus invidet alteri doctrinam. Omnis vere doctus eſt homo. Ergo quidam homo non invidet alteri doctrinam. Propoſitioni minori reſpondet notio, quæ exhibet veram doctrinam tanquam homini competentem, non omni, ſed cuidam ſaltem. Quamobrem vi ejusdem notionis judicare licet, quod quidam homo ſit vere doctus. Quodſi hanc propoſitionem ſurroges in locum prioris, prodit ſyllogiſmus in prima figura: Nullus vere doctus invidet alteri doctrinam. Quidam homines ſunt vere docti. Ergo. Quidam homines non invident alteri doctrinam. Hic igitur

denuo

denuo per propositionem praesentem dari potest ratio, cur ratiocinanti prodeat syllogismus figurae tertiae loco primae.

§. 403.

An per syllogismos perveniatur ad conclusionem incognitam.

Vi praemissarum ante cognitarum perveniri datur ad conclusionem nondum cognitam. Probant id exempla, quibus notionum ortum ex ratiociniis (§. 391.) & modum continuationis seriei perceptionum (§. 393. 394) a posteriori stabilivimus. Etenim ibidem formavimus judicium aliquod intuitivum, quod minoris locum tuebatur in syllogismo. Ejus ope in memoriam nobis revocavimus propositionem aliam, quam alias cognoveramus (§. 104.) & inde combinatis terminis diversis formata fuit propositio, quae conclusioni syllogismi respondet. Praemissae igitur ante cognitae nobis erant, quam conclusio innotesceret, adeoque vi praemissarum ante cognitarum perveniri datur ad conclusionem nondum cognitam. Idem eodem modo patet ex analysi demonstrationum tam ostensivarum (§. 551. 552. *Log.*), quam apogogicarum (§. 553. 559. *Log.*).

Vulgo propositio praesens in dubium vocatur, immo prorsus negatur, quod in eadem affirmatur, & contrarium defenditur, scilicet quod nota esse debeat conclusio cum medio termino, antequam syllogismus formari possit, propterea quod in scholis adolescentes ex datis conclusione atque medio termino syllogismos construere docentur. Praejudicium hoc adeo invaluit, ut nec viri acumine praestantes ab eodem prorsus fuerint immunes. Exemplo nobis est *Cartesius*, quem modo negantem vidimus, syllogismos formales alium habere usum quam ad ea, quae scimus, aliis exponenda, vel ad copiose & sine judicio de iis, quae nescimus, garriendum: id quod etiam *Erhardus Weigelius* in Philosophia, quam vocat, Mathematica probat. Enimvero si quis ea attente considerat, quae ad evincendam veritatem propositionis praesentis in medium adduximus; is a praejudicio isto liberabitur, etsi eodem imbutum tenaciter habeat animum, modo habuerit animum veritatis cupidum.

§. 404.

Digitized by Google

§. 404.

In syllogismo tam categorico, quam hypothetico status mentis futurus nascitur ex præsente mediante præterito. In syllogismo enim categorico, sive is locum habeat in serie perceptionum explicanda (§. 392), sive in demonstrationibus (§. 395), propositio minor est judicium intuitivum, major vero propositio est judicium, quod vi minoris memoria nobis suggerit (§. 393. 394. *Psychol.* & §. 551. & seqq. *Log.*). Judicium intuitivum cum tribuat enti cuidam, quæ in ipsius notione continentur (§. 51); entis illius idea animo præsens obversari debet, dum judicamus, consequenter minor propositio in syllogismo categorico exprimit statum mentis præsentem. Quando ope alicujus syllogismi infertur conclusio, termini præmissarum diversi combinantur (§. 365.), consequenter subjectum nobis repræsentantes cum prædicato præsentem quendam mentis statum in nobis experimur. Quare etiam in hoc casu, ubi conclusio syllogismi antecedentis sumitur loco minoris in sequente, minor propositio exprimit statum mentis præsentem. Quoniam majorem propositionem memoria nobis suggerit, notionem isti respondentem (§. 520. 521. *Log.*) jam antea habuimus (§. 226), consequenter ea exprimit statum mentis præteritum, qui denuo præsens fit. Jam vero ex terminis diversis in propositione majore ac minore componitur conclusio (§. 365), quæ exprimit statum aliquem mentis præsentem *per demonstrata*. Patet itaque in syllogismo categorico statum mentis, qui præsens fieri debet, adeoque futurum enasci ex præsente quodam mediante præterito alio.

Quomodo status mentis ex aliis in ratiocinando enascatur.

Similiter in syliogismo hypothetico, sive is in demonstratione, sive in serie perceptionum explicanda locum habeat (§. 392. 393), antecedens quod ponitur, vel consequens quod tollitur, est judicium intuitivum, vel conclusio per syllogismum antecedentem illata, vel ex plurium syllogismorum conclu-

sionibus per modum judicii intuitivi formata propositio (§. 395. 394. *Psychol.* & §. 551. & seqq. *Log.*), consequenter sicuti in categorico exprimit statum mentis præsentem. Propositionem hypotheticam, cujus antecedens ponitur, vel consequens tollitur, memoria nobis suggerit, adeoque eodem, quo ante, modo patet, quod statum mentis præteritum exprimat, qui denuo præsens fit. Jam vero in conclusione ponitur consequens, vel tollitur antecedens (§. 410. *Log.*), quam exprimere statum aliquem mentis præsentem ex iis, quæ modo demonstrata sunt, evidens est. Patet igitur denuo in syllogismo quoque hypothetico statum mentis, qui præsens fieri debet, adeoque futurum enasci ex præsente quodam mediante præterito alio.

Idem probatur à posteriori in medium allatis exemplis, quibus propositionis veritas redditur illustrior. Etenim si pirum intuentes judicamus eam esse arborem ac recordati arbores autumno folia deponere inferimus, quod hæc pirus folia sua deponere debeat autumno; triplicem omnino in nobis experimur mentis statum. Primus nimirum est, quo pirum intuentes ejus nobis conscii sumus atque judicamus, quod ex arborum numero sit: quem esse præsentem nemo in dubium vocat. Dum recordaris arbores autumno folia deponere, tibi utique repræsentas, quod antea expertus es multiplici vice, adeoque statum mentis præteritum tibi repræsentas. Non potuisses foliorum autumno decidentium recordari, nisi decidentia antea observasses, adeoque status præteritus necessario præsupponendus, antequam ratiocinans minori possis jungere majorem. Dum denique judicas, pirum hanc autumno folia sua deposituram vel deponere debere, tertius oritur status mentis, a duobus ceteris & tempore, & re diversus. Enimvero quia non judicasses, pirum hanc folia sua autumno deposituram esse, nisi antea judicasses, pirum hanc esse arborem & arborem folia sua deponere autumno; status iste mentis,

quo

Digitized by Google

quo tibi repræsentas pirum tanquam folia deposituram autumno, adeoque statum aliquem arboris futurum, enascitur ex præsente aliquo mentis statu mediante præterito. Et idem eodem modo patet in quocunque exemplo alio syllogismi categorici.

Non minus clara est propositionis præsentis veritas in casu syllogismi hypothetici. Ponamus enim nos judicare nunc esse autumnum, & recordatos, si autumnus est, arbores folia deponere debere, inferre quod nunc arbores folia sua deponere debeant; evidens est nos denuo triplicem mentis statum in nobis experiri, qui ordine se invicem excipiunt. Primus nimirum est, quo judicamus esse autumnum, quocunque tandem modo ad hoc judicium perveniamus. Sufficit enim statum istum tunc temporis esse præsentem, quo judicamus nunc seu hoc tempore esse autumnum. Dum recordaris, si autumnus est, arbores folia sua deponere debere, tibi utique repræsentas, quod multiplici vice expertus es, adeoque statum quendam mentis, qui ex pluribus præteritis compositus est. Non potuisses recordari hujus judicii, nisi antea idem ex multiplici experientia derivasses, aut idem ex eadem formares, quatenus eorum, quæ expertus es, recordaris. Atque ita patet mentis aliquem statum præteritum denuo reproduci. Dum denique judicas, arbores nunc folia sua deponere debere; tertius oritur status mentis ex anterioribus, ab iis & tempore, & re diversus, consequenter ex præsente aliquo mediante quodam præterito. Et idem eodem modo patet in quocunque exemplo alio syllogismi hypothetici.

Non puto fore aliquem, qui in dubium vocet, diversos judicandi actus diversos esse status mentis: alias enim ex definitione status (§. 705. *Ontol.*) facillima foret probatio. Etenim quis dubitat, judicandi actus, quorum alius alium sequitur, esse e numero mutabilium, quæ menti insunt? Et, ubi dubitaverit, per notionem mutabilis convincetur (§. 290. *Ontol.*). Quare cum mutabilium determina-

minatione enaſcatur ſtatus rei (§. 705. *Ontol.*); ſinguli iſti judicandi actus, quibus ratiocinatio abſolvitur, totidem mentis ſtatus conſtituunt peculiares. Etſi autem propoſitio præſens inter res levis momenti referenda videri poſſit, ut ejus veritatem tanto apparatu adſtrui ſuperfluum habeatur; ſuo tamen tempore in Moralibus patebit, quantum momentum in eo poſitum ſit, ut intelligamus, quomodo ſtatus præteriti influant in præſentem.

§. 405.

Quomodo ſtatus futurus e præſenti prodeat vi ſyllogiſmi categorici.

Quoniam in ſyllogiſmo categorico præmiſſæ terminum communem habent, in concluſione autem termini præmiſſarum diverſi combinantur (§. 333. *Log.*); *Vi ſyllogiſmi categorici ſtatus futurus prodit ex præſente atque præterito, quatenus præſens quidpiam ex præterito habet.* Patet idem in exemplo quocunque ſingulari. Sumamus obvium, ad quod paulo ante (§. 404.) provocavimus: Hæc pirus eſt arbor. Omnis arbor folia ſua deponere debet autumno. Ergo hæc pirus folia ſua autumno deponere debet. Præmiſſæ terminum communem habent arborem, atque adeo in ſtatu præſenti, qui minori reſpondet, & præterito, ad quem major refertur, commune quidpiam deprehenditur, ſcilicet arboris repræſentatio. Ut concluſio prodeat, combinantur termini præmiſſarum diverſi, quibus pirus & foliorum autumnali tempore depoſitio denotantur. Status igitur mentis, quo ſibi repræſentat pirum tanquam folia deponentem una cum autumnali tempore, naſcitur ex præſente & præterito, quatenus præſens ac præteritus quidpiam commune habent, ſeu quatenus quidpiam eſt in præſenti, quod erat in præterito.

Quod ex præſente ac præterito ſtatu præſens enaſci minime potuiſſet, niſi uterque quidpiam commune habuiſſet, tum ex eo intelligitur, quod ſine medio termino non poſſit inferri concluſio; tum etiam inde patet, quod poſita minore non ſimul poſita fuiſſet major.

§. 406.

Digitized by Google

§. 406.

Vi ſyllogiſmi hypothetici ſtatus futurus prodit ex præſente atque præterito, quatenus præſens cum futuro in præterito continetur. Syllogiſmorum hypotheticorum duo ſunt modi, ponens & tollens (§. 409. 410. *Log.*) In ponente ponitur antecedens & vi ejus in memoriam revocatur propoſitio hypothetica, ſi antecedens eſt, etiam conſequens eſt, ac inde infertur, quod conſequens ſit (§. 409. *Log.*). Quoniam itaque poſitio antecedentis deſignat ſtatum quendam mentis præſentem, propoſitio vero hypothetica, quæ in memoriam revocatur, præteritum, nec conſequens poneretur, niſi poſito antecedente memoriam ſubiret propoſitio ex antecedente atque conſequente compoſita; evidens eſt ſtatum mentis qui poſitione conſequentis determinatur, oriri ex præſente atque præterito, quatenus præſens, poſitio ſcilicet antecedentis, atque futurus, ſeu novus qui oritur, poſitio nimirum conſequentis, in præterito, propoſitione nimirum hypothetica, ſimul continentur. *Modus quo ſtatus futurus oritur vi ſyllogiſmi hypothetici.*

In modo tollente tollitur conſequens & vi ejusdem in memoriam revocatur propoſitio hypothetica, ſi antecedens eſt, etiam conſequens eſt, ac inde infertur, quod antecedens non ſit (§. 409, *Log.*) Quoniam itaque ſublatio conſequentis deſignat ſtatum quendam mentis præſentem, propoſitio vero hypothetica, quæ in memoriam revocatur, præteritum, nec antecedens tolleretur niſi ſublato conſequente memoriam ſubiret propoſitio ex antecedente atque conſequente compoſita; evidens eſt, ſtatum mentis, qui ſublatione antecedentis determinatur, oriri ex præſente atque præterito, quatenus præſens, ſublatio ſcilicet conſequentis, atque futurus, ſublatio nimirum antecedentis, in præterito, propoſitione nimirum hypothetica, ſimul continetur.

Digitized by Google

Idem etiam confirmatur a posteriori exemplo quocunque singulari syllogismi hypothetici. Ponamus enim nos in historico aliquo scripto legere, quod, cum quid fieret, arbores foliis condecoratæ fuerint, atque in memoriam nobis revocari propositionem hypotheticam, si arbores foliis condecoratæ sunt, hiemem non esse, indeque colligere, quod tunc temporis, quo illud contigit quod narratur, hiems non fuerit; evidens est ex statu præsente, quo judicas, arbores foliis fuisse condecoratas, cum quid fieret, & statu præterito quo tibi innotuit, si arbores foliis condecoratæ sunt, hiemem non esse, ideo enasci statum novum, quo judicas, tunc non fuisse hiemem, quo contigit quod narratur, quod in statu præterito judicaveras, si arbores foliis condecoratæ sunt, hiemem non esse, adeoque non minus id, quo status præsens determinatur, nempe repræsentatio arborum foliis condecoratarum, quam id, quod ei qui producitur proprium est, repræsentatio temporis ab hieme diversi, in eodem continetur.

Eodem prorsus modo id in modo tollente liquet: ad quem exemplum idem facile accommodatur, si propositionem hypotheticam ita efferas: si hiems est, foliis condecoratæ non sunt arbores. Etenim quando judicas, foliis condecoratas esse arbores, tum consequens tollitur, & dum judicas non esse hiemem, antecedens tollitur. Ita nimirum ratiocinaris: Arbores foliis condecoratæ sunt. Si hiems est, arbores foliis condecoratæ non sunt. Ergo hiems non est. Status itaque judicantis non esse hiemem nascitur ex statu præsente judicantis arbores foliis condecoratas esse & præterito judicantis, si hiems est, arbores foliis condecoratas non esse, propterea quod is, qui nascitur, una cum præsente in præterito simul continetur.

Digitized by Google

In propositione præsente continetur ratio a priori, cur status mentis, qui conclusione syllogismi hypothetici designatur, ex præsente aliquo & præterito simul nascatur. Attentus enim ex ipsis facultatibus animæ intelligit, quomodo idem contingat. Atque eadem tenenda sunt de propositione præcedente quoad syllogismos categoricos.

§. 407.

Modus, quo vi syllogismi disjunctivi status mentis unus ex altero nascitur.

Vi syllogismi quoque disjunctivi status futurus mentis prodit ex præsente atque præterito, quatenus præsens cum futuro in præterito simul continetur. Etenim in syllogismo disjunctivo membro uno vel pluribus membris positis tollitur vel membrum alterum, vel cetera membra tolluntur, aut unum quod relictum seu non positum fuerat, & contra ceteris sublatis ponitur unum (§. 417. *Log.*) Quamobrem si membrum vel plura membra, quæ ponuntur, consideres ut antecedens propositionis hypotheticæ; erit membrum, quod tollitur, consequens ejusdem, si membrum, quod tollitur, vel plura membra, quæ tolluntur, consideres ut antecedens propositionis hypotheticæ; erit membrum, quod ponitur, consequens ejusdem, atque in utroque casu syllogismus disjunctivus degenerat in hypotheticum modi ponentis (§. 410. *Log.*). Enimvero in syllogismo hypothetico status futurus mentis, qui determinatur conclusione, nascitur ex præsente, quem refert antecedentis positio, & præterito, qui propositione hypothetica designatur, propterea quod is, qui nascitur, una cum præsente in præterito continetur. (§. 406.) Ergo etiam vi disjunctivi eidem æquipollentis status præsens ex præsente ac præterito nascitur, propterea quod præsens ac is, qui nascitur, in præterito simul continentur.

Idem clarissime perspicitur a posteriori in exemplo quocunque syllogismi disjunctivi. E. gr. syllogismus sequens disjunctivus est (§. 419. *Log.*). Aut anima est substantia simplex, aut

aut compoſita. Sed eſt ſubſtantia ſimplex. Ergo non eſt compoſita. Quoniam itaque minor reſpondet judicio aſſumto, quo mediante propoſitio disjunctiva in memoriam revocatur (§. 117); ſtatus judicantis animam non eſſe ſubſtantiam compoſitam naſcitur ex ſtatu judicantis quod ſit ſimplex, propterea quod præceſſit ſtatus judicantis, aut animam eſſe ſubſtantiam ſimplicem, aut compoſitam. Idem eodem patet, ſi exemplum aliud quodcunque elegeris.

Quod de ſyllogiſmis categoricis, hypotheticis & disjunctivis evicimus, idem de ratiocinatione polyſyllogiſtica & mixtim compoſita oſtendi poterat, de qua diximus alias. (§. 494. & ſeqq. *Log.*) Enimvero cum hæc facile per ſe intelligat, qui ad anteriora animum advertit; ut plura eam in rem dicamus opus non eſt.

§. 408.

Status quo ſenſu gravidus & impragnari dicatur.

Status præſens dicitur *gravidus futuri*, quatenus ex eo & vi ejus futurus ſequitur. Dicitur idem *imprægnari* a prærerito, quatenus mediante præterito aptus efficitur, ut inde ſequi poſſit futurus, ſen quatenus accedente præterito ex eo ſequitur futurus.

Modos hos loquendi hic explicare libuit, cum ſubinde de anima uſurpentur, & ex iis intelligantur, quæ modo de ſyllogiſmis demonſtrata ſunt: quemadmodum ex corollario ſequente patet.

§. 409.

Quando ſtatus præſens ſit gravidus & impregnetus a præterito.

Quoniam tam in ſyllogiſmo categorico, quam hypothetico, immo disjunctivo utpote huic æquipollente vi demonſtrationis præcedentis (§. 407.) ſtatus mentis futurus naſcitur ex præſente mediante præterito, ſeu quando hic ad illum accedit (§. 404. & ſeqq.); *in ſyllogiſmo tam categorico, quam hypothetico & disjunctivo ſtatus præſens eſt gravidus futuri, quod imprægnetur a præterito.*

Atque

Digitized by Google

Atque ita ad ſenſum manifeſtum & obvium reduximus verba, quæ ad notiones confuſas relata ſublime quid ſpirare videntur & ægre percipiuntur. Noſtra enim philoſophia, quam non ad pompam compoſitam eſſe jam alias monuimus, ad obviam perſpicuitatem reducit ſublimia atque profunda, ut vel ideo contemnenda videantur iis, qui inexpectatam profunditatem in obviis pervidere adſueti non ſunt: neque enim magnificis verbis elata ad caſus intricatos atque difficiles applicamus, quæ ex obviis perſpicuitatem hauriunt. Agedum itaque applicemus corollarium præſens ad unum vel alterum exemplum, ut penitus comprehendatur. Categorice ita argumentamur. Hæc pirus, quam contuemur, arbor eſt. Arbor folia ſua deponit autumno. Ergo etiam hæc pirus folia ſua deponit autumno. Judicium primum intuitivum eſt, quod formatur de re oculis noſtris obverſante atque ex eo ſequitur diſcurſivum, quod eadem hæc pirus folia ſua autumno deponat, quia id ante cognovimus de arbore quacunque. Ex ſtatu præſente per ſe non ſequitur futurus, neque enim ideo judicas, quod hæc pirus folia ſua autumno deponat, quia cognoveras pirum hanc eſſe arborem, atque adeo per ſe ſtatus præſens futuri gravidus non eſt. Enimvero ideo fieri poteſt, ut judicio intuitivo, quod pirus hæc ſit arbor, perveniatur ad diſcurſivum, quod folia ſua deponat autumno, quod olim cognoviſti, arborem folia deponere autumno, atque judicii hujus præteriti recordaris. Atque ita ſtatus præſens impræ gnari poteſt a futuro, quatenus vi termini communis in memoriam revocari poteſt judicium præteritum, dum in præſens attentionem dirigis. Et a præterito actu impræ gnatur præſens, quatenus judicium præteritum actu in memoriam revocatur. Sicque gravidus actu efficitur futuri, atque jam vi ejusdem naſcitur qui futurus erat, dum ex præſenti infertur concluſio. Facile autem apparet, cur præſens ſtatus ante impræ gnari debeat a præterito, quam futuri actu ſit gravidus: fieri nimirum poteſt, ut ad idem judicium intuitivum diverſa accedant judicia præterita atque adeo vi ejusdem judicii intuitivi ad diverſa perveniatur judicia diſcurſiva. E. gr. in noſtro exemplo, quando judicas pirum, quam contueris, eſſe arborem, ubi memoria tibi ſuggerit propoſitionem olim cognitam, quod arbor omnis vere frondes emittat, ad judicium diſcurſivum pervenis, hanc pirum frondes vere emittere, a ſuperiori utique diverſum. Quodſi recorderis, arborem omnem nutrimentum per radices attrahere; judicium diſcurſivum, ad quod pervenitur, hoc erit, quod hæc pirus nutrimentum per radices attrahat.

Digitized by Google

Ponamus jam porro, te hypothetice argumentari: Hæc pirus arbor eſt. Si pirus arbor eſt, folia ſua autumno deponet. Ergo pirus hæc folia ſua autumno deponit. Quia judicium intuitivum, hæc pirus arbor eſt, in præterito hypothetico, ſi pirus hæc arbor eſt, folia ſua autumno deponit, continetur, nec minus in eodem continetur quod inde infertur, pirus hæc autumno folia ſua deponit; ſtatus præſens gravidus futuri efficitur denuo, dum a præterito impræg-natur. Niſi enim ad judicium intuitivum accederet hypotheticum, concluſionem inferre minime liceret.

§. 410.

Ratio ſufficiens illationis concluſionis in conſequentia immediata an inſit præmiſſa.

In conſequentiis immediatis non continetur ratio ſufficiens in præmiſſa, cur inde inferatur concluſio. Patet id per exempla cuncti. E. gr. ex contradictoria oppoſitione ita argumentamur: Omnis invidus miſer eſt. Ergo falſum eſt quendam invidum non eſſe miſerum. Sane ex eo, quod judicas, omnem invidum miſerum eſſe, non intelligis, cur mentem ſubeat judicium, falſum eſſe, quod quidam invidus non ſit miſer. In priori itaque judicio, quæ præmiſſa eſt, non continetur ratio ſufficiens, cur poſterius potius, quam aliud mentem tuam ſubeat (§. 56. *Ontol.*). Idem per indirectum ita oſtenditur. Ponamus rationem ſufficientem contineri in præmiſſa, cur mentem ſubeat concluſio. Quoniam poſita ratione ſufficiente ponitur id, quod propter eam potius eſt quam non eſt (§. 118. *Ontol.*); neceſſe eſt, ut, ſi quis cogitet, omnem invidum eſſe miſerum, ejus mentem ſubeat propoſitio falſum eſſe quendam invidum non eſſe miſerum; id quod experientiæ repugnat, quæ aperte loquitur contrarium, ſcilicet quod præterea aliud quid adhuc requiratur, veluti quod utraque propoſitio memoriæ ſimul impreſſa fuerit, ut una refricet memoriam alterius (§. 117).

Similiter ex ſubalternatione ita argumentamur; Omnis homo eſt mortalis. Ergo quidam eſt mortalis. Patet hic denuo ut ante in præmiſſa, omnis homo eſt mortalis, non con-

Digitized by Google

contineri rationem sufficientem, cur animum tuum subeat conclusio, quidam homo est mortalis. Et si sumas, in illa rationem sufficientem hujus contineri, idem eodem, quoante, modo experientiæ repugnare deprehendes. Immo plures sunt propositiones, quæ per legem imaginationis (§. 117.) tibi succurrere possunt, quam quæ hic conclusionis loco ponitur, veluti quod tu sis homo, quod Rex sit homo & ita porro.

Si quis à rectis ad obliqua argumentatur: omne triangulum est figura. Ergo qui triangulum describit, figuram describit; perinde liquet, ex præmissa non patere, cur tibi succurrat conclusio, consequenter nec in ea contineri rationem sufficientem, cur ope ejus ad conclusionem pervenias. Et ita sese res habet in exemplo quocunque alio.

Enimvero propositio præsens in genere quoque demonstratur hunc in modum. Quodsi mentis aciem in præmissam intendis, distinguere non potes nisi subjectum & prædicatum (§. 199. 200. *Log.*) Quamobrem si ad subjectum attendis, in memoriam revocatur propositio terminum, quo idem denotatur, communem habens; si ad prædicatum attendis, memoriam subibit propositio terminum, quo hoc indigitatur, communem habens, si scilicet intentio fuerit propositionis alicujus in memoriam revocandæ (§. 117.), quoniam citra hanc intentionem etiam succurrere possunt ideæ præteritæ, rem eandem, quæ subjecti vel prædicati vicem tenet, cum aliis una perceptis repræsentantes (§. *cit.*). Quare cum plures esse possint propositiones, quæ cum data præmissa locum tuente terminum communem habent; nulla adest ratio, cur ea potius succurrat, quæ conclusionis loco est, quam ceterorum aliqua. Sola igitur præmissa rationem sufficientem non continet, cur inde ad conclusionem pervenias.

Non jam quæritur, an ex præmissa legitime inferatur conclusio, ut argumentationi insit vis concludendi; sed an data præmissa sola nec alio quopiam præsuppositio vi facultatum mentis perveniri possit ad conclusionem: quod posterius hac propositione negatur.

§. 411.

Ratio cur per consequentiam immediatam ratiocinemur.

Si de propositione data judicia logica formes & perspecta fuerint theoremata de propositionibus se mutuo pocentibus; ex propositione data tanquam præmissa inferes conclusionem. Et enim si de propositione data judicium aliquod logicum formes, tibique perspectum fuerit theorema aliquod, quod posita istiusmodi propositione ponenda etiam sit alia quædam; hæc propositio mentem tuam subibit (§. 117.), adeoque hinc inferes, posita propositione priori ponendam quoque esse aliam quandam beneficio syllogismi categorici (§. 360. 361): quod dum facis, per immediatam consequentiam ex propositione data infers aliam.

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus te aciem mentis convertere in propositionem, qua affirmatur, omnem hominem esse mortalem, atque perpendere propositionis hujus universalitatem; judicium logicum de eadem formas, scilicet quod propositio sit universalis, seu, quod eodem recidit, quod hic aliquid affirmetur de omni (§. 242. *Log.*). Quare si perspectum tibi fuerit theorema logicum, posita quacunque propositione universali, adeoque in casu præsenti, ea, qua affirmatur, omnem hominem esse mortalem, ponendam quoque esse quamvis subalternantem, veluti hic eam, qua affirmatur, quosdam homines esse mortales (§. 451. *Log.*); vel si perspectum tibi fuerit theorema, quicquid affirmatur de omni, illud etiam affirmandum de quovis, adeoque & de quibusdam sub omni contentis (§. 346. *Log.*), consequenter quod de omni homine affirmatur, idem quoque affirmandum esse de quibusdam hominibus; propositionis alterutrius recordatus (§. 117.) utique inferes, quosdam homines esse mortales.

Hinc

Idem patet in omni casu reliquo consequentiarum immediatarum. Sed praestat per modum corollarii deducere eorum, cum iisdem insint principia generalia; quae sic rectius memoriae mandantur & in futuros usus ad ratiocinandum asservantur.

§. 412.

Si de propositione universali formes judicium logicum, quod sit universaliter vera, & familiaris fuerit propositio, si verum est praedicari quid universaliter posse de omni, falsum est in particulariter praedicari non posse de quibusdam sub omni contentis: inde infers in casu speciali ex universaliter affirmante, falsum esse praedicatum ejus negari posse de quibusdam subjecti. Etenim si de propositione universali judicas, quod sit universaliter vera, & familiaris fuerit propositio, si propositio universaliter vera est, praedicatum ejus de quibusdam subjecti removeri nequit *per hypoth.* hujus recordatus (§. 117.) infers praedicatum propositionis datae non posse removeri de quibusdam subjecti. Quamobrem in casu speciali, veluti quod omnis homo sit mortalis, vi syllogismi illius generalis infers, falsum esse, quod quidam homines non sint mortales (§. 411). *Ratio illationis in consequentiis immediatis ex oppositione.*

Confirmatur veritas propositionis praesentis a posteriori eodem, quo usi sumus, exemplo. Ponamus enim te attendere ad propositionem, omnis homo est mortalis, & judicare, quod universaliter verum sit, omnem hominem esse mortalem. Beneficio hujus judicii tibi succurrit propositio: si universaliter verum est, omnem hominem esse mortalem, falsum est quosdam homines non esse mortales. Atque hinc infers: falsum esse, quod quidam homines non sint mortales. Et hac demum ratione patet, cur ex eo, quod judicaveras omnem hominem esse mortalem, pervenias ad propositionem, falsum esse quod quidam homines non sint mortales.

Digitized by Google

Probe notandum eſt, quemadmodum dictum de omni & nullo non diſtincte intelligitur ab omnibus ratiocinantibus, qui eodem utuntur; ita quoque ſyllogiſmum generalem non intelligi ab omnibus qui ſpecialibus utuntur, quibus generalis ineſt. In ſcientiis autem, ubi univerſalium habetur ratio, nec ſingularia aut ſpecialia iſtis æquipollentia locum habent, ſyllogiſmi generales explicandi ſunt, quorum deinde applicatione argumentationem magis poteſtati noſtræ ſubjicimus. Accedit, quod ſic univerſaliter intelligamus veritatem hujus argumentationis, ut eidem in quo vis caſu ſecurius fidere poſſimus.

§. 413.

Modus inferendi conſequentiam immediatam ex univerſaliter negante.

Si de propoſitione univerſaliter negante judices, quod ſit univerſaliter vera, & familiaris tibi fuerit propoſitio, ſi verum eſt, prædicatum negari de omni ſubjecto, falſum eſt id negari non poſſe ſeu id affirmari poſſe de quibusdam ſubjecti; inde in caſu ſpeciali inferes ex propoſitione univerſaliter negante, falſum eſſe quod prædicatum ejus de quibusdam ſubjecti affirmari poſſit. Veritas propoſitionis eodem modo evincitur, quo veritatem præcedentis evicimus: ſufficit itaque eandem exemplo aliquo a poſteriori confirmari. Ponamus te judicantem: Nullus homo eſt omniſcius. Quodſi judices propoſitionem hanc eſſe univerſaliter negantem veram; memoriam ſubibit propoſitio: ſi univerſaliter verum eſt, quod nullus homo ſit omniſcius, falſum eſt, quosdam homines eſſe omniſcios. Atque adeo infers: Falſum eſt, quosdam homines eſſe omniſcios.

Quæ de probatione propoſitionis præſentis dicta ſunt, eadem quoque de ſequentibus corollariis tenenda: ut adeo eadem nonniſi a poſteriori confirmari opus ſit.

§. 413.

Digitized by Google

§. 414.

Si ad ideam propositioni datæ respondentem intentus observes, posse formari alias eidem æquipollentes & recorderis propositionum æquipollentium posità una alteram quoque poni; ex una alteram inferes. Ponamus te judicare, quod pater amet filium. Ad ideam propositioni respondentem intentus tibi repræsentas patrem atque filium & amorem patris erga filium. Vides autem judicium ex eo, quod tibi repræsentas formaturus, accipi posse loco subjecti vel patrem, vel filium ac in casu quidem priori dicendum esse, quod pater amet filium; in posteriori, quod filius ametur a patre. Posita idea, ponitur propositio utraque. Atque adeo judicas: si pater amat filium, filius amatur a patre. Et hinc infers, filium a patre amari.

Modus illationis in consequentia immediata in casu æquipollentia.

Idem eodem prorsus modo patet in aliis propositionibus æquipollentibus. Immo patet, idem eodem modo ostendi de propositionibus quibuscunque se mutuo ponentibus, ut, si una vera sit, altera quoque vera sit, & contra si una falsa sit, falsa quoque sit altera.

§. 415.

Si de propositione universaliter negante judices, quod sit universaliter negans, atque recorderis, si propositio fuerit universaliter negans, de omni prædicato negari posse subjectum: ex propositione universaliter negante inferes, de omni prædicato propositionis datæ negandum esse subjectum. Ponamus te judicare, quod nullus avarus sorte sua contentus sit, atque perpendere propositionem hanc esse universaliter negantem: recordatus quod de omni prædicato negari possit subjectum, seu in applicatione ad casum præsentem, quod, si nullus avarus sorte sua contentus sit, nullus quoque sorte sua contentus sit avarus, inde inferes: nullum sorte sua contentum esse avarum.

Illatio per consequentiam immediatam in casu conversionis simplicis.

Dicitur

Dicitur hæc conversio apud Logicos simplex, cujus fundamentum demonstravimus alibi (§. 454. *Log.*) Vi autem propositionis logicæ obtinetur ne conversam propositionis alicujus universaliter negantis ullo in casu demonstrari opus sit.

§. 416.

Ratio in altero casu conversionis simplicis.

Si de propositione particulariter affirmante judices, quod sit particulariter affirmans, atque recorderis, si propositio fuerit particulariter affirmans, etiam de prædicato particulariter affirmari posse subjectum: ex propositione particulariter affirmante inferes, quod de ejus prædicato particulariter affirmari debeat subjectum. Ponamus te judicantem, quod quidam doctus sit moderatus, atque perpendentem, quod hæc propositio sit particulariter affirmans. Recordatus quod de prædicato particulariter affirmari possit subjectum inferes, quendam, qui est moderatus, esse doctum, principio nempe logico generali ad casum præsentem specialem applicato hunc in modum: si quidam doctus moderatus est, quidam, qui est moderatus, doctus est.

Principium logicum alibi jam demonstravimus (§. 455. *Log.*)

§. 417.

Ratio adjecti ad compositum.

Si de eodem subjecto prædicentur plura vel absolute, vel sub eadem conditione, atque judicantes plures hic adesse propositiones ejusdem subjecti, sed diversi prædicati recordemur, si plures sint propositiones ejusdem subjecti, sed diversi prædicati, exinde formari posse propositionem unam ejusdem subjecti, cujus prædicatum ex prædicatis ceterorum compositum: inde inferimus in dato casu speciali quod subjecto conveniat prædicatum ex prædicatis ceterarum propositionum compositum. Ponamus te judicantem, quod omnis planeta illuminetur a sole, quod omnis planeta cingatur atmosphæra, quod omnis planeta sit corpus mundi

Digitized by Google

mundi totale. Quodſi perpendis, plures hic adeſſe propoſitiones, quarum idem eſt ſubjectum, ſcilicet planeta, ſed prædicata ſunt diverſa, quodque prædicata illa diverſa ſubjecto tribuantur abſolute; recordatus in tali caſu ſubjecto abſolute tribui poſſe prædicatum ex quatuor iſtis compoſitum; inde infers, planetam eſſe corpus mundi totale a ſole illuminatum, quod atmoſphæra cingitur. Quodſi dubites, an propoſitio illa, quam in præſente ſupponimus, ſcilicet quod ſubjecto communi plurium propoſitionum sribui poſſit prædicatum ex prædicatis illarum ſimul ſumtis compoſitum, admitti poſſit tanquam vera: ecce tibi ejus demonſtrationem! Si ſubjecto abſolute poſito vel ſub data conditione convenit prædicatum, in priori caſu ratio ſufficiens, cur prædicatum ſubjecto tribui debeat, eſt definitio, in poſteriori conditio adjecta (*§.* 130. *Ontol.*), adeoque poſito in caſu primo ſubjecto abſolute, in caſu ſecundo ſub eadem conditione, ponitur prædicatum in caſu priori abſolutum, in poſteriori hypotheticum (*§.* 118. *Ontol.*). Quare ſi plura fuerint prædicata de eodem ſubjecto vi ejusdem notionis enunciata diverſis propoſitionibus, poſita notione ſubjecti omnia ſimul ponuntur, conſequenter ex propoſitionibus pluribus formari poteſt una, in qua ſub**jecto eadem notione comprehenſo tribuitur prædicatum ex prædicatis plurium propoſitionum compoſitum.**

Utimur hoc modo inferendi in demonſtrationibus, quando ex concluſionibus per plures ſyllogiſmos elicitis deducimus propoſitionem unam, quæ tanquam præmiſſa aſſumitur, ut filum ratiocinationis ulterius produci poſſit. Dicitur hæc *illatio a diviſis ad compoſita*, quæ frequentiſſime occurrit in demonſtrationibus geometricis.

§. 418.

Conſequentia a compoſito ad diviſa.

Si ſubjecto tribuitur prædicatum compoſitum ex pluribus aliis, quæ ſigillatim eidem ſalva ejus notione tribui poſſunt,

& judicantes prædicatum propositionis datæ esse resolubile in plura quæ subjecto eidem prorsus immutato tribui possunt, recordamur propositionis hujus, si prædicatum fuerit resolubile in plura alia, quæ subjecto prorsus immutato sigillatim tribui possunt, inde formari posse plures propositiones ejusdem subjecti, in quibus prædicata ista sigillatim eidem tribuuntur; ex propositione data inferemus propositionem ejusdem subjecti, in qua prædicatum aliquod sigillatim eidem tribuitur, quod notionem prædicati propositionis datæ ingreditur. Ponamus te judicantem, quod Petrus sit juvenis doctus, & perpendentem, quod prædicatum sit compositum ex duobus aliis, nempe esse juvenem & esse doctum, animadvertere, quod utrumque sigillatim Petro tribui possit, cum quis juvenis esse possit, etiamsi doctus non sit, & doctus esse possit, etiamsi non sit juvenis. Ex propositione data, quod Petrus sit juvenis doctus, utique inferes, quod sit juvenis, vel etiam quod sit doctus. Ceterum propositio generalis, cujus vi ex propositione data infertur altera, eodem modo ostenditur, quo in propositione præcedente evicimus veritatem propositionis, quæ principium consequentiæ largiebatur.

Hic quoque arguendi modus subinde in demonstrationibus Mathematicorum occurrit, dicitur que consequentia immediata a composito ad divisa.

§. 419.

Lemmaque continetur fundamentum consequentiæ immediatæ a rectis ad obliqua.

Si tam subjectum, quam prædicatum ad formam nominis, separata copula, si tale nondum fuerit, reductum ponitur in casu obliquo & eadem utrique accedat notio, ut duæ hinc resultent propositiones; una inde formari potest propositio vel hypothetica, vel categorica, si prior, quam subjectum datæ ingreditur, ponatur loco antecedentis in propositione hypothetica, vel subjecti loco in categorica; posterior vero loco consequentis in hypothe-

ti-

tica, loco prædicati in categorica. In omni enim propositione categorica subjectum, quatenus per ejus notionem determinatur prædicatum, & prædicatum, quatenus per subjecti notionem determinatur, cum posita notione subjecti ponatur prædicatum (§. 131. *Ontol. vel* §. 115. *ejusd.*), idem ens designant, adeoque sibi invicem substitui possunt in notionibus quibuscunque complexis, salva earundem veritate. Quamobrem si utrique accedat eadem notio, & tam subjectum, quam prædicatum ad formam nominis reductum, abjecta copula, si talem nondum habuerit, ponatur in casu obliquo & una propositio sic formata admittitur tanquam vera; etiam altera tanquam vera admitti debet. Quare si prior sumatur pro antecedente, erit posterior consequens propositionis hypotheticæ (§. 407. *Log.*). Ex propositione adeo categorica data efficitur hypothetica, si ad terminos rectos in obliquos conversos accedat notio quædam communis. Quodsi jam antecedens propositionis hypotheticæ convertatur in subjectum & consequens in prædicatum; propositio caregorica prodit hypotheticæ æquipollens (§. 278. *Log.*). Quamobrem ex propositione categorica data elicitur quoque categorica alia, si ad terminos obliquos accedat notio quædam communis.

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus enim dari propositionem categoricam, Triangulum est figura. Si jam copulam *est* abjicias & uterque terminus *triangulum* atque *figura* ponantur in accusativo, accedente notione communi, actu nempe describentis, veluti *Petrus vel alius quicunque describit triangulum* & *Petrus vel alius quicunque describit figuram;* duas utique habes propositiones, quarum posita una ponitur altera. Quare si prior, Petrus describit triangulum ponatur pro antecedente; posterior autem, Petrus describit figuram, pro consequente; propositionem habes hypotheticam, cujus manifesta est consequentia, scilicet si Petrus triangulum describit, figuram describit. Quodsi ergo eam

Digitized by Google

revoces ad categoricam, Petrus triangulum deſcribens, figuram deſcribit; propoſitio hæc non minus evidens erit vi datæ, quod triangulum ſit figura. Quodſi indeterminate ſubjectum exprimere velis, ſcilicet per quemcunque; propoſitio hypothetica, ſi triangulum deſcribit, figuram deſcribit, & categorica, quicunque triangulum deſcribit, figuram deſcribit, non minus evidentes ſunt quam in caſu anteriori.

Idem quoque liquet in eo caſu, in quo prædicatum ad formam nominis reducendum, antequam in caſu obliquo poni poſſit. Sit e. gr. propoſitio data: Arbor habet folia. Quoniam hic copula latet in verbo *habet*, ea revocatur ad ſequentem, in qua copula expreſſe ponitur, Arbor eſt ens folia habens, atque in præſenti enunciatione, arborem eſſe & eſſe ens folia habens, unum idemque ſunt, neque enim in notione arboris præſupponuntur, quam quæ ad folia determinanda requiruntur. Quodſi jam accedat notio alia, ſcilicet quod quis arborem cædat, ut propoſitio prodeat, Aliquis arborem cædit; per ſe patet, quod cædat id, quod folia habet, adeoque veram quoque eſſe hanc propoſitionem quod aliquis cædat aliquid, quod folia habet, vel aliquis cædat ens folia habens. Qui propoſitionem priorem ponit, alteram tollere nequit. Habemus adeo propoſitionem hypotheticam ex utraque compoſitam; ſi quis arborem cædat, ens folia habens ſeu quid, quod folia habet, cædit, vel categoricam, qui arborem cædit, cædit quid quod folia habet, vel ens folia habens, poſito ſcilicet quod arbor folia habeat, quemadmodum ad propoſitiones has eliciendas ſumebatur.

Facillimum eſt cumulare exempla, quibus propoſitionis præſentis veritas continetur. Ecce tibi aliquot! Pluvia guttatim deſtillat. Ergo qui pluviam colligit, is colligit quod guttatim deſtillat, vel ſi quis pluviam colligit, is quod guttatim deſtillat colligit. Homo hic

Facilli-

eſt ebrius. Ergo qui hominem hunc interficit, ebrium interficit. Petrus eſt philoſophus. Ergo qui Petrum aggreditur, philoſophum aggreditur, vel qui cum Petro diſputat, cum philoſopho diſputat, vel qui Petro quid donat, philoſopho donat, vel quod Petro donatur, philoſopho donatur. Promiſcue nimirum quilibet caſus obliquus poni poteſt, cum in probatione non exprimatur, quinam caſus obliquus poni debeat. Continet igitur propoſitio præſens fundamentum *conſequentiæ immediatæ a rectis ad obliqua*, quam vocant Logici. Omiſimus hoc in Logica, quod continetur ſub principio generali propoſitionum ſe mutuo ponentium tanquam ſub genere ſpecies (§. 458. *Log.*). Quoniam tamen intellexi hærere nonnullos circa conſequentiam iſtam immediatam, quando doceri debet, quomodo a propoſitione data, in qua termini ponuntur in caſu recto, perveniatur ad alteram, in qua termini occurrunt in caſu obliquo, id autem vi propoſitionis ſequentis doceri nequeat, niſi propoſitio præſens præmittatur; eam hic per modum lemmatis apponere lubuit.

§. 420.

Modus inferendi in conſequentia a rectis ad obliqua.

Si de propoſitione data categorica judices terminos, ex quibus conſtat, poni in caſu recto, atque recorderis accedente ad utrumque in caſu eodem obliquo poſitum eadem notione poſſe formari propoſitionem aliam ſive hypotheticam, ſive categoricam, & ſuccurrat notio terminis obliquis adjiciendæ; ex propoſitione data per immediatam conſequentiam inferes aliam, in qua ſubjectum & prædicatum habent notionem quandam communem adjectam in priori caſu ſubjecto propoſitionis datæ oblique poſito, in poſteriori autem prædicato ejusdem itidem oblique poſito. Ponamus dari propoſitionem: Triangulum eſt figura. Quodſi jam judices, ſubjectum, nempe triangulum, & prædicatum, ſcilicet figura, poni in caſu recto, atque recorderis poſſe formari propoſitiones, in quibus ponitur uterque terminus in caſu obliquo, accedente notione quadam tertia, veluti quod quis triangulum deſcribat: ex propoſitione data utique inferes, quod, qui triangulum deſcribit, figuram deſcribat. Ha-

Digitized by Google

bes nimirum jam rationem ſufficientem, cur a propoſitione data, Triangulum eſt figura, pervenias ad alteram; Ergo qui triangulum deſcribit, figuram deſcribit: quemadmodum ſupra generaliter oſtendimus (§. 411.). Ratio vero illationis patet ex propoſitione præcedente. Similiter ponamus dari hanc propoſitionem: Pater amat liberos. Quodſi propoſitionem hanc convertas in aliam ipſi æquipollentem, Pater eſt amans liberos; apparet, utrumque terminum poni in caſu recto. Quare ſi recorderis, propoſitiones illas eſſe veras (§. 419), in quibus ad terminos iſtos in caſu obliquo poſitos accedit notio quædam communis, atque tibi ſuccurrat patrem offendi poſſe; hinc utique infers: qui patrem offendit, amantem liberos offendit, ſeu eum offendit, qui liberos amat.

Hæc de conſequentiis immediatis ſufficere poſſunt: ex iis enim abunde patere arbitror, tum quo fundamento nitatur illatio, tum quomodo a propoſitione data ad eam perveniamus, quæ per conſequentiam immediatam inde infertur. Duo nimirum hæc a ſe invicem probe diſtinguenda ſunt. De fundamento illationis potiſſimum ſolliciti ſumus in Logica atque ideo idem ibidem ſtabilivimus, totumque huc redit, quod dentur propoſitiones ſe mutuo ponentes, ut, adeo poſita una, ponatur etiam altera. In modum, quo a propoſitione una tanquam præmiſſa pervenitur ad alteram tanquam concluſionem, inquirimus in Pſychologia. Atque ideo jam potiſſimum oſtendimus ex natura mentis, quomodo vi facultatum ejusdem a præmiſſa ad concluſionem perveniatur. Notandum vero eſt non opus eſſe, ut quis theoremata iſta, quibus nititur fundamentum conſequentiarum immediatarum, diſtincte cognoſcat, ſi iisdem in ratiocinando uti velit. Sufficit nota eſſe exempla, ad quorum imitationem argumentamur in caſibus aliis ſimilibus. Et iſtiusmodi exempla ſic ferente occaſione nobis innoteſcunt ſæpius, ut neceſſitate quadam impulſi in ea delabamur. Neque dubium eſt, modum inferendi per conſequentiam immediatam ita primitus innotuiſſe, antequam ad regulas fuerit revocatus. Qui in notionibus confuſis acquieſcunt, nec fundamentum illarum perſpiciunt, etſi evidentia illationis percellatur eorum animus; nec rationem perſpiciunt, qui fieri poſſit,

Digitized by Google

possit, ut propositione quadam data perveniatur ad conclusionem. Neque idem aliter sese habet in ratiocinatione syllogistica, quemadmodum unusquisque ex seipso experiri potest.

§. 421.

In consequentiis immediatis status mentis futurus nascitur ex præsente mediante præterito. Ex propositione enim data per consequentiam immediatam infertur conclusio, quatenus judicium logicum formas de propositione data, ejus ope recordaris alicujus theorematis de propositionibus se mutuo ponentibus, & vi hujus ponis propositionem, quæ cum data simul ponitur (§. 411.). Jam judicium logicum exprimit statum præsentem, theorema, cujus recordaris, statum præteritum, sive illud distincte consideres, sive in exemplo latens confuse perspicias, & conclusio, quæ infertur, statum futurum, nec infertur conclusio ex propositione data, nisi judicium logicum formetur & theorematis illius recorderis. Status igitur futurus, dum per consequentiam immediatam ratiocinaris, enascitur ex præsente mediante præterito. *Quomodo status mentis ex aliis in ratiocinatione per consequentiam immediatam nascitur.*

Idem confirmatur a posteriori. Etenim si argumentaris: Omnis homo est mortalis. Ergo quidam homo est mortalis; ad conclusionem non pervenis, nisi judices, propositionem datam, omnis homo est mortalis, esse universalem, seu universaliter verum esse, quod homo sit mortalis, atque perpendas, quod de omni homine prædicari potest, idem etiam prædicari posse de quibusdam. Judicium vero, quod propositio hæc, omnis homo est mortalis, sit universaliter vera, designat statum mentis præsentem. Dum recordaris, de quibusdam hominibus prædicari debere, quod de omnis homine prædicatur, judicium, quod olim te tulisse meministi, exprimit statum præteritum. Denique judicium, quod quidam homines sint mortales, futurum statum

Digitized by Google

cum exprimit, qui ex ceteris naſcitur, ſeu nonniſi prævïis teteris in mente locum habet. Status igitur in hoc caſu naſcitur ex præſente mediante preterito.

Quæ igitur de ſyllogiſmis categoricis & hypotheticis (§. 394.) & disjunctis (§. 407.) demonſtrata ſunt; ea etiam in conſequentiis immediatis locum habent: id quod probe notadum eſt, ut univerſalitatem principii intelligas, quod modum enunciat, quo ſtatus mentis unus ex altero conſequitur.

§. 422.

Quomodo ſtatus mentis ex aliis naſcatur, dum quid imaginamur.

Dum aliquid imaginaris, ſtatus mentis qui futurus erat enaſcitur ex præſente mediante præterito. Etenim dum aliquid imaginamur, vi perceptionis præſentis producimus præteritam quæ cum præſente commune quid habet (§. 117.). Quare cum perceptio præſens conſtituat animæ ſtatum præſentem, præterita vero præteritum &, dum præterita denuo producitur, ſtatus aliquis naſcitur, qui futurus erat (§. 584. *Ontol.*); dum aliquid imaginamur, ſtatus mentis, qui futurus erat, naſcitur ex præſente mediante præterito.

Dedimus ſupra (§. 104. & ſeqq.) exempla complura, quæ propoſitionem præſentem illuſtrant atque confirmant, ut adeo eadem huc denuo tranſcribi, vel ab iis diverſa in medium afferri ſupervacaneum exiſtimari debeat.

§. 423.

Quomodo ſtatus præſens ſit gravidus futuri in imaginando.

Quoniam, dum aliquid imaginamur, ex ſtatu præſente producitur qui futurus erat mediante præterito (§. 422.) & quidem ideo, quia præſens cum præterito commune qui habet (§. 117.), atque adeo præſens mediante præterito aptus efficitur, ut inde ſequi poſſit futurus; etiam *dum aliquid imaginamur ſtatus præſens grævidus futuri, quod a præterito imprægnatur.*

Pro-

Digitized by Google

Propoſitionem hanc adjicimus ut appareat principii ſuperioris (§. 409.) univerſalitas: Quem in finem porro adjicimus propoſitionem ſequentem.

§. 424.

Dum per conſequentiam immediatam aliquid inferimus, ſtatus præſens eſt gravidus futuri, quod à præterito impræg-netur. Eodem fere modo demonſtratur, quo propoſitio præcedens. Nimirum dum per conſequentiam immediatam ex præmiſſa inferimus concluſionem; ſtatus, qui futurus erat, enaſcitur ex præſente mediante præterito (§. 421.) & quidem ideo, quod præteritus præceſſerit, alias non extiturus, quemadmodum ex anterioribus liquet (§. 409. & ſeqq.), conſequenter vi præteriti. Quare cum ſtatus præſens ſit gravidus futuri, quatenus ex eo & vi ejus futurus naſcitur (§. 408.) & præſens à præterito impræg-netur, quatenus mediante præterito aptus efficitur, ut inde ſequi poſſit futurus, ſeu quatenus accedente præterito ex eo ſequitur qui futurus erat (§. *cit.*); dum per conſequentiam immediatam aliquid inferimus, ſtatus præſens eſt gravidus futuri, quod a præteriro impræg-netur. *Quomodo idem obtinens in conſequentiis immediatis.*

Atque ita nos abunde ſatis explicavimus, quæ ad tres mentis operationes penitius intelligendas requiruntur & regulis logicis uberiorem lucem affundunt. Suo autem tempore patebit, quod non minus lucem affundant regulis moralibus, quibus praxis philoſophiæ moralis continetur.

CAPUT IV.

De Diſpoſitionibus naturalibus & Habitibus intellectus.

§. 425.

QUicquid menti ſine prævio exercitio inexiſtit, *natura ineſſe* dicitur: quod vero non inexiſtit, niſi prævio exercitio, *(Wolffii Pſychologia.)* *Quid natura inſit; quid acquiratur.*

Digitized by Google

acquiri dicitur. Utrumque etiam de corpore accipi potest. Quare cum exercitium actuum ſpecie vel genere eorumdem abſolvatur (§. 195.): *Id acquiritur, quod menti vel corpori non inexiſtit niſi iteratis ſæpius actibus ſpecie vel genere iisdem.*

E. gr. Ars ſcribendi in nobis non exiſtit niſi prævio ſcribendi exercitio: homini itaque naturalis non eſt, ſed acquiritur. Ex adverſo facultas ſentiendi ineſt homini absque ullo prævio exercitio; adeoque eidem naturalis.

§. 426.

Diſpoſitio quid ſit.

Poſſibilitas acquirendi potentiam agendi, vel patiendi, dicitur *diſpoſitio*, ad agendum ſcilicet, vel patiendum. Quodſi hæc *diſpoſitio* natura inſit, *naturalis* appellatur.

Ita nobis ineſt diſpoſitio naturalis ad ſcribendum: etenim potentiam ſcribendi acquirere valemus. Similiter nobis ineſt diſpoſitio naturalis ad ſaltandum & equitandum, ac pugillandum, quia potentiam ſaltandi, equitandi, pugillandi acquirere valemus.

§. 427.

Difficultas agendi in quonam conſiſtat.

Difficulter agere dicitur, qui actiones ſimplices ad compoſitam requiſitas nonniſi tarde ac interjectis moris edere valet. *Difficultas* adeo *agendi æſtimatur longitudine temporis actioni ſimplici edendæ impenſi & morâ* (ſeu tractu temporis) *inter ſimplices interjecta, itemque fruſtaneis conatibus.*

E. gr. Si quis ſcribere velit, ſingulas literas delineare debet & in una eademque litera plures ductus pennæ neceſſarii ſunt. Sunt adeo tot actus ſimplices, ſeu minus compoſiti, quot literæ delineandæ, ad ſcripturam requiſiti, & in ſingulis literis delineandis tot diſtinguuntur actus magis ſimplices, quot ductus diverſi in una litera obſervantur. Difficulter adeo ſcribit, qui tarde literas depingit & inter ſingularum literarum delineationes a ſcribendo tantiſper ceſſat, ut mora intercedat, qua non ſcribitur. Major adhuc eſt ſcribendi difficultas, ſi quis non continuo ductu pingit literam eandem, ſed ſingulos ductus ſingulis tempuſculis abſolvit, morula quadam inter ſingulos interjecta. Non confundenda eſt hæc difficultas cum impotentia ſcriben-

Digitized by Google

scribendi, quando quis ductus literarum nondum delineare valet, seu calamum movere nequit, prout litera pingenda postulat, & si difficultati scribendi quidpiam impotentiæ adhæreat.

§. 428.

Difficultati agendi opponitur *Promptitudo agendi*, qua quis actiones simplices ad compositam requisitas cito nec ullis inter eas interjectis morulis producere valet. Atque hæc agendi promptitudo est id, quod *Habitus* appellari suevit. *Habitus quid dicatur.*

Ita prompte scribit, qui sine mora non modo singulas literas, verum etiam integras voces & totam earum seriem scribit, atque eidem habitus scribendi, quem speciali nomine artem scribendi dicimus, tribuitur. Similiter prompte ratiocinatur, qui sine hæsitatione ratiocinatur ac ratiocinia inter se concatenat, quemadmodum fieri solet, ubi quis in demonstrationibus Mathematicorum diu multumque fuerit versatus atque tum habitu ratiocinandi pollere dicitur.

§. 429.

Difficultas agendi dicitur *Dispositio*, eaque *naturalis*, si natura insit, seu sine prævio exercitio inexistit; *acquisita* vero, si non inexistit, nisi prævio exercitio. *Dispositio quid dicatur.*

Ita difficultas scribendi, qualem initio experimur, dum arti addiscendæ nos applicamus, dicitur dispositio ad scribendum, eaque acquisita, cum non sine prævio exercitio in nobis existat: eam enim præcedit impotentia scribendi, quæ homini naturalis est, utut tolli possit, quatenus homo per naturam aptus est ad artem scribendi sibi comparandam, quatenus nempe per structuram manus atque brachii possibiles sunt motus ad scribendum requisiti. Quare cum agendi possibilitas potentiæ nomine veniat (§. *Ontol*); homini inest potentia quædam naturalis scribendi remota, quatenus nonnisi difficulter ad actum perduci potest ac nonnisi præviis aliis.

§. 430.

Habitus nonnisi exercitio acquiritur & dispositio mediante *Habitus*

Digitized by Google

quomodo producatur.

exercitio in habitum convertitur. Quicquid enim acquiritur, nonnisi prævio exercitio acquiritur (§. 425). Ergo etiam habitus qui acquiritur, nonnisi prævio exercitio acquiri potest.

Idem ostenditur per indirectum. Ponamus habitum menti inesse sine prævio exercitio. Eidem igitur natura inest, non vero demum acquiritur (§. 425.): quod cum hypothesin evertat, absurdum est.

Confirmatur idem a posteriori. Ars scribendi habitus est (*not.* §. 428.). Artem vero scribendi non acquirimus, nisi prævio exercitio. Similiter promtitudo ratiocinandi habitus est; sed eam non acquiri nisi exercitio manifestum est. Saltandi & equitandi ars habitus est, neque vero hæ artes aliter acquiruntur quam exercitio.

Idem patet de ceteris habitibus quibuscunque, quos comparandos demum nobis esse, siquidem nobis inesse debeant, constat.

Quodsi jam porro homini insit quædam dispositio in habitum convertenda; habitum nondum inesse, sed demum acquiri debere per se patet. Enimvero non acquiritur, si nondum insit nisi prævio exercitio, quemadmodum modo ostendimus. Ergo dispositio in habitum converti nequit nisi prævio exercitio.

Maximæ utilitatis est nosse, quod habitus non comparetur nisi prævio exercitio, cum sic notionem directricem habeamus ad modum, quo habitus datus comparetur, investigandum utilem. Elucescet inprimis utilitas in philosophia morali. Nescio qui fiat, ut contra principium agant tantum non omnes, quod verum & exploratum nemo non agnoscit. Ecquid enim frequentius est, quam homines sibi persuadere, quod habitus animæ possideant, etsi exercitationum sibi non sint memores, quibus eos sibi comparaverint? Quid frequentius est, quam homines apperere habitus meritis, minimè autem sollicitos esse de exercitiis, quibus eos sibi comparent.

§. 431.

Digitized by Google

§. 431.

Habitus acquisitus continuo usu & conservatur, & perficitur. Quoniam enim exercitio acquiritur (§. 430.), impossibile est, ut amittatur, quámdiu istud durat. Quamobrem cum tamdiu duret, quamdiu ex habitu agimus (§. 195.) & in hoc ipso usus ejusdem consistat; continuo usu habitus acquisitus conservatur. *Conservatio & ulterior perfectio habitus.*

Similiter cum exercitio acquiri debeat, quicquid ad habitum pertinens acquiritur (§. 430.), habitus autem perficiatur, si quid ejus acquiritur, quod nobis nondum inerat, quemadmodum ex notione perfectionis colligere licet (§. 503. *Ontol.*); continuo habitus usu ulterius perfici debet.

Idem confirmatur a posteriori. Ita enim experimur artem saltandi & equitandi conservari, eandemque ad gradum exquisitiorem perduci, si continuo saltemus ac equitemus. Similiter habitus demonstrandi, quem tibi comparavisti, conservatur &, si quid eidem adhuc deest, ulterius acquiritur, adeoque perficitur (§. 503 *Ontol.*), si in demonstrando fueris continuus.

Illud probe notandum est, si quid habitui adhuc desit, defectu cognito, ad exercitium esse deveniendum, quod absolvitur actionibus, quæ deficiunt: etenim ejusdem actionis frequens repetitio in causa est, ut eam posthac promte edamus. Principium hoc non minus utile est quam præcedens, cum jam pateat, quid a nobis fieri debeat, ut habitus semel acquisitus perduret.

§. 432.

Habitus acquisitus amittitur diu intermisso ejus usu. Aut enim amittitur, dum eo continuo uteris, aut dum usum ejus diu intermittis. Enimvero constat eum conservari (§. 431.), adeoque non amitti, continuo usu. Amitti igitur debet diu intermisso ejusdem usu. *Quomodo habitus amittatur.*

Confirmatur idem a posteriori. Artem enim saltandi

Digitized by Google

& equitandi dediſcit, qui per longum temporis ſpatium non ſaltat, nec equitat. Artem demonſtrandi dediſcit, qui per longum temporis ſpatium demonſtrationem nullam concipit. Et idem eodem modo obvium eſt de habitu quocunque alio.

§. 433.

Quomodo contrarius habitus ſimul acquiratur.

Habitus acquiſitus amittitur & contrarius ſimul acquiritur, editis continuo actionibus eidem contrariis. Etenim ſi actiones habitui acquiſito contrarii eduntur, ex habitu non agis (§ 28. *Ontol.*), atque adeo uſus ejusdem intermittitur: quod ubi continuo fit quando agendi occaſio offertur, uſus illius diu tandem intermittitur. Quare cum habitus acquiſitus amittatur diu intermiſſo ejus uſu (§. 432.); habitus acquiſitus amitti debet editis continuo actionibus eidem contrariis.

Quodſi continuo edantur actiones habitui contrariæ, exercitium eidem contrarium ponitur (§. 195). Quare cum actionibus contrariis habitus contrarius acquiratur (§. 430.); editis continuo actionibus habitui acquiſito contrariis habitus eidem contrarius acquiritur.

Patet igitur *per demonſtrata*, habitum acquiſitum amitti & ſimul contrarium acquiri, editis continuo actionibus eidem contrariis.

Maximi momenti eſt hæc propoſitio in moralibus, cum hinc pateat ratio, cur homines ex virtute prolabantur in vitia, ut virtutem dediſcentes vitiis adſuefiant.

§. 434.

Differentia cognitionis a priori & poſteriori.

Quod experiundo addiſcimus, *a poſteriori cognoſcere* dicimur: Quod vero ratiocinando nobis innoteſcit, a *priori cognoſcere* dicimur. *Mixta* eſt *cognitio*, quæ partim a poſteriori, partim a priori acquiritur.

E. gr. Solem lucere experiundo addiſcimus attenti ſcilicet ad ea, quæ videmus (§. 684. *Log.*) Lucem igitur Solis a poſteriori cogno-

ſci-

Digitized by Google

scimus. Ex definitione trianguli ratiocinando colligimus rationem æqualitatis trium angulorum ad duos rectos: eam igitur a priori cognoscimus. Ex effectibus Solis, quos a posteriori cognoscimus, mediante notione ignis ratiocinando colligimus, quod sit ignis: mixta igitur est cognitio, qua nobis constat, Solem esse ignem. Nostra cognitio ut plurimum mixta est, magis tamen ad eam, quæ a priori datur, accedit, ubi ex principiis a posteriori stabilitis continua ratiociniorum serie colligimus, quæ nobis antea nondum cognita fuerunt.

§. 435.

Quot dentur modi cognoscendi.

Quicquid cognoscimus, vel a posteriori cognoscimus, vel a priorio. Quicquid enim cognoscimus, ea vel cognoscimus attendendo ad ea quæ percipimus & attentionem nostram successive ad alia aliaque, quæ rebus insunt, promovendo; vel ex iis, quæ nobis jam antea innotuere, colligendo quæ nobis adhuc ignota sunt: id quod per antecedentia abunde patet, cum aliarum facultatum mentis nobis non simus conscii, quam per quas prædicto modo ad cognitionem rerum pervenitur, neque alius cognitionis nobis conscii simus, nisi quæ alterutro modo comparatur. Enimvero quicquid attentione sola ad perceptiones nostras nobis innotescit, id experiundo addiscimus, (§. 664. *Log.*), adeoque a posteriori cognoscimus (§. 434.): quicquid vero ex iis colligimus, quæ nobis jam innotuere, cum antea ignotum esset, id ratiocinando nobis innotescit (§. 366.), adeoque idem a priori cognoscimus (§. 454.) Quamobrem quicquid cognoscimus, vel a posteriori, vel a priori cognoscimus.

Maximæ utilitatis est propositio præsens, cum notionem directricem contineat inquirendi in veritatem eorum, quæ affirmantur, vel negantur. Etsi autem propositio vulgaris sit, ejus tamen usus hactenus non invaluit, qui esse potest ac debet. Ac neglectui huic debetur, quod vulgo multa affirmentur & negentur sine sufficiente ratione ad negandum, vel affirmandum, quodque plurimi, immo plerique non utantur facultatibus mentis in cognitione multa sibi comparanda, quemadmodum poterant. Ipsa experientia abunde edocti

edocti ſumus, quantum conducat propoſitionem hanc eſſe nobis familiarem, ut mentem ſubeat memoria, quoties nobis occurrit judicium abſque probatione omni, vel ſaltem abſque ſufficiente.

§. 436.

Quomodo a poſteriori quid cognoſcatur.

Quicquid a poſteriori extra nos cognoſcimus, ſenſuum duce cognoſcimus: Quicquid vero in mente cognoſcimus, ope apperceptionis cognoſcimus. Quicquid enim a poſteriori cognoſcimus, experiundo cognoſcimus (§. 434.), adeoque ſola attentione ad perceptiones noſtras (§. 464. *Log.*) Jam vero res præſentes, quæ extra mentem noſtram ſunt, ſenſu (§. 67.), res abſentes vi imeginationis percipimus (§. 92), atque vi quidem imaginationis nonniſi eas, quæ ſenſu ante percepera-mus (§. 117), ut adeo ſola vi imaginationis non cognoſcatur, niſi quod ante cognitum fuerat. Quamobrem quicquid extra nos a poſteriori cognoſcimus, ſenſu duce cognoſcimus.

Jam mens ea, quæ in ipſa ſunt, appercipit, quatenus perceptionis ſuæ ſibi conſcia eſt (§. 25). Quare cum attentione ad perceptiones noſtras nihil de iis, quæ in nobis ſunt, cognoſcamus, niſi quatenus eorum nobis conſcii ſumus, quod per ſe patet: nihil in nobis a poſteriori cognoſcere valemus niſi ope apperceptionis.

Modum cognitionis a poſteriori uberius declaravi in Logica capite integro (§. 669. & ſeqq. *Log.*), quamvis ibidem quoque tradantur, quæ ad mixtam cognitionem referuntur: neque enim abſque ratiocinatione a poſteriori multum proficere licet, ubi univerſales notiones easque diſtinctas tibi comparare volueris, qnales in ſcientiis venamur. Quomodo autem in mentis noſtræ cognitione a poſteriori progrediamur, ex ipſa præſente tractatione innoteſcit, ubi nonniſi talia proferimus, quæ a poſteriori nobis innoteſcunt, etſi placeat iſtud cognitionis genus, quo a priori ſimul ſtabiliuntur, quæ a poſteriori innoteſcunt.

§. 437.

Sola vi

Sola imaginatione duce non cognoſcimus niſi quæ fingimus.

Ima-

Digitized by Google

Imaginando enim non percipimus nisi res antea sensu perceptas (§. 117.) adeoque nobis non innotescit ejus ope, nisi quod jam ante duce sensuum cognoveramus. Quoniam vero imaginationis vi producta phantasmata dividere (§. 140) atque componere (§. 143), sicque phantasmata rerum sensu nunquam perceptarum producere valemus, licet in iisdem nihil contineatur, quod non jam ante sensu fuerat perceptum; ope imaginationis quædam cognoscimus, quæ ita sensu non perceperamus. Enimvero si phantasmatum divisione ac compositione phantasma rei sensu nunquam perceptæ producitur, aliquid fingimus (§. 144). Sola igitur imaginatione duce non agnoscimus nisi quod fingimus. *imaginationis quænam cognoscantur.*

Quoniam phantasmatis imaginationis vi productis veritas nonnisi ex accidente inest, quatenus scilicet contingit ea in eodem combinari, quæ sibi mutuo non repugnant; ubi de cognitione veritatis sermo est, ejus vulgo non habetur ratio. Patchit tamen suo loco, facultati fingendi esse in arte inveniendi locum, quatenus phantasmata examini rationis submitti possunt, ut eorum appareat realitas, si quam habent.

§. 438.

Quicquid a priori cognoscitur, vi intellectus cruitur. Quicquid enim a priori cognoscitur, id ratiocinando nobis innotescit (§. 434.). Sed ratiocinatio intellectus operatio est (§. 366.). Ergo quicquid a prioti cognoscitur, vi intellectus cognoscitur. *Quomodo quid a priori cognoscatur.*

Idem evidentius adhuc ostendirur sequentem in modum. Quicquid a priori cognoscitur, id ratiocinando nobis innotescit (§. 434.). Enimvero dum ratiocinamur, ob notas, quæ definitionem rei ingrediuntur, in re quadam obvia animadversas aut quocunque modo deprehensas eidem tribuimus nomen ista definitione explicatum (§. 174.), consequenter eidem genus aliquod, vel speciem aliquam convenire judicamus (§. 371.); aut ob genus & speciem rei competentem porro tribui-

mus prædicatum aliquod absolutum generi vel speciei ita tribuendum, vel denique ob determinationes quasdam accidentales præter genus vel speciem rei convenientes eidem tribuimus prædicatum sub conditione istarum determinationum eidem tribuendum (§. 374.): nec absimili modo ratiocinatio sese habet, si quando negativa fuerit (§. 384). Quamobrem si ratiocinia fuerint categorica, in re, quam cognoscimus, distinguimus determinationes genericas & specificas (§. 236. *Ontol.*), aliasque accidentales, atque prædicata alia vi illarum determinationum eidem convenientia, consequenter res istas distincte nobis repræsentamus (§. 38), adeoque vi intellectus (§. 275). Quodsi fuerint hypothetica, vel disjunctiva, ex judicio uno de re quadam admisso tanquam vero vi propositionis hypotheticæ, vel disjunctivæ judicas, admittendum quoque esse de re eadem judicium quoddam aliud (§. 386. 390). Nec aliter sese res habet in consequentiis immediatis (§. 411. & seqq.). Enimvero dum judicamus, in subjecto distinguimus prædicatum eidem tribuendum a determinationibus, vi quarum eidem tribui debet (§. 347. 348), vel ab eodem removendum (§. 345), adeoque denuo rem istam tibi distincte repræsentas (§. 38), consequenter vi intellectus (§. 275). Quamobrem sive per ratiocinia categorica, sive hypothetica & disjunctiva, sive denique per consequentias immediatas ad judicium aliquod antea nobis incognitum perveniamus; vi intellectus ad idem pervenitur, consequenter quicquid a priori cognoscitur, vi intellectus cognoscitur.

Ex hac propositione intelligitur, intellectus cultura opus esse, ubi cognitio, quæ a priori acquiritur, cura cordique tibi fuerit.

Concursus omnium operationum mentis ad cognitionem a priori.

§. 439.

Ad cognitionem, quæ a priori datur, omnes in universum intellectus operationes concurrunt. Intellectus enim operationes tres sunt, notio, judicium, atque discursus sive ratio-

Digitized by Google

tiocinatio (§. 325). Enimvero quando ratiocinamur, ex judiciis quibusdam prævis alia formamus (§. 366), consequenter cum ratiocinatio sit tertia, judicium secunda mentis operatio (§. 53. *Log.*); tertiæ intellectus operationi locus non est sine secunda. Porro quando judicamus & quidem determinate, quemadmodum in ratiocinatione opus est (§. 374. 384. *&c.*), in idea subjecti determinationes singulas a se invicem & a re, cui insunt, & adsunt, distinguimus, vi quarum prædicatum eidem tribuendum, sive eædem intrinsecæ fuerint, sive extrinsecæ (§. 348), consequenter primæ mentis operationi quoque locus est (§. 331). Quare cum ratiocinando eruatur, quicquid a priori cognoscitur (§. 434); ad cognitionem, quæ a priori est, omnes mentis operationes concurrunt.

Idem intuitiva quadam ratione a posteriori intelligitur, si acumen mentis in demonstrationem aliquam in ratiocinia sua resolutam (§. 551. & seqq. *Log.*) convertas.

Et propositione præsente intelligitur, tanto aptiorem unumquemque esse ad res a priori cognoscendas, quanto singulas intellectus operationes promptius elicere valet. Quamobrem præsens de facultatibus mentis tractatio utilitate sua non caret, cum hac cognitione plurimum juvemur in veritate investiganda & ab aliis proposita distincte concipienda.

§. 440.

Habitus distincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi dicitur *Soliditas*, intellectus scilicet. *Soliditas quid sit.*

Nimirum non simpliciter ratiocinandi habitus soliditatis nomine venit; sed quatenus ratiocinationes sunt distinctæ & eorum quoque concatenatio distincta est.

§. 441.

Distincte ratiocinatur, qui successive singula judicia format, prout ratiocinium ingrediuntur. *Distincta ratiocinatio quænam.*

Quoniam in superioribus docuimus (§. 365. & seqq.), quo ordine judicia in ratiociniis sibi invicem succedant, si naturali mentis impetu fiunt,

Digitized by Google

nec quicquam coacti admittitur, facultatibus mentis inferioribus perperam sese ingerentibus; non opus est, ut distinctam ratiocinationem porro hic explicemus. Ejus quoque ideam animo ingenerat, qui demonstrationes Mathematicorum eo modo resolvit, quo idem facimus (§. 551. & seqq. *Log.*) ac ad imitationem hujus analyseos demonstrationes evoluit, ubi in iis concipiendis versatur: fit ita, quod multas admittat crypses, ut syllogismorum genuina forma minime appareat.

§. 442.

Gradus solliditatis unde perdeant.

Tanto quis solidior est, quo in probandis principiis propius accedit ad notiones irresolubiles. Quoniam notiones irresolubiles, seu quæ in alias simpliciores resolvi nequeunt, sunt omnium primæ; propositionibus respondent, quæ probationem ulteriorem non recipiunt. Quare si quis principia demonstrandi, quæ sunt præmissæ generales in ratiociniis (§. 561. *Log.*), eo usque continuare valet, donec ad notiones irresolubiles propius accedat; is distincta ratiocinia eorumque concatenationem tanto longius continuare valet, quo propius ad istas accedit. Quoniam itaque soliditas in habitu distincte ratiocinandi & ratiocinia continuandi consistit (§. 440); habitus hic vero tanto major est, quo longius quis illam catenam producere potest; tanto utique quis solidior est, quanto in probandis principiis propius ad notiones irresolubiles accedit.

Præsens propositio fundamentum graduum soliditatis continet. Ex eadem vero apparet, soliditatem in tertia mentis operatione esse, quod in prima est profunditas. Habet enim aliquid similitudinis analysis notionum, de qua supra diximus (§. 339), cum analysi demonstrationum, quam alias exhibuimus (§. 551. & seqq. *Log.*). Sicuti enim analysi notionum notio rei resolvitur in notiones eorum, quæ ipsam ingrediuntur, & notiones horum singulæ denuo in alias simpliciores, quamdiu datur; ita analysi demonstrationum demonstratio data resolvitur in ratiocinia, quæ eam ingrediuntur, & principiorum demonstrandi demonstrationes denuo resolvuntur in sua ratiocinia, quamdiu datur. Quemadmodum itaque profunditas ex analysi notionum; ita soliditas ex analysi demonstrationum æstimatur.

§. 443.

Digitized by Google

§. 443.

Qui solidus est, habitu demonstrandi & probandi pollet. Qui enim solidus est, habitu distincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi pollet (§. 440). Quare cum in demonstratione ac probatione quacunque legitima syllogismi concatenentur (§. 496. 498. *Log.*), quibus ratiocinia distincte proponuntur (§. 332. *Log.*); qui solidus est, demonstrandi habitu pollet. *Quinam habitu demonstrandi polleat.*

Hinc Geometræ dicuntur solidi, quod habitu demonstrandi polleant, & studio mathematico, præsertim geometrico, non sine laude incumbentes cæteris viris eruditis solidiores esse dicuntur, quod eodem demonstrandi habitum sibi comparent, quo probationes insufficientes, quales vulgo occurrunt, a sufficientibus distinguunt, nec in præbendo assensu nondum sufficienter probatis adeo faciles sunt. Commendatur itaque hoc etiam nomine studium mathematicum ad intellectum perficiendum, quatenus ejusdem tractatione solidi efficimur.

§. 444.

Qui solidus est demonstrationes consummatas dare valet & contra. Qui enim solidus est, distincte ratiocinari & ratiocinia concatenare valet (§. 440). Quare cum distincte ratiocinetur, qui successive singula judicia format, prout ratiocinia ingrediuntur (§. 441); qui solidus est, is in demonstrando nullum principium prætermittit, quod demonstrationem ingredi fas est, adeoque demonstrationem condit completam (§. 854. *Log.*), atque propositiones singulas eo ordine collocat, quo in analysi demonstrationis comparent, ut & ratio appareat cur jam ratiocinanti succurrant, & legitima ratiociniorum concatenatio eluceat, consequenter demonstrationem condit ordinatam (§. 399. *Log.*). Jam vero demonstratio, quæ & ordinata est, & completa, consummata est (§. 855. *Log.*) Quamobrem qui solidus est, demonstrationes consummatas dare valet. *A quonam demonstrationes consummatæ proveniant.*

Digitized by Google

Ponamus jam ex adverso, quod quis dare possit demonstrationes consummatas. Quoniam demonstrationes consummatæ sunt ordinatæ completæ (§. 857. *Log.*); ideo demonstrationes completas easque ordinatas dare valet. Jam vero in demonstrationibus completis continentur omnia demonstrandi principia vel explicite, vel implicite, prout res ipsa exigit, ut vel explicite afferantur, vel implicite demonstrationem ingrediantur (§. 854. *Log.*), & in demonstratione ordinata propositiones singulæ eo ordine se invicem excipiunt, quo in ratiociniorum serie, in quam demonstratio resoluta abit, continentur (§. 799. *Log.*). Quamobrem qui demonstrationes consummatas dare valet; ei perspectæ sunt propositiones singulæ, quæ demonstrationem ingrediuntur, idemque novit, quo ordine collocandæ sint in singulis ratiociniis, & quo ordine ipsa ratiocinia se invicem excipere debeant, consequenter successive singula judicia formare valet, prout ratiocinia ingrediuntur, adeoque distincte ratiocinatur (§. 441.) atque ratiocinia legitime concatenat. Qui ergo demonstrationes consummatas dare valet, is solidus est (§. 440).

Non est, quod objicias in scriptis summorum Mathematicorum occurrere demonstrationes inconsummatas, quas tamen soliditatis laude privari nemo non absonum judicabit. Enimvero non una est responsio. Fieri nimirum potest, ut quis studio det demonstrationes inconsummatas, sicuti multi demonstrationes prorsus omittunt, quas dare poterant, vel ut lectorem in partem quandam inventoris vocent eum voluptate hinc resultante non privaturi, quemadmodum *Cartesio* visum fuisse constat; vel ne vilescant, quæ nimis facile intelliguntur, quemadmodum viro insigni *de Tschirnhausen* placuit; vel ut profanum vulgus a lectione arceatur, quod de utilitate ex quæstu statuens veritates pretiosas æstimare minime novit, quemadmodum philosophis olim Græcis ac inter hos *Aristoteli* arrisisse novimus; vel denique alia quacunque de causa. Absit igitur ut quis existimet, eum demonstrationes consummatas dare non potuisse, qui inconsummmatas dedit! Enimvero demus Mathematicum quendam insignem demonstrationes consummatas dare minime

Digitized by Google

nime posse! Non ideo omnis ipsi deneganda erit solidtas, sed aliquis saltem ejus gradus: solidior utique futurus, si dare valeret. Ecquis vitio vertet, virtutem aliquam moralem ita definiri, ut summum comprehendat gradum, etsi qui ejus laude fruitur, eum attingere non possint. Fixum requirunt disciplinæ terminorum significatum, qui adeo gradui, quem hic vel ille attigit, attemperari nequit, fixus quippe non futurus, cum nulla ratio suadeat, ut in definendo hunc potius gradum respicias, quam alium.

§. 445.

Qui solidus est, non admittit tanquam vera, nisi sufficienter probata, atque sufficienter explicata. Qui enim solidus est, habitu demonstrandi pollet (§. 443), adeoque judicare valet, utrum quid sit sufficienter probatum, nec ne. Quamobrem cum non ignoret, propositionem esse veram, quæ demonstrari potest (§. 544. *Log.*), & tum eandem nobis esse certam si prædicatum subjecto convenire demonstrare valemus (§. 568. *Log.*), vel quod eidem conveniat observamus (§. 567. *Log.*); utique tanquam verum non admittet nisi sufficienter probatum. *Quando solidus admittat tanquam vera.*

Jam vero exploratum est, nos judicare haud quaquam posse, utrum propositio sit sufficienter probata nec ne, quamdiu terminus quidam in eo occurrit, quem penitus nondum intelligimus, consequenter quando propositio nondum sufficienter explicata, cum ignoretur, quid probari debeat. Quare cum qui solidus est non admittat nisi sufficienter probata *per demonstrata*; idem nec admittere valet nisi sufficienter explicata.

Accidit hinc, ut solidus nonnullis dicatur, qui non admittit nisi sufficienter probata & explicata, quamvis non satis accurate. Differunt enim esse solidum & solida discernere ab iis, quæ talia non sunt. Solidus tunc demum erit, si ipse sufficienter explicet ac probet, quæ affirmat, vel negat: id quod sequente propositione ostenditur.

§. 446.

Digitized by Google

§. 446.

Quinam ſit ſolidus.

Qui ſufficienter probat, quæ affirmat, vel negat, ſolidus eſt, Quoniam enim ideo propoſitionem datam probamus, ut certi reddamur eam eſſe veram; propoſitio vero tum demum nobis certa eſt, quando demonſtrare valemus prædicatum ſubjecto convenire (§. 568. *Log.*); qui ſufficienter probat, quæ affirmat, vel negat, eadem demonſtrat &, ubi nulla ex parte deſiderari patitur induſtriam ſuam, demonſtrationes dat completas atque ordinatas (§. 554. 799. *Log.*), adeoque conſummatas (§. 855. *Log.*). Enimvero qui demonſtrationes conſummatas dare valet, ſolidus eſt (§. 444.): ſolidus igitur eſt, qui ſufficienter probat, quæ affirmat, vel negat.

Patet igitur, ſolidum definiri poſſe per eum, qui ſufficienter probat, quæ affirmat, vel negat, modo conſtet quidnam ſufficienter probetur, nempe quod evincitur per demonſtrationes, easque inprimis conſummatas. Quoniam vero demonſtrationes iſtas ingrediuntur quoque principia a poſteriori ſtabilita; perſpicuum patet, ad ſufficientem probationem quoque requiri, ut a poſteriori ſtabiliantur, quæ ab experientia hauriuntur.

§. 447.

Nexus probationis & explicationis ſufficientis.

Qui ſufficienter quid probat, idem quoque ſufficienter explicat. Qui enim ſufficienter quid probat, is idem demonſtrat, quemadmodum ex demonſtratione præcedente patet. Enimvero ſi qua propoſitio demonſtratur, ex iis, quæ notionem ſubjecti ingrediuntur, ſeu de eodem ſumuntur, ratiocinando colligitur prædicatum (§. 551. & ſeqq. *Log.*), conſequenter antequam demonſtratio inchoari poteſt, enumerandæ ſunt determinationes ſubjecti, quarum vi prædicatum eidem tribuitur, & notio prædicato reſpondens communicanda, ut conſtet, quid ex illis colligi debeat. Sufficienter igitur eandem explicat (§. 1129. *Log.*), conſequenter qui eandem ſufficienter probat, eam etiam ante ſufficienter explicat.

Patet

Patet igitur sufficientem eorum, quæ affirmantur & negantur, explicationem & sufficientem probationem necessario inter se connecti, ita ut hac posita ponatur etiam illa, etsi non vice versa posita illa hæc quoque ponatur.

§. 448.

Solida doctrina dicitur, quæ constat propositionibus sufficienter probatis seu demonstratis, adeoque & sufficienter explicatis (§. 447). *Solida doctrina quanam detur.*

Solidam doctrinam proponere studemus in scriptis nostris, tingentibus licet adversariis, qui sibi ab eadem metuunt. Rationes pateat ex sequentibus.

§. 449.

Quoniam in methodo philosophica, quæ cum mathematica eadem (§. 139. *Discurs. prælim.*), non utendum est terminis, nisi accurata definitione explicatis (§. 116. *Disc. præl.*), nec principiis nisi sufficienter probatis (§. 117. *Disc. præl.*) neque admittitur propositio, nisi quæ ex principiis sufficienter probatis deducitur (§. 118. *Disc. prælim.*); *Doctrina methodo philosophica, seu mathematica proposita solida est.* *Qua methodo doctrina solida tradatur.*

Absit autem, ut quis sibi persuadeat, se solidam proposuisse doctrinam, ubi methodum mathematicam, quam nos & philosophicam dicimus, infeliciter imitatur, ut externam ejus speciem saltem mentiatur imitamentum! Distinguet doctrinam solidam ab ea, quæ ad speciem saltem composita est, qui methodi leges ex Logica perspectas accurata Matheseos ac philosophiæ nostræ tractatione sibi familiares reddidit, ut eas prompte explicare possit.

§. 450.

Cui scientia est, is solidus est & doctrinam solidam possidet. Cui enim scientia est, is ea, quæ scit, demonstrare (§. 598. *Log.*); atque adeo sufficienter probare valet (*not.* §. 599. *Log.*) Enimvero qui ea, quæ affirmat, vel negat, sufficienter probare valet, solidus est (§. 446). Ergo cui scientia est, is solidus est. *Quinam veram possideat.*

Digitized by Google

Similiter qui ea, quæ affirmat, vel negat, hoc eſt, ſingulas quas tuetur propoſitiones (§. 41. 204. *Log.*) demonſtrare vel ſufficienter probare valet, is doctrinam ſolidam habet (§. 448.). Ergo cui ſcientia eſt, is doctrinam ſolidam poſſidet.

Si quis attentior fuerit ad ea, quæ hic demonſtrantur; differentiam inter ſcientiam & ſoliditatem animadvertet. Nimirum ſoliditas ſpectatur in intellectu citra reſpectum ad cognoſcibilia, quæ animo comprehendimus, attendendo tantummodo ad modum, quo circa cognoſcibilia verſamur; ſcientia vero includit cognoſcibilia, quæ nobis innotuere, atque eadem exprimit cum modo cognitionis, quatenus is per applicationem ineſt ipſi cognitionis actui ſingulari. Apparet itaque arctus ſoliditatis ac ſcientiæ nexus, ita ut non detur ſcientia ſine aliquo ſoliditatis gradu. Æſtimantur autem gradus ſcientiæ ex multitudine eorum, quæ ſcimus: gradus autem ſoliditatis, cui cum objecto nihil eſt negotii, alio prorſus fundamento nituntur (§. 442).

§. 451.

Quantum ſciamus.

Tantum ſcimus, quantum memoria retinemus. Pone enim, te quid memoria non retinere: ejus ergo ideam animo reproducere reproductamque recognoſcere minime valemus (§. 180). Quare cum ea ſciamus, quæ demonſtrare valemus §. 598. *Log.*), ea vero, quorum ideam reproducere ac reproductam cognoſcere minime valemus, multo minus demonſtrare valemus, quia hic potiſſimum reſpicimus ad objectum cognitionis (*not.* §. 450); quorum ideam reproducere minime valemus, conſequenter quorum nulla nobis amplius eſt idea, ea nec ſcimus. Ergo non ſcimus, niſi quæ memoria retinemus, ſeu, quod perinde eſt, tantum ſcimus, quantum memoria retinemus.

Propoſitio pervulgata eſt; ſed hic tam ad fixam notionem terminis philoſophicis conformem reduximus.

§. 452.

Scientia quando pereat.

Quoniam qui rei oblitus eſt, ejus ideam reproducere ne-

Digitized by Google

imaginationis nequit (§. 216), adeoque nec eam memoria amplius retinet (§. 180): *Qui ejus, quod sciverat, obliviscitur, ipsius amplius scientiam non habet.*

Unde patet, quomodo scientia, quam nobis comparavimus, imminui possit.

§. 453.

Habitus distincte ratiocinandi ac ratiocinia concatenandi remanet, etiamsi obliviscaris eorum, de quibus distincte ratiocinatus habitum istum tibi comparasti. Habitum enim distincte ratiocinandi ac ratiocinia concatenandi tibi comparasti, non quod de iis præcise rebus ratiocinatus es, de quibus distincta ratiocinia formasti & formata concatenasti; sed quod tantummodo ratiocinia formasti & concatenasti ac hoc ipso notionem distinctæ ratiocinationis & legitimæ ratiociniorum concatenationis tibi comparasti (§. 436.) Quoniam itaque objectum, de quo ratiocinatus es, ad hoc nil quicquam confert, ut intelligas, cur habitum distincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi tibi comparaveris; sed sola sufficit actuum ratiocinationis ac concatenationis frequentia; ratio quoque sufficiens illius habitus in sola horum actuum frequentia continetur nec quicquam ad eam facit objectum, de quo ratiocinia distincta formasti & concatenasti (§. 56. *Ontol.*). Quare eum posita ratione sufficiente habitus ponatur & ipse (§. 118. *Ontol.*), adeoque ad hoc, ut ponatur, vel tollatur, nil quicquam faciat, quod ad rationem sufficientem pertinet; habitus quoque distincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi adhuc poni, adeoque remanere potest, etiamsi oblitus fueris eorum, de quibus distincta ratiocinia formasti & formata concatenasti.

Oblivio qua non noceat, habitui acquisito.

Patet hinc habitum distincte ratiocinandi & ratiocinia legitime concatenandi conservari, quem studio mathematico tibi comparasti, etiamsi Matheseos prorsus obliviscaris, modo habitu illo utaris extra Matheſin (§. 431). Quamobrem studium mathematicum, quod comparandi istius habitus gratia nemo non exquisita industria tra-

Digitized by Google

ctare debet, non est inutile, etiamsi nullus sit tibi futurus olim theorematum usus, sed singula in spem futuræ oblivionis addiscantur.

§. 454.

Ars inveniendi quod sit & quod detur.

Habitus ex veritatibus cognitis alias incognitas colligendi dicitur *Ars inveniendi*. Exemplo inprimis Mathematicorum probatur, quod *detur ars inveniendi*. Constat nimirum eos ex iis propositionibus, quas demonstrant, continuo alias eruere, quæ antea ignorabant. Immo etiam in Astronomia ex observationibus talia deducunt, quæ non observarunt, immo quæ nec reperta observari possunt. Integræ quoque dantur disciplinæ, quæ artes inveniendi speciales sunt, veluti Arithmetica, Trigonometria & inprimis Algebra. Quod vero etiam extra Mathesin arte inveniendi opus sit, non minus a posteriori probari potest. Exemplo docui, quomodo ars inveniendi exerceri possit in Tentamine de vera causa multiplicationis frumenti, patrio idiomate aliquoties recusi.

Artem hanc inveniendi data opera explicaturi sumus, cæteris philosophiæ partibus absolutis, siquidem Deus nobis vires animi ac corporis tamdiu conservaverit ac otium largietur, ut totam propositam pertexere liceat.

§. 455.

Ars inveniendi quotuplex.

Quoniam quicquid cognoscitur, vel a priori cognoscitur, vel a posteriori (§. 435); *ars inveniendi duplex est*: nimirum *ars inveniendi veritatem a posteriori, & ars inveniendi eandem a priori.*

Quamobrem olim artem inveniendi traditurus totam tractationem in duas dividemus partes, quarum altera tradet modum investigandi veritatem latentem a posteriori; altera vero modum eandem eruendi a priori: quemadmodum fecimus in Logica, ubi usum aliquem Logicæ in arte inveniendi monstraturi *Capit. 2. & 3. sect. part. 2.* aliqua hujus artis prælibavimus.

§. 456.

Digitized by Google

§. 456.

Observatio est experientia, qæ versatur circa facta naturæ sine nostra opera contingentia. *Experimentum* est experientia, quæ versatur circa facta naturæ, quæ nonnisi intervenientе opera nostra contingunt. *Observationis & experimenti differentia.*

Definitionem experimenti jam dedimus alibi (§. 747. *Log.*); eam tamen hic repeti consultum duximus, ubi eam ab observatione discerni necessarium fuit. Exemplis differentia inter observationem & experimentum fit clarior. E. gr. Cœlum obducitur nubibus nulla nostra opera intercedente. Cum nubes præsentes intuemur nobisque conscii sumus ejus, quod videmus; cœlum nubibus obductum esse observamus. Enimvero si ope antliæ pneumaticæ ex globo cupreo cavo aër educitur & ad bilancem appensus levior deprehenditur, quam fuerat ante, cum aëre plenus esset; experimento mihi innotescit, globum aëre plenum esse vacuo graviorem: neque enim globus evacuatur nisi opera mea interveniente, nec adeo levior efficitur sine opera mea.

§. 457.

Ars inveniendi a posteriori veritatem incognitam eruit vel ex observationibus, vel ex experimentis. A posteriori enim cognoscimus quod experiundo cognoscimus (§. 434). Quoniam itaque experientia vel in numero observationum, vel experimentorum est (§ 456); ars quoque veritatem a posteriori inveniendi vel ex observationibus, vel ex experimentis eruere debet. *Ars inveniendi a posteriori quotuplex.*

Duplex adeo datur ars inveniendi a posteriori, scilicet ars observandi & ars experimentandi.

§. 458.

Ars observandi est, qua veritates ex observationibus eruuntur. *Artis observandi definitio.*

Utuntur hac arte Physici ac Medici, ac imprimis Astronomi. Utimur quoque eadem in Psychologia empirica, quam hic tradimus.

Digitized by Google

§. 459.

Artis experimentandi definitio.

Ars experimentandi est, qua experimentis veritates eruuntur.

Hac arte utuntur hactenus Physici fere soli: eidem tamen locus est in omni philosophia, ipsa Theologia naturali. Quamobrem aliquoties me jam monuisse memini, quod detur etiam Theologia naturalis experimentalis, immo philosophia experimentalis ad omnes omnino philosophiæ partes extendatur.

§. 460.

Veritas quomodo a priori eruatur.

Si veritas a priori eruitur, ex notionibus, hoc est, definitionibus ac propositionibus, per ratiocinia colligitur. Ad cognitionem enim, quæ a priori datur, omnes in universum intellectus operationes concurrunt (§. 439), consequenter notio, judicium & discursus seu ratiocinatio (§. 325). Enimvero judicia nova ex aliis prævis formantur ratiocinando (§. 366), adeoque definitiones & propositiones cognitas ad objecta, de quibus meditamur, applicando (§. 336. & seqq.). Quare si a priori veritas eruenda, ex definitionibus ac propositionibus, seu notionibus jam acquisitis colligenda.

Confirmatur idem a posteriori exemplo Mathematicorum, qui hac arte potissimum utuntur. Si quis in Algebra cum attentione ad talia fuerit versatus, veritatem propositionis abunde perspicit.

§. 461.

Artis inveniendi a priori definitio.

Hinc *Ars inveniendi a priori*, quæ per eminentiam *Ars inveniendi* dicitur, est, qua ex notionibus acquisitis, hoc est, ex definitionibus ac propositionibus jam cognitis ratiocinando colligitur veritas adhuc incognita.

Ars inveniendi a priori, si a Matheſi pura discesseris, cum arte observandi ac experimentandi conjungenda. Exemplo nobis sunt Astronomi, qui artem inveniendi veritatem a priori cum arte observandi conjungunt. Exemplo sunt Physici, qui eandem cum arte experi-

perimentandi combinant, immo cum arte observandi & experimentandi simul.

§. 462.

Quoniam veritates a priori non inveniuntur, nisi ex definitionibus ac propositionibus cognitis (§. 461); *Quo plures definitiones ac propositiones quis jam cognovit, eo ad inveniendum veritatem latentem a priori aptior; si cui vero nullae adhuc perspectae sunt, is in inveniendo inanem operam sumit.* *Quantum ars inveniendi a priori praesupponat.*

Quamobrem si multae jam prostant definitiones ac propositiones ab aliis inventae, eas sibi ante perspectas reddere debet, qui animum ad inveniendum applicat, quam de veritate proprio Marte eruenda cogiter. Non ignota mihi sunt exempla eorum, qui, cum praeclara praestare potuissent, oleum ac operam omnem perdiderunt, quod praecipitato gradu ad inveniendum procederent.

§. 463.

Et quia veritas a priori ratiocinando colligitur (§. 461): *Requisitum veritatem a priori investigaturus habitu ratiocinandi polleat necesse est,* **consequenter cum soliditas in habitu distincte ratiocinandi & ratiocinia concatenandi consistat (§. 440),** *inventorem solidum esse oportet.* *alterum inventoris.*

Equidem distincta ratiocinatio in inventore non absolute necessaria, cum vel experientia doceat, multis iisque egregiis inventis celebres a distinctis ratiociniis esse alienos, immo subinde distinctae ratiocinationis ac legitimae ratiociniorum concatenationis ne quidem distinctam habere notionem: nemo tamen negaverit, ratiocinationem distinctam non uno nomine praeferendam esse confusae, qui utriusque differendiam expertus est, quemadmodum alio loco ostensurus sum.

§. 464.

Primi inventores ex veritatibus vulgo obviis, quas invenerunt, collegerunt. **Veritas enim latens eruitur ex veritatibus jam cognitis (§. 464). Quare cum primis inventoribus veritates aliae cognitae non fuerint, nisi quae etiam vulgo obviae erant; ex veritatibus vulgo obviis collegerunt, quas invenerunt.** *Principia, quibus usi primi inventores.*

Hinc

Digitized by Google

Hinc videmus ipſum *Euclidem* in Elementis notiones communes, quibus confuſis utitur vulgus in ratiocinando, ad diſtinctas reduxiſſe & ope earum ex figurarum definitionibus obviis theoremata ac problematum reſolutiones deduxiſſe. Oſtendi in Ontologia, non unum occurrere in Elementis *Euclideis* axioma, cui non reſpondeat notio quædam communis, ac ideo ibidem principia ontologica ad notiones communes reduxi. Immo obſervavi, ipſa Algebræ ac ſcientiæ hac ſuperioris, unde principia ſua mutuatur, principia a notionibus vulgi derivari, nec niſi per has penitus intelligi ac demonſtrari. Ex his vero jam patet ratio, cur primi in aliquo genere inventores non eo uſque progrediantur, quo poſtea ſucceſſores ipſorum inventis in rem ſuam uſi progrediuntur.

§. 465.

Syllogiſmorum in inveniendo uſus.

Syllogiſmi ſunt medium inveniendi veritatem. Per ſyllogiſmos ratiocinia diſtincte exprimuntur (§. 332. *Log.*), conſequenter iisdem utendum, quando diſtincte ratiocinamur. Jam vero per ratiocinia colligitur ex definitionibus ac propoſitionibus cognitis, quod a priori invenitur (§. 460) & inventorem ſolidum eſſe oportet (§. 463), adeoque diſtincte ratiocinari (§. 463). Uti igitur debet ſyllogiſmis. Quamobrem cum inventori finis ſit veritatis latentis inveſtigatio (§. 932. *Ontol.*), atque ex ſyllogiſmo intelligatur, quomodo hunc finem conſequatur (§. 366), conſequenter is rationem contineat cur finis intentus ad actum perducatur (§. 58. *Ontol.*); ſyllogiſmus medium eſt inveniendi veritatem (§. 937. *Ontol.*).

Communiter ſyllogiſmum a ratiocinio non diſtingvunt, quemadmodum nec propoſitionem ſeu enunciationem a judicio. Atque eunc multo evidentius eſt, ſyllogiſmos eſſe medium inveniendæ veritatis. Neque enim legitime ratiocinamur, niſi ratiocinia regulis ſyllogiſticis conveniant, quas ex legibus ratiocinandi ſupra ſtabilitis deduci ex Logica patet. Cumque paulo ante monuerimus (*not.* §. 463); ratiocinationi diſtinctæ non unam eſſe prærogativam, ob quam confuſæ merito præfertur, optandum omnino foret ut inventores diſtinctis ratiociniis adſueſcerent, nec a forma ſyllogiſmorum recederent, multa tædia, quæ alias devorare debent, evitaturi ac plures lapſus, quos non facile advertunt, declinaturi.

§. 466.

Digitized by Google

§. 466.

Si ratiocinia regulis logicis non fuerint conformia; per ea non necessario infertur propositio vera. Etenim si ratiocinia regulis logicis conformia non sunt; nec legibus ratiocinandi conformia (§. 373). Quare cum leges ratiocinandi violari nequeant, quamdiu ex præmissis veris conclusio vera necessario inferri debet (§. 374. 388. 390. 384. 341), si ratiocinia regulis logicis seu syllogismorum conformia fuerint, nec ex veris præmissis necessario infertur conclusio vera. *Quando per ratiocinia propositio vera inferatur.*

Hinc ad *ratiocinium legitimum* & *syllogismum legitimum*, per quem illud distincte explicatur, requiritur, ut nec in materia peccet, nec in forma, hoc est, ut nec alterutra præmissa falsa sit, nec syllogismus regulis syllogismorum contrarietur. Dico autem si ratiocinia regulis logicis conformia minime fuerint, seu in forma peccent (§. 635. *Log.*); per ea non necessario inferri propositionem veram: etenim fieri potest ex accidente, ut propositio sit vera. Enimvero tum non sequitur ex præmissis, neque veritas ejus vi formæ agnoscitur.

§. 467.

Sine ratiociniis, quæ regulis logicis conformia sunt, nulla a priori invenitur veritas. Si enim veritas inveniri debet a priori, ex definitionibus ac propositionibus cognitis per ratiocinia colligenda (§. 460). Ponamus jam ratiocinia ista regulis logicis non esse conformia: ergo ex datis seu cognitis per ea non necessario infertur propositio vera (§. 466). Patet igitur sine ratiociniis, quæ regulis logicis conveniunt, a priori nullam inveniri veritatem. *Ratiocinia inveniendo qualia.*

Non obstat, quod dentur inventores, quibus contrarium videtur. Neque enim omnes ratiocinia sua distincte resolvere norunt: id quod tamen requiritur, siquidem formam legitimam agnoscere velis.

§. 468.

Quoniam ratiocinia per syllogismos distincte explicari possunt *Idem alterius expenditur.*

Digitized by Google

ſunt (§. 932. *Log.*), adeoque ſi ratiocinia regulis logicis conformia ſunt, & ipſi iisdem conformes, ſeu præſcriptam a Logicis formam ſervare debent; *ratiocinia, quibus in inveniendo utimur, per ſyllogiſmos formales explicabilia ſunt.*

Etſi non opus ſit ſyllogiſmos formales ſemper adhiberi ab inventore; neceſſe tamen eſt ut ratiocinia ejus diſtincte evoluta per ſyllogiſmos formales explicentur. Immo conducit ſyllogiſmis quoque formalibus uti in meditando, ut ratiocinia eo ordine ſe invicem excipiant, quo in demonſtrationum reſolutione (§. 551. & ſeqq. *Log.*) ſe invicem conſequuntur. Ita nimirum meditans in majore luce verſatur, ubi diſtincte ratiocinatur, quam ubi confuſis ratiociniis indulget. Facilius advertit, ubinam hæreat aqua & de quibus principiis ipſi ſit diſpiciendum, antequam ulterius progredi poſſit. Minus defatigatur meditatione ſua ac citra tædium eandem continuat. Immo lapſus quoque facilius evitat quam confuſis ratiociniis intentus. Abſit itaque ut puerile judicemus, quod tantæ utilitatis eſt & accurationis laudem meretur. Eſt etiam ſyllogiſmorum formalium aliquis uſus in dirigendo intellectu ad ea, quæ cogitationem noſtram ſubire debent: ſed de hoc aliisque pluribus, quibus ſyllogiſmorum formalium præſtantia doceri poterat, ex inſtituto olim dicemus in arte inveniendi.

§. 469.

Artificia heuriſtica quid ſint.

Artificia heuriſtica dicuntur regulæ, quibus mens apta efficitur per principia ipſi perſpecta veritatem incognitam eruendi, quam ſolo ratiocinandi habitu adjuta per ea eruere non poterat.

Hæc artificia in Arte inveniendi exponenda ſunt, ac ad ea reſpicienda, quando inventores invicem comparaturus eorundem artem quaſi ad menſuram revocare volueris.

§. 470.

Artificiorum heuriſticorum neceſſitas.

Principia ac demonſtrandi habitus ad veritatem latentem inveſtigandum non ſemper ſufficiunt; ſed aliis præterea artificiis heuriſticis ſæpius opus eſt. A poſteriori veritatem aſſerti probare licet per exempla ex Matheſi petita. Ecquid enim in ipſis Geometriæ elementis communius eſt, quam ex data notione

Digitized by Google

notione subjecti deduci non posse prædicatum vi aliorum theorematum jam satis perspectorum, nisi ante per constructionem quandam geometricam effeceris, ut principia ista applicari atque adeo ex iis, quæ per constructionem dantur, ratiocinando colligi possit quod quæritur? Sane si mensuram trium in triangulo rectilineo simul sumtorum angulorum invenire velis; per theoremata de angulorum alternorum intra parallelas constitutorum æqualitate & ratione æqualitatis angulorum ad idem punctum constitutorum duos ad rectos eandem non erues, nisi ante ducta linea per verticem trianguli cum basi parallela effeceris, ut theoremata ista applicari possint. Vide Rationem prælectionum sect. 1. c. 1. §. 38. Similiter rationem quadrati hypothenusæ ad quadrata laterum ex notione quadrati & trianguli ratiocinando non colliges per theoremata de triangulorum congruentia & ratione trianguli ad parallelogrammum super eadem basi & intra easdem parallelas cum ipso constitutum, nisi per constructionem ante effeceris, ut theoremata ista applicari possint (§. 417. *Geom.*). Ad illas igitur constructiones requiruntur artificia heuristica generalia & ipsæ constructiones sunt istiusmodi artificia specialia (§. 469), consequenter patet sine artificiis heuristicis per principia cognita veritatem incognitam erui non posse, etiamsi habitu ratiocinandi ac ratiocinia concatenandi, adeoque demonstrandi (§. 496. 498. *Log.*) polleas. Algebra, quæ ars inveniendi specialis est, plura continet istiusmodi artificia, quæ vi definitionis hic a nobis datæ (§. 369) facile agnosces, modo in ejus tractatione attentionem ad regulas afferre volueris, quæ ibidem describuntur. Istiusmodi artificium est ars characteristica, cujus beneficio veritates geometricæ ac arithmeticæ ab imaginibus seperantur, ut quæsitum ex datis per calculum erui possit: id quod absque ista characteristica fieri minime posset. Simile artificium est in resolutionibus problematum specialium eorum ad abstracta seu generalia reductio (§. 156. *Algebr.*) &

Digitized by Google

in problematum physico-mathematicorum resolutionibus eorundem ad Geometriam puram reductio, qua usus est *Jacobus Bernoulli* in Actis Eruditorum Anni 1690. p. 218. cum problema physico-mechanicum de curva æquabilis descensus solveret. Optica etiam atque Astronomia exempla istiusmodi artificiorum suppeditati; sed ea, quæ retulimus, ad stabiliendam veritatem propositionis præsentis abunde sufficiunt.

Quandonam istis artificiis opus sit, ex definitione eorundem, quam dedimus (§. 469), perspicue admodum claret, ac suo loco in Arte inveniendi ex instituto docebitur.

§. 471.

Fundamentum reductionis heuristica.

Si quod objectum notionem quandam communem cum altero habet; quæ vi ejusdem de uno innotuere ad alterum quoque applicantur. Etenim si objecta duo notionem quandam communem habent; eatenus similia sunt (§. 195. *Ontol.*), adeoque tanquam species ad idem genus referri possunt, etsi eidem non immediate seu proxime subsint (§. 234. *Ontol.*), vel etiam instar individuorum ejusdem speciei considerari possunt (§. *cit.*). Quare cum quæ generi conveniunt, speciebus quoque singulis tribui possint, & quæ speciei conveniunt, eadem quoque individuis singulis competant (§. 346. *Log.*); quicquid de objecto uno vi notionis communis innotuit, idem quoque ad objectum alterum applicari potest.

E. gr. Additio in Arithmetica & numeratio pecuniæ in vita communi notionem quandam communem habent. In utroque casu sunt diversæ species integrorum, majores componuntur ex minoribus tanquam partibus, & minores reducendæ sunt ad majores continuo, donec in maxima, quæ prodit, subsistatur, seu reductio ad majorem fieri nequit. Quamobrem si has determinationes consideres tanquam essentiales cujusdam entis, notio communis æquipollebit notioni generis & quæ inde colliguntur in casu uno, ea eticm applicari possunt ad alterum. Quodsi ergo pecuniæ numeratio tibi perspecta fuerit, inde additionis modum colliges (§. 98. 99. *Arithm.*). Eodem prorsus modo ad subtractionem applicavimus, quæ de erogatione pecuniæ obvia

Digitized by Google

obvia sunt, sicque regulas subtractionis eruimus (§. 103. *Arithm.*). In philosophia practica ex notione communi personæ singularis & integræ cujusdam Reip. deducimus officia gentium erga gentes applicando ad gentes integras, quæ de personis singularibus in statu naturali viventibus demonstrata sunt.

§. 472.

Principium reductionis, appello artificium, quo objectum aliquod, de quo quid quæritur, reduco ad aliud notionem quandam communem habens, ut ea, quæ de hoc nobis innotuere, vi notionis communis ad illud quoque applicari possint. *Principii reductionis definitio.*

Principium hoc maximi usus est in omni arte inveniendi, quemadmodum suo tempore clarius ostendemus. Præter exempla modo (*not.* §. 471), enumerata plurima occurrunt in Matheſi, nec talia ignota sunt in philosophia nostra. In Elementis Geometriæ circulus reducitur ad polygonum, ut inde colligatur modus investigandi aream ejus (§. 410. *Geom.*); Cylindrus eodem fine ad prisma (§. 541. *Geom.*) & sphæra ad Pyramidem seu corpus ex pyramidibus, quarum vertices in centro coeunt, compositum reducitur. (§. 550. *Geom.*). In Algebra trinomium, quadrinomium & polynomium quodcunque reducitur ad binomium; ut per geneſin potentiæ binomiæ pateat geneſis multinomiæ (§. 101. 102. *Analyſ.*) Hoc vero reductionis principium ideo in medium adducimus, ut artificii heuristici aliquod prostaret exemplum, sicque luculentius confirmaremus, quæ de principiorum heuristicorum necessitate ac utilitate paulo ante asseruimus (§. 470). Multa de principii hujus usu inculcanda sunt specialia, cum plures admittat casus a se invicem utiliter distinguendos; sed de his dicendi locus erit in Arte inveniendi.

§. 473.

Ars inveniendi generalis est, quæ circa quodlibet objectum versatur. *Ars vero inveniendi specialis est*, quæ circa determinatum quoddam objectum versatur. *Artis inveniendi generalis & specialis differentia.*

Differentia petitur ab objecto, ut adeo tot sint species artis inveniendi, quot sunt species cognoscibilium. Hinc habemus artem inveniendi Mathematicorum, quæ communiter Algebra, rectius

Digitized by Google

Analyſis appellatur. Hæc enim non verſatur niſi circa quantitates, atque adeo nonniſi veritatibus mathematicis inveniendis inſervit. Eſt etiam artis inveniendi ſpecies quædam Arithmetica, quæ circa numeros determinatos verſatur, atque adeo docet modum inveniendi numeros determinatos ex datis aliis. Datur etiam ars inveniendi ſpecialis, qua veritates morales inveſtigantur: datur alia, quæ phyſicis veritatibus detegendis deſtinatur. Ars vero inveniendi generalis eas tradit regulas, quæ in omni veritatum eruendarum genere uſum habent, ſive eæ mathematicæ ſint, ſive phyſicæ, ſive morales, ſive alteriùs cujuscunque generis. Etſi autem nos aliquando artem inveniendi generalem traditurі ſimus; non tamen prorſus negligemus artes inveniendi ſpeciales, ut appareat quomodo eædem continuo novis regulis locupletari regulæque, quæ in poteſtate ſunt, ad uſum transferri poſſint.

§. 474.

Regula ſpeciales artis inveniendi unde deducantur.

Regulæ ſpeciales artis inveniendi ſpecialis ex veritatibus de illo objecto, circa quod ea verſatur, erutis deducuntur. Patet hoc a poſteriori ex Analyſi Mathematicorum, præſertim ſi noſtro more methodo analytica pertractetur. Etenim ſi quis cum attentione elementa noſtra Analyſeos tam finitorum, quam infinitorum perlegit; is animadvertet, quomodo vi regularum generalium detegantur theoremata mathematica, quorum ope per easdem regulas regulæ ulteriores hujus analyſeos eruuntur, & quomodo ope harum regularum denuo inveſtigentur theoremata alia, quæ aliis ulterioribus regulis inveniendis inſeviunt. E. gr. ope calculi literalis eruitur compoſitio quadrati aut, ſi mavis, ejus geneſis, in caſu radicis binomiæ: ex hac autem geneſi eruitur regula pro æquationibus quadraticis affectis ad puras reducendis (§. 261. *Arithm.* & §. 143. *Analyſ. finit.*). In philoſophia practica univerſali damus ſpecimina regularum ſpecialium artis inveniendi ex veritatibus moralibus erutarum. Plura occurrent ſuo tempore in Arte inveniendi.

§. 475.

Digitized by Google

§. 475.

Quoniam regulæ speciales artis inveniendi continuo ulteriores ex veritatibus jam inventis eruuntur (§. 374): *Quo plures veritates in aliquo genere scientiarum fuerint repertæ, eo plures quoque regulæ artis inveniendi speciales inveniri possunt.* *Unde ars inveniendi augmentum capiat.*

Absonum igitur est arti inveniendi operam navare velle, antequam veritates jam inventas cognoveris. Neque enim intelliges satis regulas, multo minus earundem veritatem perspicies easque dextre applicabis, nisi veritates habueris perspectas, quibus regulæ istæ nituntur. Crescit adeo ipsa ars inveniendi cum numero veritatum inventarum. Atque hæc ratio est, cur artem inveniendi ultimo demum loco tradituri simus, ubi omnem disciplinarum ambitum pro instituti nostri ratione emensi fuerimus. Et probe notari velim, vivos egregios, qui in veritate latente investiganda strenui sunt, ope veritatum inventarum incidere in regulas, quibus ad ulteriores detegendas utuntur, utut ipsimet defectu attentionis atque acuminis singularis, quod hic requiritur, non advertant se esse regularum inveniendi inventores. Acquiescunt in notionibus confusis, quæ in exemplis latent: unde in posterum ad exempla respiciunt eademque imitantur, quando iisdem regulis opus habent.

§. 476.

Facilitatem observandi rerum similitudines *Ingenium* appellamus. *Ingeniosus* vero est, qui ingenio pollet, hoc est, qui similitudines rerum facile observat. *Ingenii definitio.*

Datur aliquod acumen in observandis similitudinibus rerum, neque hoc omnibus idem est. Utile quoque est hanc acuminis speciem ab aliis facultatibus animæ distingui. Nullum vero reperio nomen quod eidem magis conveniat, quam ingenii, etsi admodum vagus sit ejusdem significatus. Neque fixum hunc significatum ab usu loquendi abhorrere existimo, adeoque sequentem propositionem addi consultum judico.

§. 477.

Notio ingenii, quam dedimus, non abhorret ab usu loquendi. Constat enim præ cæteris ingeniosos dici Poëtas, Oratores *Ingenii notio usui loquendi conformis.*

Digitized by Google

tores ac hiſtriones. Ac Poëtis quidem ob tropicam dicendi rationem id nominis tribuitur. Utuntur allegoriis & metaphoris, quæ in ſimilitudine rerum fundantur. Quare cum inprimis eum ingenioſum judicemus, ubi apta nobis videtur ac inexpectata metaphora vel allegoria, quod ſimilitudo ſit clariſſima, etſi eam non facile quis per ſe obſervaturus fuiſſet; vel hoc ſolo argumento patet, ingenium hoc tribui Poëtæ ob facilitatem obſervandi ſimilitudinem rerum. Ita ſæpiſſime Poëtæ ipſa metri lege adducti genus pro ſpecie ac ſpeciem pro genere per ſynecdochen ponere coguntur: quod ubi apte fieri ſolet, ut nulla hinc oriatur in dicendo obſcuritas, ingenioſi dici ſolent. Quoniam itaque ingenioſus hic dicitur, qui in generibus ac ſpeciebus diſcernendis acutus eſt, genera autem ac ſpecies qui diſcernit, ſimilitudines rerum obſervat (§. 233. 234. *Ontol.*); patet denuo ob ſynecdoches convenientem uſum neminem dici poſſe ingenioſum, niſi qui acumine obſervandi ſimilitudines rerum pollet. Similiter Oratores dicuntur ingenioſi ob convenientem uſum metaphorarum, allegoriarum & ſimilitudinum: unde eodem modo, quo ante, colligitur ita judicantibus non aliam ingenii eſſe notionem, quam quod ipſum infacilitate rerum ſimilitudines obſervandi conſtet. Hiſtrionibus ingenium tribuitur ob dicta & facta, quando ex iisdem elucet aliquod in obſervandis rerum ſimilitudinibus acumen: quod ubi deficit, dicta & facta vix oblectant vulgum imperitum. De rebus obviis exempla in medium afferri opus non eſt (§. 666. *Log.*). Ex hactenus dictis abunde patet, dum ingenioſos appellamus alios, ad facilitatem obſervandi ſimilitudines rerum animum adverti, quamvis diſtincte vulgo non agnoſcatur ſub aliis peregrinis, quæ una percipiuntur, quaſi ſepulta (§. 693. *Log.*).

Quamobrem ut conſtet, quomodo tanta enata fuerit inconſtantia loquendi, in ea inquirendum eſt, quæ cum ingenio neceſſario connexa ſunt atque adeo ſemper una percipiuntur. Quodſi vero quis

quis propositionem præsentem ægre admiserit; is per nos judicet ingenii significatum, qui definitione nostra continetur (§. 376), usui loquendi communi non respondere: non tamen ideo habebit, unde definitionem nostram impugnet. Definitio enim nostra nominalis est, adeoque arbitraria: placet nimirum nobis vocem istam in hoc significatu accipere. Sufficit autem significatum esse realem, cum istiusmodi facilitas observandi similitudines rerum detur. Neque in leges styli philosophici impingimus, dum nomini significatum fixum imponimus. Necesse enim est facilitatem observandi similitudines rerum peculiari nomine distingui: Quodsi vero nomina singula perpendas, quæ de dotibus mentis usurpantur, non reperies aliam, quæ ad facilitatem prædictam indigitandam adhiberi possit, præterquam ingenium.

§. 478.

Imaginationem vivacem appello, qua phantasmata adeo clara producuntur, ut tibi probe conscius sis eorum, quæ in iisdem continentur. *Imaginatio vivax quænam dicatur.*

Differunt nimirum phantasmata gradu claritatis: id quod experientia constat, & vis imaginandi major, vel minor est pro gradus istius diversitate in diversis subjectis.

§. 479.

Ingenioso imaginatio vivax est. Ingeniosus enim rerum non modo præsentium, verum etiam absentium similitudinem facile observat (§. 476.). Quare cum ideæ rerum absentium vi imaginationis producantur (§. 92), adeoque phantasmata sint (§. 93); hæc inter se, vel ideas sensuales cum his comparans, facile observat, quæ in utrisque eadem sunt (§. 195. *Ontol.*) consequenter sibi probe conscius est eorum, quæ in phantasmatis continentur. Imaginatione adeo vivace utitur (§. 478). *Imaginatio ingenioso qualis sit.*

Hinc apparet, cur teste *Cicerone* ingenium sumi dicatur pro vi facile fingendi in hominibus, observante *Goclenio* in Lexico. Etenim facultas fingendi in producendis phantasmatis rerum sensu nunquam

Digitized by Google

perceptarum diviſione ac compoſitione phantaſmatum conſiſtit (§. 144. *Pſychol.*). Quo vivacior igitur imaginatio eſt, eo quoque facultas fingendi felicior. Quamobrem cum imaginatio vivax cum ingenio neceſſario conjungatur, atque inde pendeat facilitas fingendi, cujus effectus facilius percipiuntur, quam ingenium; non mirum videri debet, ſi in notionem ingenii intento imponat, quod cum eo conjunctum facilius percipitur ſuaque claritate alterum obſcurat.

§. 480.

Memoria cur polleat ingenioſus.

Qui ingenio, idem & memoria pollet. Qui enim ingenio pollet, facile obſervat rerum nunc & olim perceptarum ſimilitudines (§. 478), adeoque rerum olim perceptarum ideas facile reproducit & reproductas recognoſcit, vi nempe ejus, quod in re nunc percepta idem eſt cum ea, quod in olim percepta diſtinguebatur (§. 117). Memoria igitur pollet (§. 123).

Apparet ex demonſtratione propoſitionis præſentis, felicitatem imaginationis ac memoriæ cum ingenio una conjungi. Unde & *Cicero* apud *Goclenium* non modo obſervat, ingenium ſumi etiam pro vi memoriæ; verum notanter dicit, ingenium vim feliciter ac facile fingendi in hominibus ac vim memoriæ continere. Accidit vero hinc ex eadem, qua ante (*not.* §. 479), ratione, ut ingenium denotare dicatur vim memoriæ; quaſi excellentem quendam ejus gradum hac voce indigitaſſent olim Romani.

§. 481.

Cur inventores ingenio opus habeant.

Inventores ingenio opus habent. Inventores enim utuntur principio reductionis, quo objectum, de quo aliquid quæritur, reducunt, ad aliud notum, quod notionem communem cum iſto habet (§. 472), adeoque facile diſcernere debent ea, quæ in rebus diverſis eadem ſunt, conſequenter eorundem ſimilitudinem (§. 195. *Ontol.*). Opus igitur habent facilitate obſervandi ſimilitudinem rerum, conſequenter ingenio (§. 476).

Hinc

Hinc ingenium aptum efficit hominem ad inveniendum: id quod non modo in eo casu apparet, quo principio reductionis utuntur inventores; verum etiam in aliis casibus, quemadmodum alias ostendemus. Atque hinc denuo factum est, ut jam veteres animadverterint, ingenium quoque denotare vim inveniendi in hominibus; atque ideo *Cicero* affirmet, ingenium continere vim feliciter ac facile inveniendi ac fingendi in hominibus & vim memoriæ. Ex hactenus dictis (§. 479. *& seqq.*) abunde intelligitur, cur in notione distincta ingenii constituenda cespitaverint cum veteres, tum recentiores, quodque nos eruerimus proprium vocis significatum, quem intenderunt, quotquot ad alia cum ingenio necessario connexa, suisque peculiaribus nominibus insignita attentionem suam direxerunt. Ceterum exemplum valde luculentum hic habemus, quo comprobatur difficultas inveniendi notionem distinctam, quando notæ notionem rei formandam ingredientes sub aliis peregrinis quasi sepultæ (§. 693. *Log.*).

§. 482.

Veritates universales inter se connectuntur. Veritates universales seu determinatas propositiones universales in disciplinis tales deprehendimus, ut aliæ ex aliis demonstrari possint: ob quam rationem scilicet non modo veritates mathematicas per singulas disciplinas diffusas ita ordinamus in Elementis Matheseos universæ, ut aliæ ex aliis continuo demonstrentur; verum etiam in disciplinis philosophicis easdem ita ordinare studemus. Quatenus vero propositio una inservit demonstrandæ alteri, eatenus ex una intelligitur cur altera vera sit: id quod per se patet, modo ad exempla demonstrationum attendas. Una igitur in se continet rationem, cur altera sit vera (§. 56. *Ontol.*). Propositiones adeo determinatæ universales connectuntur inter se, quatenus sunt veræ (§. 10. *Cosmol.*), consequenter veritates universales inter se connectuntur. *Veritatum universalium nexus.*

Veritatum universalium nexus fundatur in nexu rerum, quem in Cosmologia stabilivimus part. 1. sect. 1. c. 1. quemadmodum veritas logica in veritate rerum transcindentali (§. 499. *Ontol.*). Et nisi istiusmodi nexus daretur, nec systemata veri nominis cordi possent, qualia in Horis subsecivis A. 1729. trim. brum. n. 3. descripsimus. Quamobrem quo

Digitized by Google

majorem operam eruditi in conſcribendis ſyſtematis collocaturi ſunt, eo clarius quoque nexum veritatum univerſalium perſpicient talemque dari ipſo opere convincentur.

§. 483.

Rationis definitio.

Ratio eſt facultas nexum veritatum univerſalium intuendi ſeu perſpiciendi.

Leibnitius in diſcurſu de conformitate rationis ac fidei Theodiceæ præmiſſo §. 23. rationem definit per catenam veritatum. Catenam ſumit in ſignificatu improprio, neque aliud per eam intelligit niſi nexum eo ſenſu acceptum, quem ſtabilivimus in Coſmologia §. 10. Etſi enim nullibi mentem ſuam diſtincte explicaverit; æquitas tamen in interpretando poſtulat, ut non alio ſenſu catenæ nomen accipiamus (§. 907. 922. *Log.*). Et cum ex contextu appareat, ſermonem ipſi eſſe de veritate doctrinæ, non facti: quin veritates univerſales intelligi debeant dubium non eſt. Definitio igitur *Leibnitiana* in eo differt a noſtra; quod rationem non habeat pro facultate animæ, ſed pro objecto, circa quod intellectus verſatur. Enimvero cum nemo non fatearur, rationem vulgo ſumi pro facultate animæ, minime autem pro objecto cognitionis noſtræ; nihilque obſtet, quo minus ſignificatum receptum retineamus; ab eo quoque fine urgente neceſſitate recedendum non eſſe duximus (§. 142. *Diſc. prælim.*)

§. 484.

Receptus ſignificatus vocabuli rationis ſtabilitus.

Significatus vocabuli rationis, ut a nobis ſumitur, uſui loquendi conformis. Quodſi Sempronius probe perpendit, quænam ex actione aliqua emergere poſſint emolumenta, quænam inde redundare queant damna, nec actionem edit, qua ſibimetipſi nocere poteſt; ex ratione ſeu eidem convenienter agere dicitur. In quonam, quæſo, hic conſiſtit ratio? Nonne ideo eum rationi convenienter agere dicis, quod perſpicit, quænam ex actionibus ſuis conſequuntur, adeoque nexum inter actiones iſtiusmodi, de quibus jam deliberat, utrum committendæ ſint, an omittendæ, & ea, quæ ex iisdem conſequuntur, damna, ſive emolumenta. Quodſi ergo ratio ſumatur

matur subjective pro facultate mentis; in præsenti casu utique erit facultas inspiciendi nexum veritatum universalium: neque enim de actione in singulari judicium discursivum ferre licet, nisi beneficio propositionum universalium (§. 374. 388. &c.). Patet igitur significatum vocabuli paulo ante stabilitum (§. 483.) esse usui loquendi conformem (*f.* 150. *Log.*).

Idem etiam ostenditur a contrario. Ponamus enim Sempronium edere actionem, quæ in damnum ipsius manifestum tendit. Nemo non affirmabit, eum contra omnem rationem agere. Cur vero, quæso, hoc affirmatur? Nonne ideo, quod non perpendit damnum ex actione emergens, idque facile prævidendum, consequenter quod non perspicit nexum inter actionem ac inde emergens damnum? Ratio hic denuo objective sumta aliud denotare nequit nisi nexum veritatum universalium, qui ratiocinando innotescit, adeoque subjective sumta denotat facultatem nexum istum perspiciendi (*f.* 150. *Log.*).

Eodem prorsus modo Veritas propositionis præsentis confirmatur, si ad casus alios respicias, in quibus rationis vocabulo utimur a sermone communi non recedentes. Quando enim de eo significatu loquimur, quem usus loquendi eidem tribuit, ad communem utique sermonem respiciendum (§. 139).

§. 485.

Rationi conforme vel *consentaneum* vocatur, quod cum veritatibus cognitis seu propositionibus universalibus veris connectitur. *Rationi contrarium* est, quod veritatibus universalibus contradicit. *Quid rationi conveniat, quid contrarietur.*

Etsi autem quid sit rationi conforme, vel contrarium; fieri tamen potest, ut nec coformitatem in casu priori, nec contrarietatem in posteriori agnoscamus. Cavendum vero, quod sæpe fieri solet, ne rationi contrariari judicemus, quod eidem conforme minime agnoscimus. Nec minus cavendum, quod creberrime accidit, ut rationi repugnare creda-

credamus, quod eidem conforme demonstrare minime valemus.

§. 486.

Quaenam rationi conformia sint.

Quod directe demonstrari potest, rationi conforme est. In demonstratione enim ostensiva sive directa ex notione subjecti colligitur, prædicatum convenire subjecto (§. 549. *Log.*) & quidem beneficio definitionum, axiomatum & propositionum jam ante demonstratarum, vel a posteriori evictarum (§. 498. *Log.*). Quoniam itaque per definitiones, axiomata & propositiones ante demonstratas, aut a posteriori evictas intelligitur, propositionem directe demonstratam esse veram (§. 568. 564. *Log.*); in illis definitionibus, axiomatis ac propositionibus continetur ratio, cur per hæc principia demonstrata propositio sit vera (§. 56. *Ontol.*), adeoque hæc cum istis connectitur (§. 10. *Cosmol.*). Enimvero definitiones (§. 252. *Log.*) & axiomata ceteræque propositiones propositiones universales sunt (§. 551. 552. *Log.*). Quicquid ergo directe demonstratur, rationi conforme est (§. 485).

Equidem in Logica nullibi demonstravimus, principia demonstrandi esse propositiones universales. Quodsi tamen quis perpendit ea, quæ de demonstratione ostensiva (§. 551. 552. *Log.*), dicta sunt, & animo recolit, quæ de propositionum universalitate tradita sunt (§. 242. 249. & seqq.); illarum universalitatem facile agnoscit, ut adeo nec opus judicemus idem per modum lemmatis hic demum demonstrari. Si quis tamen scrupulosior fuerit; ei satisfacit sequens demonstratio. In ratiociniis, quæ demonstrationem ingrediuntur, propositiones antea stabilitæ sunt majores syllogismorum in prima figura (§. 551. 552. *Log.*) Sed majores syllogismorum primæ figuræ semper universales sunt (§. 366. *Log.*). Propositiones igitur antea stabilitæ, quibus utimur in demonstrando, universales sunt.

§. 487.

Quaenam rationi contraria sint.

Si ex propositione data colligitur, quod propositioni cuidam veræ contradicit; illa rationi contraria est. Propositio enim falsa est, ex qua colligitur, quod veræ cuidam contradicit

Digitized by Google

dicit propositioni §. 556. *Log.*), consequenter ex aliis veris colligi nequit (*§.* 537. *Log.*). Quonam itaque per alias propositiones veras, easque universales (*not.* §. 486.) non intelligitur, cur prædicatum conveniat subjecto; ratio nexus prædicati cum subjecto nulla in aliis propositionibus veris universalibus continetur (*§.* 56. *Ontol.*), consequenter propositio, de qua nobis jam sermo est, cum aliis propositionibus veris minime connectitur (§. 10. *Cosmol.*). Rationi igitur conformis non est (*§.* 485), adeoque eidem contraria (§. *cit.*).

Ex duabus propositionibus hisce intelligitur, quomodo evincatur, esse quid rationi conforme, vel contrarium. Nimirum conformitas cum ratione patet per demonstrationem directam; difformitas per apogogicam, modo in posteriori casu notetur, non assumi propositionem datæ contrariam, ut inde colligatur absurdum, sed ipsam potius, quæ datur, propositionem. Ita patet, veritates omnes geometricas esse rationi conformes, cum ibidem continuo aliæ ex aliis demonstrentur. Cumque nos idem moliamur in philosophia, non aliud docere intendimus, quam quidnam sit rationi consentaneum.

§. 488.

Ratio major ei est, qui plurium veritatum universalium nexum perspicit, quam illi, qui pauciorum nexum perspicit. Ideo enim ratio alteri tribuitur, quod nexum veritatum universalium perspicere valet (§. 483), adeoque ratio unius differt a ratione alterius, quod unus plurium veritatum universalium nexum perspicere possit, alter pauciorum. Multitudine igitur veritatum, quarum nexus introspicitur, constituuntur gradus rationis (§. 746. *Ontol.* Quare cum gradus unus altero major sit (§. 79. *Ontol.*) & ob hunc ipsum rei tribuatur magnitudo cui idem convenit; ratio quoque illius major est, qui plurium veritatum universalium nexum perspicit, quam ejus, qui pauciorum nexum perspicit. *Gradus rationis ab objecto materiali pendentes.*

Habemus hinc primum fundamentum graduum rationis, ubi gradus derivantur ab objecto materiali, veritatibus scilicet universalibus

ſalibus, circa quas verſatur ratio. Sed datur præterea aliud grádum fundamentum, de quo notanda eſt propoſitio ſequens.

§. 489.

Gradus rationis ab objecto formali pendentes.

Ratio ei major eſt, qui nexum veritatum univerſalium inter ſe in ſerie longiori continuare valet, quam qui eundem in ſerie brevium producere valet. Eodem fere modo propoſitio præſens demonſtratur, quo præcedens. Nimirum quia ratio eſt facultas nexum veritatum univerſalium introſpiciendi (§. 483), ipſo autem facto deprehenditur in connectenda veritate quadam data cum aliis continuo aſcendi poſſe ad alias generaliores, vel etiam deſcendi poſſe ad alias ſpecialiores; ratio unius differt quoque a ratione alterius, quod unus nexum veritatum univerſalium inter ſe in ſerie longiori continuare valeat, alter autem nonniſi in breviori. Longitudine adeo iſtius ſeriei conſtituuntur gradus rationis (*ſ.* 746. *Ontol.*). Quare cum gradus unus altero major ſit (§. 751. *Ontol.*) & ob hunc ipſum tribuatur rei, cui gradus iſte convenit, magnitudo; ratio quoque illius major eſt, qui nexum veritatum univerſalium inter ſe in ſerie longiori continuare valet, quam qui eundem in ſerie breviori producere poteſt.

Series veritatum inter ſe connexarum innoteſcit ex ſyſtematis veri nominis. In Elementis Matheſeos univerſæ diſciplinas mathematicas inter ſe connexas dedimus. Quare ſi quis a prima orditur & non modo in ea continuo progreditur, verum etiam inde gradum ad diſciplinas ulteriores promovet; is in ſerie veritatum inter ſe connexarum continuo deſcendit. Quodſi vero propoſitionem aliquam in diſciplina quacunque aſſumit ac inde ad principia, quæ in demonſtrationem influunt, eodem modo retrogreditur, quo idem in ſucceſſiva aſſenſus geneſi determinanda facere ſolemus (*conf.* §. 992. *Log.*); in ſerie veritatum inter ſe connexarum aſcendimus. Veritates quoque philoſophicas per ſingulas diſciplinas inter ſe connectimus, ut inde naſcantur ſcalæ, per quas continuo & aſcendere, & deſcendere licet. Quare ideam quoque ſeriei veritatum inter ſe connexarum ex philoſophia noſtra ſibi comparare valet.

§. 490.

Digitized by Google

§. 490.

Experientia non est ratio. Experientia enim est cognitio eorum, quæ sola attentione ad perceptiones nostras patent (§. 664. *Log.*), atque singularium (§. 665. *Log.*). Quoniam itaque vi experentiæ tantummodo cognoscitur, quod aliquid sit, vel fiat, veritatum autem universalium nexus non perspicitur; ex adverso beneficio rationis nexus veritatum universalium perspicitur (§. 483); experientia ratio non est, sed eidem contradistinguitur. *Diversitas rationis ab experientia.*

Hinc ea, quæ experientia nobis innotescunt, opponimus iis, quæ rationis beneficio cognoscuntur. Neque adeo a ratione commendamus eum, qui multa rerum experientia instructus. In vernaculo inprimis idiomate experientiam a ratione accurate distinguimus, quando nobis de aliorum cognitione sermo est. Ac utile omnino est experientiam a ratione probe distingui, ne, quod frequenter accidit, miremur, cur homines, quibus amplissimus est rationis usus, hæreant in rebus leviculis, quæ nonnisi experientia innotescunt, propterea quod ab experientia ipsorum alienæ sunt.

§. 491.

Quicquid beneficio rationis cognoscimus, a priori cognoscimus. Quicquid enim cognoscimus, vel a priori cognoscimus, vel a posteriori (§. 435.). Enimvero quod a posteriori cognoscimus, experiundo addiscimus (§. 433). Quare cum experientia non sit ratio (§. 490); quod a posteriori cognoscitur, rationis beneficio non cognoscitur. Quicquid igitur rationis beneficio cognoscitur, a priori cognosci debet. *Qualis sit cognitio rationis beneficio acquisita.*

§. 492.

Quoniam itaque a priori cognoscimus, quod ratiocinando nobis innotescit (§. 434), quæ vero beneficio rationis cognoscimus, a priori cognoscimus (§. 491); *Quicquid beneficio rationis cognoscimus, ratiocinando cognoscimus.* *Idem porro expenditur.*

Hinc & ratiocinia nomen trahunt a ratione, quod per ea rationis usus sese exerat, nec absque iis in homine detur.

Digitized by Google

§. 493.

Rationis defectus unde agnoscatur.

Quoniam beneficio rationis non cognoscitur, nisi quod ratiocinando eruitur (§. 492); *Si cui enti deest facultas ratiocinandi, eidem quoque deest ratio.*

Habemus igitur principium, per quod probari potest, utrum ens aliquod habeat usum rationis, an eodem destituatur, immo utrum enti alteri sit ratio, an vero hac facultate prorsus destituatur. Principii hujus multiplex usus non modo in Psychologia rationali, verum etiam in philosophia practica atque Jurisprudentia: id quod ipsa ejusdem applicatione suis locis utiliter facta luculenter admodum constabit.

§. 494.

Quomodo beneficio rationis quid cognoscatur.

Quicquid beneficio rationis cognoscitur, id ex aliis propositionibus sive judiciis atque definitionibus, quæ antea nobis innotuere, colligitur. Quicquid enim beneficio rationis cognoscitur, id ratiocinando colligitur (§. 492). Enimvero dum ratiocinamur, ex definitionibus & judiciis aliis prævis, quemadmodum ex legibus ratiocinandi apparet (§. 374. 384. 388 &c.) colligitur propositio alia. Ergo quicquid beneficio rationis cognoscitur, id ex definitionibus aliisque propositionibus s. judiciis prævis colligitur.

§. 495.

Rationi pura ac non pura differentia.

Ratio pura est, si in ratiocinando non admittimus nisi definitiones ac propositiones a priori cognitas. *Pura* non est, si in ratiocinando præterea admittuntur, quæ a posteriori cognoscuntur.

Ratio pura in Arithmetica, Geometria & Algebra. Quodsi dubium moveant quædam axiomata, quæ vi notionum communium a posteriori manifestarum admittuntur; illud protinus evanescet, ubi ad animum revocaveris, in philosophia prima eadem a priori fuisse demonstrata. In Physica ratio minime pura est, cum ibidem ubivis assumantur, quæ de rebus a posteriori innotescunt, quemadmodum & in Astronomia moris est.

§. 496.

Digitized by Google

§. 496.

Rationis & experientia concursus.

Quando ratio pura non est, experientia eum eadem in cognoscendo concurrit. Quando enim ratio pura non est, in ratiocinando admittuntur præter definitiones ac propositiones, quæ a priori innotuerunt, etiam aliæ, quæ a posteriori cognoscuntur (§. 495). Enimvero quicquid a posteriori cognoscimus, experiundo cognoscimus (§. 434). Cum ratione igitur hoc in casu experientia in cognoscendo concurrit.

§. 497.

Connubium rationis ac experientiæ.

Concursus rationis & experientiæ in cognoscendo *Connubium rationis & experientiæ* dici solet.

Connubium hoc maximi facio in universa philosophia, cum & ad certitudinem cognitionis plurimum faciat, & progressum in scientiis mirifice juvet. Atque ea ratio est, cur in ipsa hac Psychologiæ parte, in qua cognitioni animæ a posteriori studemus, rationem tamen ubivis in subsidium vocemus, quasi de cognitione a priori essemus solliciti. Ac eundem quoque morem in philosophia experimentali servamus.

§. 498.

Scientia ac historia ortus.

Scientia ex ratione; historia ab experientia ortum trahit. Quicquid enim scimus, id demonstrare valemus (§. 594. *Log.*), adeoque per ratiocinia concatenata ex definitionibus & propositionibus jam antea evictis colligitur (§. 498. *Log.*), atque ex his intelligitur veritas illius (§. 568. 564. *Log.*), consequenter perspicitur rationem in iisdem contineri, cur illud verum sit (§. 56. *Ontol.*), & quod cum istis definitionibus atque propositionibus connectatur (§. 10. *Cosmol.*). Quoniam adeo scientia nexum inter veritates universales manifestat *per demonstrata*: ex ratione proficiscitur (§. 483).

In historia recensentur ea, quæ sunt atque fiunt, sive in mundo materiali, sive in substantiis immaterialibus (§. 3. *Disc. prælim.*). Ea, quæ sunt, vel fiunt, tanquam singularia (§. 226. 227. *Ontol.*), experientiæ debentur (§. 665. *Log.*). Historia igitur ab experientia ortum trahit.

Digitized by Google

Qui adeo de scientia sibi comparanda solliciti sunt, illi rationem amplificare student.

§. 499.

Cognitio philosophica rationis est. Qui enim cognitione philosophica instructus est, rationem perspicit eorum, quæ sunt, vel fiunt (§. 6. *Disc. prælim.*), adeoque nexum rerum tam coëxistentium, quam sibi mutuo succedentium, (§. 10. *Cosmol.*) consequenter propositionum universalium verarum, seu veritatum universalium (§. 505. *Log.*). Est itaque rationis (§. 485).

Cognitio philosophica quod rationis sit.

Studio igitur philosophiæ veri nominis, hoc est, istiusmodi, qualem nos definimus (§ 29. *Disc. prel.*) & colimus, ratio perficitur, ut hinc philosophiæ eluceat præstantia.

§. 500.

A ratione nullus proficiscitur error. Beneficio rationis enim perspicimus nexum veritatum universalium (§. 483). Quare cum veritates universales inter se connectantur, quatenus propositio una in se continet rationem, cur altera sit vera (§. 10. *Cosmol.*); beneficio rationis intelligimus, cur propositio aliqua vera potius sit, quam falsa (§. 56. *Ontol.*). Quoniam itaque ratione usus propositionem falsam pro vera habere nequit; a ratione error proficisci minime potest (§. 623.)

An error a ratione proficiscatur.

Qui adeo rationem accusant tanquam seductricem, quasi nos ad pernicios issimos ac gravissimos errores seduceret; terminum in alio prorsus significatu accipiunt, quam quem eidem supra (§. 483.) non invito usu loquendi (§. 484.) tribuimus. Nunc enim per rationem intelligunt quosdam de rebus naturalibus errores; nunc pravas hominis cupiditates, quibus in malum pronus fertur; nunc nescio quodcunque aliud. Atque hinc clamant, rationem adversari fidei ac virtuti: quod ipsorum judicium tamdiu verum est, quamdiu ex sua judicant notione usu loquendi minime comprobata! Absit autem, ut idem pro vero habeamus in legitimo termini significatu. Neque etiam ullibi terminus hic in significatu perverso in Scriptura Sacra occurrit, modo versionem a textu authentico distinguas. Sane *Lutherus* in versione Germanica decem vocabula Hebraica & triginta fere Græca

Digitized by Google

Græca per vocabulum Vernunfft, quod rationem significat, interpretatur, quæ non esse ejusdem significatus facile quis prævidere valet. Ecquis enim sibi persuadeat, in lingua Hebraica, quam pauperem esse constat, eandem rem decem diversis nominibus insigniri? Ecquis sibi persuadeat, Græcos triginta excogitasse vocabula ad rem unam eandemque denotandam? Vocabulum λόγος apud Græcos rationem significat, unde Logicæ nomen est, quam ideo Latine philosophiam rationalem dicimus. Sed hoc nusquam legitur in malam partem acceptum.

§. 501.

Qui actiones suas secundum experientiam moderantur; in casu simili imitantur olim facta. Patet hoc per experientiam maxime obviam. Homines enim plerique tantum non in omnibus actionibus, immo gravissimis negotiis; omnes vero homines in aliquibus saltem actionibus experientia magistra utuntur. *Quales homines sint in actionibus suis.*

Immo facile ostenditur, cur idem fieri debeat. Etenim quid fieri debeat in casu singulari dato, nemo judicare valet, nisi jam cognoverit, quid in istiusmodi casu fieri debeat (§. 361), nisi inventorem agere jubeatur (§. 414), quem casum jam non supponimus. Enimvero quicquid cognoscimus, vel a priori cognoscimus, vel a posteriori (§. 465): quamobrem quid fieri conveniat in istiusmodi casu, vel ratiocinando nobis innotuit, vel experiundo idem didicimus (§. 434). Nemo non novit in disciplinis, quæ docentur, non tradi theorias negotiorum maxime communium, immo gravissimorum, &, si quæ in iis continentur, pauciſſimos homines disciplinis vacare. Quoniam itaque destituuntur propositionibus determinatis, juxta quæ judicent in casibus datis; secundum notiones judicare tenentur, quas a posteriori seu per experientiam acquisiverunt. Vi igitur similitudinis casus præsentis cum alio quodam præterito hunc sibi repræsentant cum eo, quod in eo factum fuerit

(§. 305), quodque tum istud factum fuerit sibi conscii sunt (*not. §.* 173), atque adeo idem in hoc casu fieri debere judicant.

Etsi res pervulgata sit, meretur tamen attentionem philosophi. Non igitur tædet in eam inquirere penitius, ut in actionibus nostris satis circumspecti fiamus.

§. 502.

Qui in actionibus suis sint empirici; quinam rationales.

Homines *in actionibus suis* dicuntur *empirici* qui secundum experientiam actiones suas moderantur. In *actionibus* autem *suis rationales* dicuntur, qui secundum rationem eadem moderantur.

Ex iis, quæ in demonstratione propositionis præcedentis dicta sunt, apparet, neminem in actionibus suis rationalem esse posse, nisi qui habet animum theoria excultum, ut in dato casu propositiones universales, quas in disciplinis didicit, vel ipsemet invenit, ad facta singularia & negotia applicare possit (§. 501).

§. 503.

Expectatio casuum similium.

Expectationem casuum similium dicimus modum dirigendi actiones per olim facta in casu simili.

Perinde est, sive imitemur facta aliena, sive propria in casu simili.

§. 504.

Similitudo ejus apparens cum ratione.

Expectatio casuum similium rationi similis videtur. Qui enim casus similes expectant, ut agere possint, actiones suas dirigunt per olim facta in casu simili (§. 503), imitando scilicet, seu denuo faciendo, quod fecerunt alii, vel ipsimet fecerunt (§. 501). Id autem ideo fieri, & experimur, & intelligimus, quod eundem eventum in præsenti casu speremus, quem in simili antea experti sumus. Videmur adeo perspicere nexum inter actionem & eventum in casu dato, consequenter expectatio casuum similium rationi similis videtur (§. 483).

§. 505.

Digitized by Google

§. 505.

In expectatione casuum similium tertia latet mentis operatio, seu ratiocinium confusum in ea continetur. Etenim ubi prævia experientia didicimus, in quodam casu aliquid fieri posse vel debere; casu eodem recurrente notionis illius memimus (§. 205. 226), atque idem jam fieri posse, vel debere judicamus. Perceptio casus præsentis propositioni minori, memoria præteriti cum facto præterito majori & judicium inde enatum conclusioni respondet, ut perinde sit ac si ita argumentaremur: Casus præsens talis est. In casu tali hoc fieri debet. Ergo in præsenti hoc fieri debet. Latet igitur in expectatione casuum similium ratiocinium, utpote explicabile per syllogismum (§. 195. *Log.*); sed cum mens propositiones singulas non distinguat a se invicem, nonnisi confusum (§. 39). *Ea ulterius expenditur.*

§. 506.

Quoniam igitur etiam in hoc expectatio casuum similium rationi similis (§. 492. *Psychol.* & §. 195. *Ontol.*); *expectatio casuum similium est id, quod analogum rationis dici solet.* *Analogum rationis quid sit.*

Atque ita ad notionem distinctam reduximus *analogum rationis* veterum, ut adeo appareat, istud admitti posse tanquam principium explicandarum actionum hominis. Quod vero etiam ad brutorum actiones explicandas faciat, in Psychologia rationali ostendemus.

§. 507.

Si casus præsens revera fuerit similis præterito, non tantummodo ex parte talis deprehendatur; expectatio casuum similium rationi æquipollet. Etenim si casus præsens revera similis fuerit præterito, idemque nunc fit, quod in præterito fiebat; utrobique determinantia eadem sunt (§. 114. 181. *Ontol.*). Eadem igitur etiam sunt determinata (§. 192. *Ontol.*). Quoniam igitur hic determinatum istud est, quod posita in tali- *Quando rationi æquipolleat*

Digitized by Google

tali casu tali actione, sepositio alio quocunque obstaculo extrinseco consequitur (§. 112 *Ontol.*); quicquid in casu praeterito ex actione consecutum fuit, idem etiam in praesente consequi debet. Quare cum jam perinde sit ac si nexum inter actionem & id, quod inde consequitur, perspiceremus, atque adeo ratione in determinanda actione uteremur (§. 483); expectatio casuum similium, ubi casus praesens revera similis fuerit praeterito, in locum rationis surrogari potest, eidemque adeo aequipollet.

§. 508.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam itaque similitudo casuum cognoscitur ex identitate circumstantiarum, per quas determinatur (§. 195 *Ontol.*); *Si circumstantias casus praeteriti distincte cognoscas; expectatio casuum similium rationi aequipollet.*

Ita distincte singulas circumstantias casus agnoscimus, quando judicamus, aquam ebullire, si aheno cupreo infusum imponatur tripodi eidemque ignis subjiciatur. Notio igitur haec a posteriori acquisita non minus certo dirigit actiones nostras circa ebullitionem aquae ac si beneficio rationis nobis constaret, cur aqua ebullire debeat.

FINIS
PARTIS PRIMÆ PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ.

Digitized by Google

PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ

PARS II.

Digitized by Google

Digitized by Google

PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ
PARS II.
DE
FACVLTATE APPETENDI
IN SPECIE ET DE COMMERCIO INTERMENTEM & CORPVS.
SECTIO I.
DE FACVLTATIS APPETENDI PARTE INFERIORI.
CAPUT I.
De Voluntate ac Tædio, nec non Notione boni ac mali.

§. 509.

Institutum anteris.

HActenus contemplati sumus facultatem cognoscendi: progrediendum ulterius est ad facultatem appetendi. Appetitus nascitur ex cognitione; non tamen per saltum. Quamobrem distincte nunc nobis exponendum, quomodo ex notionibus nascatur appetitus. Equidem ad facultatem appetendi penitus agnoscendam conducunt quoque notiones certitudinis ac proba-

Digitized by Google

bilitatis cognitionis humanæ, nec non opinionis ac erroris, de quibus nondum diximus: quoniam tamen jam alibi de singulis hisce notionibus abunde dictum integris capitibus (*§. 564. & seqq. Log.*), ut denuo repetantur, quæ ibidem jam dicta sunt, opus non est. Quamobrem iis suppositis tanquam aliunde notis ad progressum a cognitione ad appetitum explicandum nos conferimus dicturi de voluptate ac tædio, notionibusque boni ac mali, propterea quod ex cognitione nascitur primum voluptas, inde porro judicium de bonitate objecti, ac hinc demum resultat appetitus; in casu autem opposito ex cognitione rei ortum primo trahit tædium, inde porro judicium, quod ea mala sit, tandemque hinc resultat aversatio. Appetitus atque aversationis genesis distincte agnosci meretur, cum hæc cognitio sit fundamentum totius philosophiæ moralis, immo ex hoc fonte limpido deducatur omnis juris principium.

§. 510.

Perfectionis veræ ac apparentis differentia.

Perfectio vera dicitur, quam rei inesse vi notionis perfectionis demonstrari potest, aut, sit mavis, quæ eidem revera inest. *Perfectio autem apparens* a nobis vocatur, quam per errorem eidem tribuimus.

Notionem perfectionis in genere dedimus in philosophia prima (*§. 503. Ont.*). Inde notio perfectionis rei cujuscunque in specie ratiocinando colligitur. Et ubi hoc succedit clarissime constat, perfectionem rei re vera inesse ut adeo pragmatica sit definitio prior perfectionis veræ, quam dedimus, utut eidem æquipolleat altera. Quoniam vero non omnes notione distincta perfectionis utuntur, quando de perfectione rerum judicium ferunt; præjudicia eidem substituere soleat. Unde accidit, ut per errorem judicent perfectum, quod tale non est; præjudicii tamen sui falsitatem non agnoscentes rem perfectam esse sibi persuadent. Qui adeo præjudiciis excæcati sunt, iis perfectum videtur, quod tale non est. Atque ita perfectio quædam apparens datur.

§. 511

§. 511.

Voluptas eſt intuitus, ſeu cognitio intuitiva perfectionis cujuscunque, ſive veræ, ſive apparentis. *Voluptatis definitio.*

Notionem hanc voluptatis diſtinctam debemus *Carteſio*, quemadmodum jam monuimus in Horis ſubſecivis A. 1729. *Trim. eſt. num.* 1. §. 2. Diſerte enim in epiſtola ad *Eliſabetham* Principem Palatinam: *Tota noſtra voluptas*, inquit, *poſita eſt tantum in perfectionis alicujus noſtra conſcientia*, ac præterea monet, *inæſtimanda perfectione homines ſæpius confundere quod apparet cum eo, quod eſt.* Quoniam quid iutuitive cognoſcimus, quatenus ideæ ejus, quam habemus, nobis conſcii ſumus (§. 286); apparet *Carteſium* voluptatem deducere a cognitione intuitiva perfectionis. Nimirum qui voluptatem ex re percipit, perfectionem ejus ſibi repræſentat quodque hoc facit ſibi conſcius eſt. Dum vero idem monet, homines in æſtimanda perfectione ſæpius confundere quod apparet cum eo, quod eſt; haud obſcure innuit, voluptatem non minus percipi ex perfectione apparente, quam ex vera, ſeu hic perinde eſſe ſive judicium ejus, qui rem perfectam eſſe judicat, verum ſit, ſive falſum. Maximi momenti eſt, ut diſcamus, voluptatem non minus percipi ex perfectione apparente, quam vera, cum in eo ſitum ſit ſemen omnis mali moralis.

§. 512.

Notio voluptatis, quam dedimus, experientiæ conſentanea. Nemo non novit, nos voluptatem percipere ex imagine, v. gr. uvæ, quam prototypo ſuo adeo ſimilem deprehendimus, ut idem adeſſe exiſtimemus. Neque enim hic voluptas percipitur ex objecto, quod repræſentatur, veluti in præſente caſu ex uva, cum gemina voluptate non perfundamur uvas conſpicientes, licet eamus nobis probe conſcii ſimus judicantes, quod uvæ ſint, quas videmus. Neque voluptas inde eſt, quod ad imaginem propius accedentes agnoſcamus, nos minime ex veritate judicaſſe, dum uvam pictam pro naturali habebamus, cum tædio potius afficiamur, quando certiores reddimur judicium noſtrum nos fefelliſſe. Ideo igitur voluptas oritur, quod ſimilitudinis uvæ pictæ cum natu- *An illa ſit experientiæ conformis.*

rali nobis conſcii ſimus & ejus inde convincamur, quod pictam cum naturali confuderimus. Enimvero in ſimilitudine imaginis cum prototypo perfectio ejus conſiſtit. Quamobrem voluptas tota in eo ſita eſt, quod perfectionis imaginis tibi conſcius ſis, ſeu, quod perinde eſt, quod eam intuitive cognoſcas. Equidem nemo non fatetur, perfectionem imaginis ex ſimilitudine ejus cum prototypo æſtimandam eſſe: quodſi tamen quis probationem deſideret, haud difficulter eam damus. Nimirum dum pictor imaginem delineavit, veluti dum in dato caſu uvam pinxit, non aliud intendit, quam prototypon, cujus imaginem fecit, veluti uvam, in tabula repræſentare. Quoniam imago prototypo ſuo ſimillima ſupponitur, quæ in imagine diſtinguuntur eadem ſunt cum iis, quæ in prototypo diſtinguere licet (*§.* 195. *Ontol.*). Nihil adeo datur in imagine, quod non repræſentet aliquid in prototypo, & nihil datur in prototypo, quod non repræſentetur in imagine. Singula igitur, quæ in imagine diſtinguuntur, cum ſint repræſentamina prototypi & omnia ſimul repræſentamen totius prototypi; ſingula imaginis inter ſe conſentiunt atque in hoc conſenſu, conſequenter in ſimilitudine, perfectio imaginis conſiſtit (§. 503. *Ontol.*). Similiter voluptatem percipimus ex eo, quod horologium horas ſingulas ſingulasque ejus partes accurate indicet. Enimvero in hoc conſiſtit perfectio horologii, quod eo fine conſtruitur, ut tempus indicet (*nat.* §. 573. *Ontol.*). Voluptas igitur ex horologio percipitur, quatenus nobis conſcii ſumus perfectionis ejusdem. Architecturæ peritus inſigni prorſus voluptate perfunditur, quando contemplatur ædificium juxta regulas architectonicas conſtructum. Enimvero ſi in ædificii ſtructura omnia cum regulis Architecturæ conſentiunt, ut ſcilicet inde ratio reddi poſſit, cur unum quodque eorum tale eſſe debuerit; ædificium perfectum eſt. Architecturæ igitur peritus conſcius ſibi eſt perfectionis ædificii, quando ex eodem voluptatem percipit. Sunt qui voluptatem percipi-

cipiunt ex vita dissoluta, quod ita ex ingenio suo vivant ab arbitrio aliorum prorsus independentes. Tum vero per errorem istam independentiam pro perfectione status habent, atque adeo voluptate perfunduntur, quatenus sibi conscii sunt perfectionis cujusdam apparentis. Absit igitur, ut eos casus, in quibus voluptatem percipiens nullius perfectionis veræ sibi conscius esse potest, notioni voluptatis, quam dedimus, opponamus.

Probe hic notandum est, non necesse esse, ut quis in genere judicet objectum, quod percipit, esse perfectum: sufficit enim perfectionem quandam sive veram, sive apparentem saltem confuse percipi. Ita non opus est, ut judices imaginem prototypo similem esse perfectam; sed sufficit, ut tibi conscius sis similitudinis. Nec opus est ut judices horologium esse perfectum; sed sufficit ut tibi conscius sis, quod tempus accurate indicet. Neque etiam opus est ut quis judicet vitam dissolutam esse perfectam; sed denuo sufficit, ut sibi conscius sit, se agere quod lubet. Judicium enim, quo statuitur, in eo, cujus tibi conscius es, consistere perfectionem rei perceptæ in notionibus confusis involvitur, ut non agnoscatur nisi ab eo, qui singulari acumine illas evolvere & ad distinctas revocare valet.

§. 513.

Si perfectio fuerit vera & qui ejusdem sibi conscius est rem esse perfectum demonstrare possit; voluptas constans est, hoc est, semper oritur, quotiescunque illius sibi conscius est. Quodsi enim vera fuerit perfectio, eam rei inesse vi notionis perfectionis demonstrari potest (§. 510.) & quoniam hanc demonstrationem dare valet, qui ejusdem sibi conscius est *per hypoth.* in numero perfectionum esse, quod in re percipit, certus est (§. 567. *Log.*), neque verendum ut ejus unquam mutetur judicium. Quoniam igitur semper judicat istam rem esse in numero perfectionum, quotiescunque eam percipiens attentionem suam in eam dirigit; judicii quippe pristini ac sensus centitudinis memor (§. 117. 213.); voluptas quoque semper oritur, quoties quis sibi conscius perfectionis illius (§. 510). *Constantia voluptatis unde.*

Con-

Confirmatur idem a posteriori. Similitudo imaginis est perfectio vera &, qui demonstrare valet, imaginis perfectionem in similitudine consistere, nullo præjudicio se abripi patietur ut sibi persuadeat contrarium. Immo in præsente casu absque demonstratione perattentionem ad notiones confusas certi evadimus, in similitudine consistere imaginis perfectionem. Enimvero quamprimum percipis similitudinem objecti cum prototypo, voluptate quoque perfunderis, nec unquam accidit contrarium, ut displiceat imago propter similitudinem. Ita qui ex cognitione veritatis voluptatem percipit, vel ex eo, quod veritatem inveniat; is ex eadem voluptatem constanter se percipere experitur, quoties de cognitione veritatis cogitat, vel se jam veritatem antea adhuc latentem vel sibi incognitam eruisse experitur. Quod vero in utroque hoc casu perfectionis veræ sibi sit conscius, alias ostendi in Horis subsecivis A. 1729. Trim. 2st. n. 1, cum de voluptate ex cognitione veritatis percipienda agerem.

Etsi vero ex dictis satis superque appareat, constantem esse voluptatem, quæ percipitur, quando tibi perfectionis veræ fueris conscius, ubi eam certo cognoveris; idem tamen adhuc sequentem in modum ostendere lubet. Qui vi demonstrationis cognovit, v. gr. artem inveniendi esse summam intellectus humani perfectionem, is veritatis convictus semper ita judicabit, quoties de arte inveniendi cogitandi occasio ipsi suppeditatur. Quoniam itaque artis inveniendi sibi inexistentis conscius in omni casu, quo de eadem judicat, tanquam perfectionis intellectus sui, in omni casu ponitur easdem eadem voluptatis (§. 511). Quamobrem necesse quoque est in omni casu poni voluptatem eandem (§. 289. *Ontol.*). Voluptatem igitur percipit, quotiescunque artem inveniendi in se pensipit, consequenter voluptas constans est.

Non puto, fore aliquem, qui propositionem præsentem in perversum sensum trahat indoctillaturus, quod probentur, quæ per definitionem manifestra sunt, neque adeo probatione indigent. Etenim ut volu-

voluptatem percipias, non sufficit ut tibi conscius sis ejus, quod in numero perfectionum est; verum etiam conscius tibi esse debes, quod sit in perfectionum numero. Si enim ignores pertinere hoc, cujus tibi conscius es, ad rei perfectionem; voluptate nulla perfunderis. Quodsi per errorem judices idem in numerum imperfectionum referendum esse; tædio prorsus afficietur animus, quemadmodum deinceps patebit. Interest autem nosse, quandonam voluptas constans sit, cum hinc amplissimam deducturi simus in moralibus praxin.

§. 514.

Voluptatis vera ac apparentis differentia.

Voluptas vera est, quæ ex vera perfectione oritur: *Apparens* vero, quæ oritur ex apparente.

Utile est in Moralibus voluptatem veram ab apparente distingui. Plerique enim hominum in scelera sese præcipites dant, quod apparentem voluptatem cum vera confundunt.

§. 515.

Voluptas vera qualis.

Quoniam voluptas constans est, si perfectio fuerit vera & demonstrare possis, quod sit vera (§. 513), tum vero quoque certius sis voluptatem esse veram (§. 514); *voluptas vera constans est tam in se spectata, tum respectu subjecti, a quo agnoscitur.*

Nimirum etsi voluptas vera in se constans sit, quatenus nulla datur ratio intrinseca, cur mutetur; ex accidente tamen fieri potest, ut in aliquo subjecto non sit constans, sed mutetur, quatenus is eam non agnoscit, adeoque judicium verum, cujus minime convictus est, in erroneum abire potest, quemadmodum ex sequentibus clarius elucescet.

§. 516.

Gradus perfectionis.

Quo major fuerit perfectio, vel talis saltem apparet: eo major quoque est voluptas. Ponamus evidentiæ gratia perfectionem A esse dimidiam perfectionis alterius B: erit B bis A seu B = 2 A. Ponamus porro ex perfectione A ortum trahere voluptatem C: erit illa perfectio A ratio sufficiens voluptatis C (§. 129. *Ontol.*). Quoniam itaque posita adhuc alia perfectione A poni debet alia adhuc voluptas C (§. 189. *Ontol.*); evidens est posita perfectione bis A poni voluptatem bis C,

Digitized by Google

consequenter ex perfectione, quæ est dupla ipsius A, oriri voluptatem duplam ejus, quæ a perfectione A ortum trahit. Est vero perfectio B dupla perfectionis A *per hypothesin*. Ergo ex perfectione B dupla oritur voluptas ejus, quæ ex perfectione A ortum trahit. Quia idem eodem modo patet, si rationem perfectionum quamcunque aliam supponas; in genere patet, voluptatem fore tanto majorem, quo major fuerit voluptas.

Enimvero si voluptas oritur, perinde est sive perfectio fuerit vera, sive apparens (§. 511), consequenter sive rei perceptæ actu insit, sive tantummodo per errorem eidem tribuatur (§. 510). Quamobrem si perfectio B saltem appareat dupla perfectionis A, non minus ac in casu veritatis ex illa ortum trahere debet voluptas dupla ejus, quæ ex perfectione A oritur. Quamobrem si perfectio saltem major apparet; voluptas quoque major esse debet.

Idem confirmatur a posteriori. Majorem ex similitudine imaginis voluptatem percipimus, si major fuerit, quam ubi minor deprehenditur. Major autem similitudo major imaginis perfectio est, quemadmodum ex iis colligitur, quæ de perfectione imaginis supra (§. 512) demonstrata sunt. Voluptas itaque in hoc casu major est, quia perfectio major est, seu quia majoris perfectionis nobis sumus conscii. Videmus etiam voluptatem imminui, si quis artis peritus ostenderit tantam non esse similitudinem, quanta videbatur. Pars igitur voluptatis debebatur ei, quod tantummodo apparebat, seu per errorem rei tribuebatur. Atque hinc intelligitur, voluptatem quoque esse majorem, si perfectio tantummodo major apparet. Idem eodem modo patet in casibus aliis. Nemo negat, artem inveniendi majorem esse mentis perfectionem quam ab aliis inventa penitus intelligendi. Ecquis vero est qui non propria experientia edoctus fateatur, se majore voluptate perfundi, ubi per propriam meditationem veritatem

latem-

latentem eruit, quam ubi ab aliis inventa evolvens eadem intellecta veritati consentanea deprehendit? Hic igitur denuo major voluptas ex majore perfectione oritur, seu ideo majore fruimur voluptate, quod perfectionis majoris nobis conscii simus. Enimvero si quis videtur sibi invenisse veritatem, v. gr. quadraturam circuli, cum tamen in errorem inciderit, quem examine instituto ipsemet deprehendit; non minore voluptate perfunditur, quam si veritatem, quam quæsiverat, actu invenisset. Atque adeo denuo apparet, voluptatem quoque esse majorem, si per errorem majoris perfectionis tibi tantummodo conscius videaris.

Observavit hoc jam *Cartesius* ad ea respiciens, quæ unusquisque in seipso experiri potest, nisi eo destituatur acumine, quod ad distinguenda ea, quorum nobis de nobis in nobis conscii sumus, requiritur. Diserte nimirum profitetur, quamlibet voluptatem ex magnitudine perfectionis eam producentis metiendam esse; homines tamen sæpius confundere quod apparet cum eo, quod est: quibus verbis innuit, se ad notitiam horum via experientiæ perveniſſe. Neque vero difficultatem facessere debet, quod apparentia ejus, quod non est, gradum voluptatis intendere possit. Voluptas enim non oritur, quod rei, quam percipimus, insit perfectio & quod hanc quoque percipiamus; sed quod ejus tanquam inexistentis nobis conscii simus, adeoque eam inesse judicemus, sit ita quod actus judicandi non distincte appareat, perceptionibus animæ evolutis demum detegendus. Quoniam igitur voluptas ab actu judicandi pendet; actus res di judicandi veritatem non semper attingit; illi quoque locus esse debet, sive verum sit judicium, sive falsum. Magni igitur momenti est seriam ad voluptatem, quam ex rebus percipimus, afferre attentionem, ut tempestive rectificentur judicia, si quando ea a vero aberrare contingat, ne error noxius vix animadversus serpat appetitum corrupturus.

§. 517.

Quo certius nobis est, vel videtur judicium de perfectione rei, eo majorem inde percipimus voluptatem. Voluptas enim oritur, quatenus perfectionem in re, quam percipimus, in- *Gradus alius perfectionis.*

tuemur, aut intueri nobis videmur (§. 511), adeoque non quatenus actu inest, sed quatenus eam rei perceptæ inesse judicamus. Quamobrem cum certitudo efficiat, ut agnoscamus judicium esse verum (§. 564. *Log.*), magis quoque nobis conscii sumus quod perfectionem rei intueamur, quam si minus certum fuerit judicium, consequenter intuitus perfectionis clarior est vel saltem talis videtur. Quamobrem cum major esse debeat voluptas, ubi perfectionem clarius intuemur, quam ubi eam minus clare intuemur, cum in casu posteriori latens aliqua dubitatio impediat ex parte voluptatis genesin (§. 511); major utique esse debet voluptas, si certius fuerit, vel apparuerit nobis de perfectione rei judicium.

Idem quoque patet a posteriori. Etenim architectus, qui convictus sibi videtur de veritate regularum architectonicarum, vel etiam actu convictus est, majorem voluptatem percipit ex ædificio, ubi ejus cum regulis architectonicis consensum deprehendit, quam alter, qui ejusdem sibi conscius est, sed regularum architectonicarum veritatem non perspiciens eas tantummodo intellectas memoriæ mandavit, ut norit easdem ab architectis observari, minime autem convictus sit eas necessario observari debere. Hic major voluptas oritur ex eo, quod unius judicium de perfectione ædificii magis certum sit, vel judicanti saltem videatur, quam judicium alterius. Inde etiam est, quod si utriusque judicium fuerit erroneum, alter majorem voluptatem percipiat; alter vero minorem, prout unus magis sibi persuasus videtur de veritate judicii, quam alter. Atque hic potissimum casus inservit, ubi veritatem propositionis præsentis a posteriori confirmare volueris.

Probe hic considerandum, certitudinem judicii (quod in demonstratione assumsimus) producere claritatem in appercipiendo, ut perinde sit, ac si objectum aliquod majore lumine illustratum intueremur. Constat autem melius videri ac agnosci, quæ clariora sunt, quam quæ obscuriora apparent. Unde & in casu certitudinis majo-

majoris perfectio magis agnoscitur, quam in casu minoris, consequenter in illo magis tibi conscius es perfectionis, quam in altero.

§. 518.

Tædium est intuitus, seu cognitio intuitiva imperfectionis cujuscunque, sive veræ, sive falsæ. *Tædii definitio.*

Tædium hic sumitur pro opposito voluptatis, propterea quod nullum occurrit vocabulum, quod vi etymologiæ voluptati opponatur, quemadmodum in vernacula Luſt & Unluſt sibi mutuo opponuntur. Ex eo vero, quod tædium voluptati opponi debeat, ejus definitio ex definitione hujus facile elicitur. Perfectioni enim opponitur imperfectio: Quare cum ex perfectione oriatur voluptas, ex imperfectione eodem modo quod voluptati opponitur oriri debet, quo hoc ex perfectione ortum trahit. Quemadmodum vero in genesi voluptatis non attenditur veritas judicii; ita quoque in genesi tædii ad eam non respicitur. Sufficit te tibi esse cujusdam conscium, quod tuo judicio ad tædium tanquam genus suum refertur.

§. 519.

Notio tædii, quam dedimus, experientiæ conformis. Ponamus enim hominem, qui imaginibus delectatur iisdemque pretium statuit, videre imaginem prototypo suo prorsus dissimilem & rudi prorsus Minerva pictam. Quodsi attentionem suam in dissimilitudinem dirigit, non eam amplius percipit voluptatem, quam percepturus fuerat, ubi eam prototypo similem deprehendisset; sed visus quasi adspectu offenditur, ita ut oculos statim avertat, nec precibus alterius ad eam contemplandam adduci se patiatur. Equidem tædium non semper adeo clare percipitur, quemadmodum voluptas, propterea quod a tædio abhorrentes attentionem ad imperfectiones non tam studiose dirigimus, quemadmodum ad perfectiones eandem dirigere solemus, ubi ipsa voluptas stimulo est ad eandem continuandam, cum ex adverso tædium impediat, quo minus eandem conservemus. Quamobrem suppositi hominem, qui imaginibus delectatur & easdem in pretio habet, ne quis experimentum capiens contrarium experiri sibi videatur tædium leve *Notio tædii experientiæ conformis.*

Digitized by Google

ac vix naſcens non advertens. Confirmat idem exemplum Architecti, qui ob voluptatem, quam percipit, a contemplatione ædificii affabre extructi ſeſe abduci nullis perſuaſionibus patitur niſi neceſſitati, quod durum telum jure habetur, ſit obediendum. Etenim ubi ad ædificium accedit, quod opus artificis venditatur, ſuamque attentionem in ea dirigit, unde perfectio æſtimatur; quamprimum animadvertit regulis architectonicis contraria, tædio correptus oculos ab eodem avertit, nullis precibus adducendus ut in eodem contemplando attentionem ſuam defigat, addita ratione, quod ægre quaſi fiat oculis, ut eos eidem obvertere minime poſſit. Dum voluptatem ex re quadam percipimus, conſcii nobis ſumus perfectionis eidem inexiſtentis (*§.* 514), ſed ſimul perfectionis noſtræ, quatenus ſcilicet intellectus perfectionem arguit judicium de perfectione rei alterius, ut adeo *Carteſius* in definienda voluptate tantummodo rationem habuerit perfectionis ejus, qui voluptatem percipit, ſeu perfectionis ſubjectivæ. Ita Architectus de perfectione ædificii judicans conſcius ſibi eſt ſcientiæ architectonicæ, quam poſſidet & qua deſtitutus ſibi conſcius eſſe minime poſſet ædificii perfectionis, quod contemplatur. Enimvero dum imperfectionem rei agnoſcimus, tantum abeſt ut cujusdam imperfectionis noſtræ ſimul nobis conſcii ſimus, ut potius noſtri intellectus perfectionem inde colligamus, quod illam agnoſcere valeamus. Quamobrem in caſu primo voluptas ex re quadam percepta intenditur per eam, quæ ex nobismetipſis percipitur; in altero autem tædium ex re percipiendum impeditur per voluptatem, quæ ex nobismetipſis percipitur, ut adeo hic ſit quidam quaſi conflictus alicujus tædii atque voluptatis, illudque percipiatur, quo unum iſtorum excedit alterum. Quoniam itaque circumſpecta requiritur obſervatio, ubi tædium ex imperfectione rei perceptum agnoſcere volueris; ad eos inprimis caſus omnem attentionem converti conſultum eſt, in quibus noſtræ tantummodo imperfectio-

fectionis nobis conſcii ſumus. Nemo non ignorat præcipitantiam in judicando & defectum attentionis in numerum imperfectionum mentis referri, quemadmodum mentis perfectio eſt non ſtatuere niſi de rebus ſufficienter diſcuſſis & ſufficientem ad iſtiusmodi diſcuſſiones afferre attentionem.

Ponamus jam nos errorem committere ex præcipitantia in judicando, vel attentionis defectu atque poſtea agnoſcere, quod errorem commiſerimus & qua de cauſa eundem commiſerimus. Nemo non in ſe tædium deprehendet, immo conſcius ſibi erit, ſe ideo tædio affici quod præcipitantiam in judicando non evitaverrit, vel quod attentionem ſuam defiderari paſſus fuerit. Tædio igitur afficimur, quod nobis conſcii ſumus imperfectionis cujusdam noſtræ. Ponamus vero nobis errorem videri, qui non eſt, atque ex falſo eundem tribuere vel præcipitantiæ in judicando, vel defectui attentionis; non minus tædium in nobis oriri animadverteremus quam ubi revera vel ex præcipitantia in judicando, vel defectu attentionis errorem commiſimus. Tum vero tantummodo videmur nobis ex præcipitantia judicaſſe; videtur tantummodo nobis defeciſſe attentio noſtra, conſequenter conſcii nobis non ſumus niſi apparentis cujusdam imperfectionis (§. 510). Atque hinc apparet, tædio quoque nos affici ob imperfectionem apparentem, ut adeo hic non attendatur diſcrimen inter judicium verum atque falſum. Sufficienter itaque probatum eſſe exiſtimamus, notionem tædii quam ſtabilivimus (§. 519) eſſe experientiæ conſentaneam.

Quoniam ex tædio ortum tandem trahit averſatio; maximi momenti eſt notionem tædii diſtinctam habere. Dabimus fidem oculatam in philoſophia morali, ubi omnem praxin morum ex natura mentis humanæ deducemus ſicque deductam experientiæ conſentaneam confirmabimus. Ceterum quæ de voluptate annotata ſunt (*not.* §. 512); ea etiam ad tædium applicanda, ſcilicet quod ſufficiat imperfectionem quandam ſive veram, ſive apparentem ſidem confuſe

fuſe percipi, nequaquam autem opus eſſe, ut quis in genere judicet, objectum, quod percipit, eſſe imperfectum.

§. 520.

Conſtantia tædii.

Si imperfectio fuerit vera & qui ejusdem ſibi conſcius eſt, rem eſſe imperfectam demonſtrare poſſit; tædium conſtans eſt, hoc eſt, ſemper oritur, quotiescunque illius ſibi conſcius eſt. Quodſi enim vera fuerit imperfectio, eam rei ineſſe vi notionis imperfectionis demonſtrari poteſt (§. 510.) & quoniam hanc demonſtrationem dare valet, qui ejusdem ſibi conſcius eſt *per hypotheſ.* ideo certus eſt, quod in re percipit ad imperfectionem ejus pertinere (§. 567. *Log.*), neque adeo verendum eſt fore, ut ejus mutetur judicium. Cum igitur ſemper judicet iſtud ad imperfectionem rei pertinere, quod in eadem percipit, quotiescunque rem percipiens ſuam in iſtud attentionem dirigit, judicii quippe priſtini ac ſenſus certitudinis memor (§. 117. 213); tædium quoque ſemper oritur, quoties quis ſibi conſcius eſt ejus, quod ad rei perceptæ imperfectionem refert, adeoque tædium ipſius conſtans eſt.

Idem adhuc alia ratione oſtenditur. Qui vi demonſtrationis cognovit, quidpiam ad rei cujusdam imperfectionem pertinere; is veritatis convictus (§. 990. *Log.*) ſemper ita judicabit, quoties de eo cogitandi occaſio datur. Cum igitur in omni caſu, quo de eodem judicat, ejus ſibi conſcius ſit tanquam imperfectionis cujusdam rei tribuendæ, in omni caſu eadem ponitur tædii ratio (§. 511). Quoniam itaque neceſſe eſt idem quoque in omni caſu tædium poni (§. 189. *Ontol.*); tædium conſtanter oriri debet, quoties iſtius ſibi conſcius eſt, quod ad rei imperfectionem pertinet.

Confirmatur etiam idem a poſteriori. Præcipitantia in judicando & defectus attentionis debitæ imperfectio mentis humanæ eſt, id quod nemo in dubium vocare audet atque ex notione imperfectionis generali (§. 504. *Ontol.*) haud difficulter oſtenditur. Enimvero quamprimum qui id cognovit,

Digitized by Google

vit, sibi conscius est se ex præcipitantia judicasse, vel attentionem debitam desiderari passum fuisse; tædium oritur, nec unquam accidet contrarium, nisi quando quis non agnoscit, quanta illa sit naturæ mentis humanæ imperfectio.

Magni momenti est nosse, quandonam tædium constans sit, cum in Moralibus hinc derivetur constantia propositi non committendi mali, immo inde pendeat constans mali odium: quemadmodum suo loco dilucide constabit.

§. 521.

Quo major fuerit imperfectio, cujus tibi conscius es, vel tædii gratalis saltem apparet; eo majus quoque est tædium, quod inde oritur. Ponamus evidentiæ gratia, imperfectionem quandam B esse duplam alterius cujusdam imperfectionis A; dico tædium D, quod ex B provenit, fore duplum tædii C, quod ex A oritur. Quoniam enim ex imperfectione A oritur tædium C *per hypoth.* consequenter tædium C per imperfectionem A determinatur (§. 113. *Ontol.*); posita denuo ista imperfectione A, orietur quoque inde tædium C (§. 189. *Ontol.*), adeoque posita imperfectione bis A ponetur tædium bis C. Est vero imperfectio B dupla alterius A *per hypoth.* adeoque B est bis A (§. 142. *Arithm.*): Ergo ex B oriri debet tædium bis C, consequenter quod inde oritur tædium D est duplum tædii C, quod ex A oritur. Quoniam idem eodem modo in quacunque ratione alia imperfectionum ostenditur; evidens est tanto majus ex imperfectione percipi tædium, quanto ipsa major fuerit.

Quoniam vero tædium oritur, quatenus tibi conscius es imperfectionis, atque perinde sit sive judicium tuum fuerit verum, sive falsum, ut tantummodo appareat quod est (§. 518.); majus quoque erit tædium, quod ex imperfectione oritur, si hæc tantummodo major appareat.

Confirmatur idem a posteriori. Ponamus enim duas imagines, quæ prototypo suo dissimiles sunt, offerri artis pictoriæ perito. Ponamus primæ, quæ ostenditur, minorem esse

dissimilitudinem, quam alterius, quæ secundo loco monstratur. Nonne ad conspectum primæ protinus in hæc verba erumpet: Apagesis! Nihil mihi negotii est cum imagine ejusmodi? Quodsi vero jam altera ostendatur, nonne aversis oculis accelerata voce clamabit: Apage te! Apage te a me cum tua ista imagine! Læditur oculus adspectu? Ex his vero clarissime perspicitur, majorem imperfectionem majus parere tædium, minorem minus, cum major dissimilitudo imaginis major utique imperfectio sit quam minor. Similiter ponamus commissum esse errorem ex præcipitantia in judicando. Tanto major censetur præcipitantia, quo facilius a nobis evitari potuisset. Quando vero judicaveris præcipitantiam istam a te facile evitari potuisse, tædium majus percipies, quam ubi firmiter persuasus fueris eam a te non adeo facile, immo vix ac ne vix quidem evitari potuisse. Quare cum imperfectio major sit præcipitantia major in judicando, quam minor; majus in præsente casu oritur tædium ex imperfectione majore, seu quod tibi majoris fueris conscius imperfectionis. Quodsi quis tibi ostendit, præcipitantiam in judicando, cujus te reum esse cognoscis, non adeo facile evitari posse, quemadmodum tibi videtur; quamprimum non amplius tanta ea videtur, quam videbatur antea; tædium quoque imminui percipies. Atque hoc ipso probatur, majus tædium oriri etiam ex eo, quod imperfectio, cujus tibi conscius es, major appareat. Abunde igitur veritas propositionis præsentis a posteriori confirmatur.

Cui curæ condique est, ut, quæ de facultate appetendi docentur, eorum certam ac nulli prorsus dubitationi obnoxiam notitiam sibi comparet; is ad hominum actiones assiduam afferre debet attentionem. Ubi enim theoremata nostra sibi familiaria reddiderit; facile observabit hisce perspicillis munitus, quæ alias attentionem ipsius effugiunt. Merentur autem hæc dogmata, ut firmo assensu comprehendantur, quod insignem prorsus in philosophia morali spondeant utilitatem.

§. 522.

Digitized by Google

§. 522.

Quo certius nobis est, vel videtur judicium de imperfectione; eo majus inde tædium percipimus. Quoniam tædium in cognitione intuitiva imperfectionis sive veræ, sive apparentis totum consistit, (§. 518), quemadmodum voluptas in cognitione intuitiva perfectionis (§. 511), consequenter definitiones nonnisi in eo differunt, quod in una loco perfectionis ponatur imperfectio; ideo quæ a qualitate judicii pendent, in utroque casu eadem esse debent. Quamobrem cum a majore certitudine judicii de perfectione rei pendeat major gradus voluptatis (§. 517); major etiam gradus tædii pendere debet a majore certitudine judicii de imperfectione, cujus tibi conscius es, vel conscius esse videris. *Ulterior gradus tædii.*

Quodsi propositionem superiorem de dependentia majoris voluptatis a majore certitudine judicii de perfectione rei præsupponere nolueris; propositio præsens eodem prorsus modo demonstrari potest, quo illa ipsa propositio superior demonstrata fuit.

Habemus adeo duplex fundamentum graduum tam voluptatis, quam tædii, scilicet magnitudinem perfectionis, vel imperfectionis, cujus nobis conscii sumus, & gradum certitudinis judicii de ista perfectione, vel imperfectione. Quodsi theoremata ista stilo mathematico efferre libuerit; dicendum erit: 1. Voluptatem esse in ratione composita perfectionum, quarum nobis conscii sumus, ac certitudinis judiciorum de istis perfectionibus: 2. Tædium esse in ratione composita imperfectionum, quarum nobis conscii sumus, ac certitudinis judiciorum de istis imperfectionibus. Unde consequitur: Si eadem fuerit perfectio, vel imperfectio, voluptatem vel tædium esse gradui certitudinis judicii de perfectione, vel imperfectione proportionalem, & 4. si eadem fuerit judiciorum de perfectione, vel imperfectione, cujus nobis conscii sumus, certitudo; voluptatem, vel tædium esse perfectioni, vel imperfectioni, cujus nobis conscii sumus, proportionale. Theoremata hæc ad *Psycheometriam* pertinent, quæ mentis humanæ cognitionem mathematicam tradit & adhuc in desideratis est. In ea autem doceri debet, quomodo magnitudinem perfectionis ac imperfectionis nec non certitudinem judicii metiri debeamus, adeoque mensura perfectionis ac imperfectionis, itemque

Digitized by Google

que certitudinis judiciorum constituenda: neque enim theoremata ante ullius usus sunt, quam utraque mensura fuerit inventa. Hæc non alio fine a me adducuntur, quam ut intelligatur, dari etiam mentis humanæ cognitionem mathematicam, atque hinc *Psycheometriam* esse possibilem, atque appareat animam quoque in iis, quæ ad quantitatem spectant, leges mathematicas sequi, veritatibus mathematicis, hoc est, arithmetricis & geometricis cum contingentibus non minus in mente humana, quam in mundo materiali permixtis.

§. 523.

Voluptatis ac tædii simplicis & mixti differentia.

Voluptas simplex est, quæ ex eo oritur, quod unius tantummodo perfectionis tibi conscius es. *Voluptas* vero *mixta* est, quæ ex eo oritur, quod plurium perfectionum simul tibi conscius es. Similiter *Tædium simplex* est, quod ex eo oritur, quod unius tantummodo imperfectionis tibi conscius es. Ast *Tædium mixtum* est, quod inde oritur, quod plurium imperfectionum simul tibi conscius es.

Quouiam in Moralibus plurimum interest, ut distincte cognoscamus, unde voluptas oriatur ac tædium, ut præjudicia detegantur virtuti inimica, vitio amica; consultum fuit voluptatem simplicem a mixta & tædium simplex a tædio mixto distingui, ut ope harum definitionum excitemus attentionem, sine qua acumen nullum est ad diversas voluptatis atque tædii rationes seu causas agnoscendas & a se invicem separandas, ne per errorem uni tribuatur, quod a pluribus concurrentibus derivandum.

§. 524.

Voluptas mixta qualis.

Si plures perfectiones simul confuse percipis, voluptas mixta oritur, quæ instar unius apparet. Si enim plures perfectiones simul confuse percipis, eas a se invicem non distinguis (§. 39), adeoque non tanquam plurium, consequenter tanquam unius tibi conscius es. Quoniam igitur voluptas in cognitione intuitiva illarum tota consistit (§. 511), ex singulis quidem perfectionibus ortum trahunt voluptates singulæ, sed quæ in unam confunduntur, atque adeo voluptas mixta oritur (§. 523), quæ instar unius seu simplicis apparet (§. *cit.*).

Patet

Patet hinc ratio, cur voluptatem mixtam dixerimus, quæ a perfectionibus pluribus simul perceptis ortum trahit. Quemadmodum mixtum oritur ex plurium miscibilium confusione, ut particulæ imperceptibiles invicem uniantur & massæ mixtionem ingredientes massam unam constituant; ita quoque voluptas mixta nascitur ex voluptatum plurium confusione, ut inde oriatur una quædam voluptas. Sicuti autem miscibilia resolvuntur in particulas, quæ invicem unita constituunt copuscula mixti, & horum unione demum prodit integrum corpus mixti; ita voluptates simplices, quæ in tempore existunt, partes successivas habere intelliguntur, quæ per tempuscula, quibus durant, determinantur, & confusæ ita momentaneæ voluptates exhibent id, quod corpusculis mixti in mixto materiali respondet, atque momentaneis istiusmodi voluptatibus continuo sibi invicem succedentibus nascitur tandem instar entis successivi voluptas mixta integra, quæ toto tempore, quo durat, percipitur. Inest igitur denominationi veritas (§. 252. 253. *Cosmol.*) atque adeo notio voluptatis mixtæ non modo per notionem mixti materialis explicari potest, sed datur etiam notio utrique mixto communis, quam inde abstrahere haud difficulter licet. Ista autem notio communis utilitate sua non destituitur. Ex ea enim apparet, notiones confusas & perceptiones confusas instar mixti alicujus concipi posse: id quod inter principia heuristica Psychologiæ propria referri debet, plurimumque confert ad interiorem mentis humanæ cognitionem eamque totam quantam pragmaticam ob eximium prorsus in philosophia morali usum.

§. 525.

Si plures imperfectiones simul confuse percipimus; tædium mixtum oritur, quod instar unius apparet. Probatur propositio præsens eodem prorsus modo, quo veritatem præcedentis evicimus. *Tædium mixtum quale.*

Ex propositione præsente ac præcedente intelligitur cautione opus esse, si a posteriori confirmare volueris, quæ de magnitudine voluptatis (§. 516. 517.) ac tædii docuimus (§. 521. 522).

§. 526.

Si imperfectio aliqua & perfectio simul clare percipiuntur; tædium & voluptas simul percipiuntur. Etenim si im- *Tædii & voluptatis coexistentia.*

perfectio percipitur clare, tædium oritur (§. 518): Si vero perfectio clare percipitur, voluptas nascitur (§. 511). Quoniam vero contradictionem nullam involvit, ut duas simul res percipias, in quarum una imperfectionem, in altera perfectionem intueris (§. 30. *Ontol.*); impossibile igitur non est (§. 79. *Ontol.*), adeoque fieri potest ut imperfectionis alicujus ac perfectionis alicujus tibi simul conscius sis, etsi simul percepta a se invicem non distinguas, adeoque confusa sit simultanea perceptio (§. 39), consequenter si contingat imperfectionem aliquam & perfectionem simul a te clare percipi, tædium & voluptas simul oriri debent.

Quemadmodum perfectio & imperfectio simul perceptæ confunduntur, ut confusa quædam inde nascatur perceptio; ita quoque tædium ac voluptas confunduntur, ut mixtum quid oriatur. Quodsi vero contingat, ut magis tibi conscius sis perfectionis, quam imperfectionis, attentione ad illam magis, quam ad hanc conversa (§. 237); voluptas quoque prævalebit adversus tædium, ut illa præ hoc percipiatur. Nulla in propositione præsente latet contradictio. Neque enim supponimus nos conscios esse perfectionis ac imperfectionis simul in eodem objecto; sed in objectis diversis.

§. 527.

Voluptas prævalens adversus tædium & contra.

Quoniam perceptiones fortiores obscurant debiliores, ita ut debiliores prorsus non appercipiamus (§. 76. 99), consequenter debiliorum nobis prorsus non conscii simus (§. 25); voluptas vero tota in perfectionis cujusdam (§. 511), tædium in imperfectionis cujusdam cognitione intuitiva seu conscientia consistat (§. 518): *si perceptio imperfectionis claritate sua multum superat perceptionem perfectionis, voluptas præ tædio non percipitur*, & vicissim *si perceptio perfectionis claritate sua multum superat perceptionem imperfectionis, tædium præ voluptate non percipitur.*

Intelligimus hic perceptionem claram, quæ cum apperceptione conjungitur, ut scilicet nobis conscii simus ejus, quod percipimus, atque id agnoscere valeamus. Confirmat autem propositionem præsen-

sentem experientia. Ponamus enim nos intueri imaginem maximam partem prototypo suo similem, sed in parte dissimilem, simulque conscios esse & similitudinis, & dissimilitudinis. Quodsi attentionem magis convertas in similitudinem, quam dissimilitudinem, ut illius multo magis tibi conscius sis quam hujus (§. 237). voluptatem quoque ita percipies, ut tædii tibi prorsus non sis conscius. Idem obtinet in casu opposito.

§. 528.

Si voluptas plurimum superet tædium, tædium prorsus non appercipitur. Et vicissim *si tædium plurimum superet voluptatem, voluptas prorsus non appercipitur.* Ponamus voluptatem & tædium simul percipi: cum voluptas pariter ac tædium in eas resolvi possint partes, in quas tempus, quo durant, resolvitur; particulæ voluptatis ac tædii momentaneæ concipi possunt instar corpusculorum mixti (§. 253. *Cosmol.*), consequenter tota voluptas totumque tædium per tractum temporis continuatum tanquam compositum quoddam continuum ex istis corpusculis, seu tanquam mixtum (§. 252. *Cosmol.*). Perceptio igitur voluptatis ac tædii simultanea comparari potest cum visione duorum coloratorum invicem permixtorum, aut cum gustu duorum sapidorum invicem permixtorum. Enimvero si colorati unius quantitas exigua admodum fuerit; mixtum pro simplici habetur sensuum judicio. Et similiter si sapidi unius quantitas veluti salis aquæ admixti valde exigua fuerit, aut contemtibilis; sapor salis nullus percipitur. Quare nec tædium appercipietur si voluptatem, cui coexistit, plurimum superet; nec tædium appercipietur si a voluptate plurimum superatur. *Obscuratio voluptatis ac tædii totalis.*

Idem etiam hac ratione ostenditur. Quoniam voluptas plurimum superat tædium *per hypoth.* ejus quoque tanto magis conscius tibi esse debes, quam tædii, quanto illa hoc major est, consequenter perceptio voluptatis sensationi fortiori, perceptio autem tædii debiliori respondet (§. 74. 75). Enimvero sensatio fortior obscurat debiliorem, ita ut subinde debiliorem

rem prorsus non appercipiamus (§. 76): voluptas igitur fortior obscurare debet tædium, ut subinde tædium prorsus non appercipiamus. Patet idem eodem modo sese habere, si tædium voluptatem superet, ut hæc subinde prorsus non appercipiatur, consequenter perinde sit ac si nullam, vel nihil ejus perciperemus.

Confirmatur idem a posteriori. Etenim si dolorem quendam percipimus, ejus sensus quasi extinguitur voluptate quadam maxima, qua perfundimur, attentione nostra conversa tota in perfectionem quandam rei, veluti in veritatem, quam meditando eruimus, ac in eadem diu defixa.

Primum demonstrandi genus neminem offendet qui in Matheſi fuerit versatus, præsertim si problematum physicomechanicorum resolutiones perpenderit: neque enim ignorabit in qdantitatibus rerum demonstrandis admitti fictiones. Quamobrem cum nobis hic jam sit negotium cum quantitate voluptatis ac tædii; iisdem fictionibus haud ægre locum concedet. Perpendenda præterea sunt de modo perceptiones confusas instar mixtarum massarum considerandi paulo superius (*not.* §. 524.) dicta: ita nimirum omnis protinus evanescet difficultas. Quodsi vero quis nondum satis exercitatum habuerit animum, ut fictiones in demonstrando admittere recuset; is voluptatem ac tædium cum sensationibus comparet, quemadmodum in demonstratione altera fecimus. Qui perspicatiores sunt, me non monente animadvertent, obscurationem perceptionis debilioris a fortiori factam, quam quoad sensatiores a posteriori sumimus (§. 75), eodem modo demonstrari posse, quo reducendo simultaneam tædii ac voluptatis perceptionem ad mixtum, seu massam mixtam, propositionem præsentem demonstravimus.

§. 529.

Prædominium voluptatis, vel tædii.

Voluptas prædominari dicitur, si tanta fuerit, ut tædium, si quod adfuerit, non appercipiatur. Et vicissim *Tædium prædominari* dicitur si tantum fuerit, ut voluptas, si quod adfuerit, non appercipiatur. *Prædominium* adeo *voluptatis* consistit in totali obscuratione tædii, & vicissim *Prædominium tædii* consistit in totali obscuratione voluptatis.

Posse

Posse voluptatem pariter ac tædium prædominari, per propositionem præcedentem patet.

§. 530.

Si quis perfectionem aliquam intimius perspicit aut agnoscere sibi videtur, quam alter tamen non agnoscit: ille summa voluptate perfunditur, cum hic ne minimum quidem ejus percipiat. Quoniam enim perfectionem aliquam intimius perspicit, aut eam perspicere sibi videtur *per hypoth.* voluptas oritur magnitudini perfectionis agnitæ (§. 516) & gradui certitudinis seu persuasionis proportionata (§. 517), adeoque fieri potest, ut summa perfundatur voluptate, scilicet si summæ cujusdam perfectionis sibi certo conscius, aut conscius esse videtur. Enimvero quoniam alter perfectionem vel prorsus non cognoscit, vel saltem tantam non judicat, quantam judicat alter, *per hypoth.* hic vel nulla voluptate perfunditur (§. 511), vel saltem non tanta, quanta perfunditur alter (§. 516). Fieri adeo potest, ut unus summa voluptate perfundatur, cum alter ne minimum quidem ejusdem ex eadem re percipiat. *Cur non omnes eandem voluptatem ex re eadem percipiant.*

Idem confirmatur a posteriori. Si ædificium aliquod juxta regulas Architecturæ ita fuerit extructum, ut nihil in eo deprehendatur, cujus ex iisdem ratio reddi non possit, architectus peritus ex contemplatione ejusdem summam percipit voluptatem, cum illius ignarus nihil prorsus ejus sentiat. Architectus peritus agnoscit consensum ædificii cum regulis architectonicis, adeoque ejusdem perfectionem & securus de veritate istarum regularum extra omnem dubitationis aleam positum existimat suum de illa judicium. Enimvero architecturæ ignarus regulas istas ignorat, adeoque perfectionis ædificii conscius sibi esse nequit. Ecce igitur tibi duas personas, quarum una perfectionem aliquam intimius perspicit, altera vero eandem non agnoscit. Illa perfunditur voluptate summa; hæc ne minima quidem tangitur. Veritas adeo propositionis præsentis experientiæ consentanea. Quodsi ad alia respi-

cias exempla eademque acumine conveniente perluſtres, inde eodem modo veritatem eandem confirmabis.

Non urgemus, quod architecturæ peritus dum perfectionem ædificii intuetur ſibi ſimul conſcius ſit perfectionis architecti, cujus conſilio ædificium fuit extructum; immo non urgemus, quod propriæ quoque perfectionis ſibi conſcius ſit, dum videt ſe perfectionem ædificii latentem deprehendere & in apricum productam æſtimare poſſe. Sufficit enim ad confirmandam propoſitionem præſentem exemplum perfectionis ſimplicis, præſertim cum non repugnet, perfectionem ſimplicem agnoſci poſſe majorem compoſita, immo etiam revera ſimplex compoſita major eſſe queat, neque etiam implicet, ut perfectio ſimplex ſuperet mixtam.

§. 531.

Cur artis periti ex operibus artificis voluptatem percipiant.

Quoniam artis periti perfectionem operis intimius perſpicere eamque metiri valent, cum imperiti nihil ejus cognoſcant; *Artis periti ex operibus artificis periti plurimum voluptatis percipiunt, etſi imperiti nullam inde percipiant* (§. 530).

Corollarii hujus veritas per propoſitionem præcedentem primo ſtatim intuitu manifeſta, cum tanquam ſpecies ſub ſuo genere ſub eadem contineatur. Quemobrem quoque eam a poſteriori confirmaturi ſelegimus exemplum; quod eſt corollarii caſus ſpecialis.

§. 532.

Voluptas ex cognitione ac inventione veritatis percepta.

Ex diſtincta rerum cognitione ac imprimis ex inventione veritatis voluptas inſignis percipitur. Qui enim res diſtincte cognoſcit, ille ipſo opere perſpicit, quanam differentia inter notiones diſtinctas & confuſas, judicia determinata ac indeterminata, ratiocinia denique diſtincta & confuſa intercedat (§. 325. 275), conſequenter perfectionis intellectus ſui ſibi conſcius eſt, quam ad diſtinctam rerum cognitionem ſufficere experitur, cum tot alii res diſtincte cognoſcere nequeant. Quamobrem ex diſtincta rerum cognitione voluptatem percipit (§. 511).

Quilibet, qui veritatem proprio Marte eruere valet, propria experientia didicit, majorem requiri perfectionem intel-

lectus

lectus ad veritatem incognitam proprio Marte eruendam, quam ad eam, quæ ab aliis inventa fuit, cognoscendam. Quamobrem dum veritatis a se inventæ sibi conscius est, perfectionem intellectus sui intuetur. Ex inventione igitur veritatis voluptatem percipit (§. 551), eamque insignem (§. 516. 517).

Confirmatur idem a posteriori. Neque enim solum hic provocare licet ad domesticam experientiam; verum etiam viri alii egregii idem de se testantur, quod scilicet non magis sinceram voluptatem unquam perceperint, quam ex cognitione, ac inprimis inventione veritatis. Exemplo nobis est de *Tschirnhausen* in Medicina Mentis part. 1. p. 13. Inprimis autem hic præ cæteris nominandus est *Hieronymus Cardanus*, qui tanti æstimavit voluptatem, quæ ex cognitione veritatis percipitur ceterisque quibuscunque prætulit, ut, cum jam senex morti proximus esset, juramento confirmaret, nolle sese vitæ suæ partem residuam commutare cum vita juvenis omnium rerum affluentia abundantis, sed illiterati. Constat autem *Cardanum* non in nuda factorum notitia substitisse, sed in rationes quoque eorundem penetrasse, utut ipsi non semper licuerit esse adeo felici, ut in veras incideret.

Plurima sunt, quæ de voluptate ex cognitione veritatis percipienda demonstrari possunt. Enimvero cum de hoc argumento diximus in *Horis subsec. A.* 1729. *Trim. est. num.* 1. immo in specie ostenderimus *Trim. autumn. num.* 1. quænam voluptas ex cognitione veritatis revelatæ proficiscatur; non opus est ut hic simus prolixiores.

§. 533.

Si quis ignorat, utrum id, quod in re quadam, vel in se percipit, in perfectionum, an vero in imperfectionum numerum referri debeat; nec voluptate ulla, nec tædio inde afficitur. Quoniam enim ignorat, num id quod in re quadam, vel in se percipit, in numerum perfectionum referri debeat; nullius perfectionis sibi conscius est. Quare cum voluptas

Indifferentia ad voluptatem vel tædium.

non oriatur, nisi alicujus perfectionis tibi fueris conscius (§. 511); nullam inde voluptatem percipere potes. Porro quoniam ignoras, num id, quod in te, vel re quadam alia percipis, in numerum imperfectionum referre debeas; nullam quoque imperfectionem intueris, scilicet ut tibi conscius sis, esse imperfectionem, quam intueris. Quare cum tædium non oriatur, nisi ex intuitiva imperfectionis alicujus cognitione (§. 518); nullum quoque tædium inde percipere potes. Quamdiu itaque ignoras, utrum id, quod in re quadam vel in te percipis, in perfectionum, an vero in imperfectionum numerum referri debeat, nec voluptate ulla, nec tædio inde afficieris.

Idem confirmatur a posteriori. Si quis enim Architecturæ imperitus fuerit, is ignorat utrum ornatus ædificii in numerum perfectionum, an in numerum imperfectionum sit referendus. Quodsi ergo nullo præjudicio captus, nec in necessitate judicandi constitutus ut alicui det locum, judicium suum suspendit; nec tædium aliquod, nec voluptatem ex illo percipit, sed, si qui fuerint, quibus idem placet, fuerint etiam alii quibus displicet, ipse indifferenti prorsus est animo; sit ita ceteri magna animi commotione pro diverso gradu voluptatis ac tædii inter se disceptent, an ornatus laudari, an reprehendi mereatur.

Status hic indifferentiæ probe notari meretur, cum maximi sit in philosophia morali momenti. Ceterum obtinet is tantummodo respectu objecti cujusdam præsentis: fieri enim potest ut eodem tempore animo præsentia sint objecta alia, unde vel voluptas, vel tædium percipitur.

§. 534.

Mutatio voluptatis ac tædii.

Si quis demonstrare nequit id, quod in numerum perfectionum, vel imperfectionum refert, in eo genere locum mereri; ejus voluptas, vel tædium mutari potest. Mutatur autem in statum indifferentiæ, ubi ignorantiam suam quis agnoscit: mutatur in oppositum, ubi judicium pristinum in contrarium mutatur. Si quis

quis enim demonſtrare nequit, id, quod in numerum perfectionum, vel imperfectionum refert, in eo genere locum mereri; is certus non eſt, utrum judicium ſuum ſit verum, an falſum (§. 570. *Log.*), ſit ita quod ſibi certus videatur. Quoniam igitur fieri poteſt, ut ignorantiam ſuam agnoſcat; judicium ſuum in poſterum vel ſuſpendet, vel contrarium amplectetur. Quodſi judicium ſuum poſthac ſuſpendit, ſe ignorare agnoſcit, utrum in numerum imperfectionum, vel perfectionum referri debeat, quod antea vel in iſtum, vel in hunc retulit. Nulla igitur voluptate, vel tædio afficitur, etſi antea vel voluptatem, vel tædium inde percipiebat (§. 533). Quodſi vero judicium mutat in contrarium, & antea judicavit, in perfectionum numero quid eſſe; idem nunc in numerum imperfectionum referet. Quare cum in caſu priori voluptate perfunderetur (§. 511), nunc tædio afficietur (§. 518). Enimvero ſi antea judicavit in numero imperfectionum quid eſſe; idem nunc in numerum perfectionum referet. Quare cum in caſu priori tædio afficeretur (§. 518); nunc voluptate perfundetur (§. 511). Quoniam itaque fieri poteſt, ut voluptas, quæ ex re quadam percipiebatur, non amplius ex eadem percipiatur, vel ut ejus loco tædium animum occupet, ubi demonſtrare nequis eſſe in genere perfectionum, quod in earundem numerum refers *per demonſtrata*; voluptatem in hoc caſu mutari poſſe patet (§. 290. *Ontol.*). Et eodem modo patet, mutari etiam poſſe tædium, ubi demonſtrare non potueris eſſe in genere imperfectionum, quod in eorundem numerum refers. Enimvero quoniam animus tædio afficitur, qui antea voluptate perfundebatur, ubi in numerum imperfectionum refers quod antea in perfectionum genere eſſe judicaveras, & viciſſim animus voluptate perfunditur, qui antea tædio afficiebatur, ubi in numerum perfectionum refers, quod antea in imperfectionum genere eſſe judicaveras *per demonſtrata*; in caſu autem utroque judicium de perfectione rei, vel imperfectione ejusdem

mutentur in contraria (§. 297. *Log.* & §. 511. 518. *Psych.*), fitque etiam tædium voluptati contrarium (§. *cit.*), voluptas, vel tædium in contrarium mutatur, ubi judicium de perfectione, vel imperfectione in contrarium mutatur. Et quoniam animum nec voluptas, nec tædium amplius occupat, ubi ignorantiam tuam agnoscis de perfectione, vel imperfectione rei judicaturus *per demonstrata*; patet porro statum voluptatis, vel tædii mutari in statum indifferentiæ, ubi ignorantiam tuam agnoscis judicaturus de perfectione, vel imperfectione rei, cum antea de alterutra per præcipitantiam statuisses.

Principium hoc fœcundum est in praxi morali, cum per id in potestatem nostram redigantur, quæ in eadem non sunt.

§. 535.

Tædium quale sit ens.

Tædium non in nuda voluptatis privatione consistit; sed positivi quid est. Oritur enim ex intuitiva imperfectionis alicujus cognitione (§. 518), adeoque non tantummodo abest cognitio intuitiva perfectionis. Quare cum voluptate privemur, quando abest cognitio intuitiva perfectionis (§. 511); tædium non in nuda privatione voluptatis consistit. Est igitur quid positivi.

Nimirum quæ in sola privatione consistunt, ea tantummodo agnoscunt rationem deficientem: quæ autem rationem positivam habent, qua positiva ponuntur (§. 118. *Ontol.*); ea & ipsa positivi quid sunt. Atque ideo datur inter voluptatem atque tædium status quidam intermedius, in quo neutri locus est (§. 533), cum inter positivum & privativum non detur medium, veluti inter lumen & tenebras, inter notitiam & ignorantiam nihil intermedii concipitur. Unde propositio præsens ex principio status intermedii inter voluptatem ac tædium demonstrari poterat. Propositio vero hæc suum itidem habet usum in praxi morali, neque inter steriles nugas referenda, propterea quod terminis ontologicis constet prædicatum; ob præjudicium commune de sterilitate Ontologiæ.

§. 536.

Quales sint perceptiones

Voluptas & tædium ortum trahunt ex perceptione confusa

Digitized by Google

fusæ perfectionis & imperfectionis. Orientur vero voluptates, in quibus voluptas ac tædium extemplo, dum perfectionem aliquam, vel imperfectionem in re percepta intuemur: id quod unusquisque in seipso experitur. Enimvero cum cognitio intuitiva, qualis cum ad voluptatem (§. 511), tum ad tædium requiritur (§. 508), demum distincta evadit, ubi attentionem nostram successive promovemus ad ea, quæ ideæ rei insunt (§. 682. *Log.*); tædium ac voluptas distinctam perfectionis ac imperfectionis perceptionem minime præsupponunt.

Idem confirmatur a posteriori. Omnes homines voluptate perfunduntur ac tædio afficiuntur. Plerisque autem hominibus perceptiones nonnisi confusæ sunt, paucis distinctæ. Necesse igitur est, ut ex confusa perceptione, non ex distincta ortum trahant voluptas atque tædium. Immo quod etiam illi, qui res distincte percipiendi facultatem habent, perfectionem, vel imperfectionem nonnisi confuse percipiant, dum voluptate perfunditur, vel tædio afficitur ipsorum animus; in casibus specialibus patet evidentissime. Nimirum quando veritatem quandam profundam, quam comprehendere ægre poterimus, multo tandem studio atque labore perspicimus penitus: quamprimum nobis conscii sumus nos eam jam intelligere ac vim demonstrationis percipere, toti voluptate perfundimur. Voluptas hic ex eo est, quod nobis conscii sumus perfectionis alicujus intellectus, quatenus is ad veritates, quæ ægre comprehenduntur, intime perspiciendas aptus. Quæriti enim cur voluptate perfundamur respondemus, hanc esse causam quod multo tandem studio atque labore veritatem ægre comprehendendam comprehenderimus, consequenter quod nobis conscii sumus, intellectum nostrum esse ad ea comprehendenda aptum, quæ non facile comprehendi possunt. Subinde etiam simul intuemur perfectionem inventoris perpendentes, quomodo ex assumtis deduxerit quæsitum. Quæriti enim cur voluptatem sentiamus respondemus,

nes, in quibus voluptas ac tædium consistit.

mus, quod inventor tam apposite ex assumtis deduxerit quæsitum, consequenter quod nobis conscii simus, qua arte inveniendi imbutus fuerit inventor. Enimvero neque intellectus nostri, neque inventoris perfectionem distincte nobis repræsentamus, dum voluptate perfundimur, utraque in idea confusa latet, quam intuemur; attentione vero ad eandem conversa reflectendo demum distincte agnoscitur. Idem adhuc clarius perspicitur in exemplo architecti, quo jam antea usi sumus in præsente negotio. Dum enim ædificium distincte contemplatur consensum eorum, quæ in eodem observat, cum regulis architectonicis nonnisi confuse percipit, imaginatione regulas repræsentante (§. 117) & memoria easdem recognoscente (§. 175). Etenim actus contemplationis conjunguntur cum actu imaginationis atque memoriæ, sed quatenus simul sunt in unum confunduntur, & perceptionem confusam visus sociam constituunt. Sane unusquisque statim novit, consensum cum regulis nonnisi confuse percipi posse, qui novit regularum numerum & temporis angustias cogitat, quo tota contemplatio absolvitur: fieri enim non posse videt ut per distincta ratiocinia regulæ ad ea, quæ observat, applicentur, vel determinationes ab ædificio abstractæ & ad regulas relatæ eædem judicentur, quæ per regulas præcipiuntur.

Quoniam igitur constat perceptionem perfectionis, in qua voluptas consistit, esse confusam; non opus est, ut exemplis confirmemus, perceptionem quoque imperfectionis, in qua tædium consistit, confusam esse. Neque enim ulla est ratio cur vel leviter suspicemur, perceptionem imperfectionis aliam esse debere, quam perfectionis, ut in illa tædium consistat, quemadmodum in hac voluptas. Si cui tamen volupe fuerit peculiaribus hic uti exemplis, quibus eadem de tædio confirmet, quæ de voluptate evicta sunt; is cogitet architectum ex ædificii contemplatione tædium percipientem, quod dissen-

sum

sum ædificii cum regulis architectonicis intuetur. Ita enim ad casum dissensus animadversi nulla opera transferet, quæ de casu consensus observari docuimus.

Quoniam cognitio intuitiva perfectionis ac imperfectionis ideis confusis tota absolvitur, in qua voluptas atque tædium consistit; plerique ne moniti quidem advertunt, quod non percipiant voluptatem, vel tædium, nisi quatenus perfectionis, aut imperfectionis cujusdam sibi conscii sunt, sive ea vera sit, sive apparens, ut adeo vulgo deficiat principium, ex quo de voluptate ac tædio ratiocinentur. Patebit autem in progressu, præsertim in philosophia morali fœcunditas notionis *Cartesiana* suis limitibus a nobis circumscriptæ. Etsi enim *Cartesius* de tædio non fuerit locutus, nullo tamen negotio notio voluptatis mutatis mutandis ad tædium extenditur.

§. 537.

Voluptatis apparentis & vera confusæ.

Voluptas apparens cum vera confunditur, quia consistit in perceptione perfectionis confusa. Quoniam enim perfectio confuse percipitur *per hyp.* ideo fieri potest ut perfectio appareat, quæ non est, immo quod prorsus in numero imperfectionum est. Quamobrem cum voluptas apparens ex perfectione apparente, vera autem voluptas ex vera perfectione oriatur (§. 514); vera voluptas confunditur cum apparente, quia consistit in perceptione perfectionis confusa.

Maximi momenti est propositio præsens, cum plurimum intersit in moralibus nosse, ubinam lateat fomes mali.

§. 538.

Quomodo evitetur.

Si quis investigat notionem distinctam perfectionis, cujus sibi conscius esse vel videtur: is voluptatem veram ab apparente distinguit, aut saltem apparenti non fidit. Etenim si quærit notionem distinctam perfectionis, cujus sibi conscius est; perfectionem veram ab apparente distinguit, aut saltem agnoscit, se ignorare, utrum id, cujus sibi conscius est, in numerum perfectionum, an in numerum imperfectionum referri debeat. Quamobrem in casu primo voluptatem apparentem a vera distinguit; in secundo agnoscit se ignorare, utrum ea vera sit, an

Digitized by Google

an apparens (§. 514), adeoque in casu altero veretur, ne tantummodo appareat, quæ non est, consequenter eidem non fidit.

Elucet hinc summa utilitas cognitionis distinctæ perfectionum, tum earum quæ rebus insunt, tum illarum, quæ in nosmetipsos cadunt.

§. 539.

Doloris definitio.

Dolor est solutio continui in corpore.

Definimus hic dolorem, quatenus in corpore est, cum communiter vocabulum ita accipiatur. In mente vero quomodo percipiatur, in Psychologia rationali docebimus.

§. 540.

Significatus vocabuli doloris numm usui loquendi conformis.

Significatus, quem vocabulo doloris tribuimus, est usui loquendi conformis. Sentimus enim dolorem, si vulneramur, v. gr. si digito vulnus infligitur. Vulnus, in quo dolorem percipimus, oritur, dum continuum in cute ac fibris musculorum disfectis solvitur. Nihil ergo ibidem, ubi dolor hæret, deprehenditur, quam solutio continui. Quamobrem per dolorem, qui digito vulnerato, vel alii parti corporis vulneratæ inhæret, nihil intelligere possumus, quam solutionem continui. Quodsi dolor quidam percipitur, ubi nec cutis, nec fibræ disruptæ apparent; observationes microscopicæ docent, fibillas tenues esse diruptas, & ex aliis phænomenis colligitur, majores, vel cutem esse disruptioni proximas propter nimiam tensionem: etenim non minus cutis, quam fibræ tendi possunt, tensione autem nimia rumpuntur, cum nonnisi determinatum quendam tensionis gradum ferre possint citra disruptionem.

Subinde etiam vocabulum doloris pro opposito voluptatis accipitur, quod nos tædii nomine insignire maluimus, ut evitaretur ambiguitas in loquendo. Et quoniam tædium ingens tristitiæ nomine venit, dolor animi tristitia quoque appellari solet. Sed nostrum est singula a se invicem distinguere, quæ diversa sunt, & vocabulis, quæ quod res agnatas sibi invicem significant vulgo confunduntur, fixum

Digitized by Google

fixum atque determinatum tribuere significatum, ut ne desint notiones ad ratiocinandum aptæ.

§. 541.

Dolor tædii species est. Etenim dum pars quædam corporis dolet, vel cutis, vel fibræ rumpuntur, vel saltem ruptioni proximæ sunt (§. 539). Enimvero si fibræ musculorum, vel fibrillæ aliarum partium, veluti filamenta nervorum aut etiam cutis & cuticulæ disrumpuntur, vel dissecantur, partes istæ ad functiones suas ineptæ sunt, immo ad destructionem sui ac subinde corporis totius ob læsam functionem tendunt, nisi denuo continua fiant, in quibus continuitas dissoluta. Quare cum tum illa corporis pars imperfectione aliqua laboret (§. 594. *Ontol.*); dum mens solutionem continui in corpore percipit, imperfectionis cujusdam corporis sibi conscia est. Quoniam ergo in eo consistit tædium, quod imperfectionis cujusdam nobis conscii simus (§. 518); dolor quædam tædii species est. *Dolor sub quo genere contineatur.*

Unde jam apparet ratio, cur dolor cum tædio, seu voluptatis opposito vulgo confundatur (*not.* §. 540). Patet etiam ratio, cur dolorem a tædio distinguamus, cum non conveniat nomen speciei imponi generi ubi accurate loqui volueris. Nemo igitur reprehendet, quod voce tædii ad genus denotandum transtulimus, cum desit vocabulum commodum ad voluptatis oppositum indigitandum, quale in vernaculo idiomate prostat (*not.* §. 518).

§. 542.

Id, ex quo voluptatem percipimus, *placere* nobis dicitur. Ast *displicere* dicitur id, ex quo tædium percipitur. Unde oppositum voluptatis, quod tædium appellavimus (§. 518), etiam *Displicentia* vocari poterat, si posterius hoc nomen magis arridet. *Placere & displicere quenam dicantur.*

Placet nobis imago prototypo suo similis, & quæsiti cur placeat respondemus, propter similitudinem eam nobis placere. Ast in similitudine perfectio imaginis consistit, & quatenus hujus similitudinis nobis sumus conscii, voluptatem ex imagine percipimus. Placet igi-

Digitized by Google

tur imago ideo, quod ex eo voluptatem percipiamus. Ex adverso displicet nobis imago prototypo suo dissimilis & quæsiti cur displiceat respondemus, propter dissimilitudinem eam nobis displicere. Ast in dissimilitudine imperfectio imaginis consistit, & quatenus hujus dissimilitudinis nobis conscii sumus tædium ex imagine percipimus. Displicet igitur imago, quod ex eo tædium percipiamus.

§. 543.

Pulchri & deformis definitio.

Quod placet, dicitur *pulchrum*: quod vero displicet *deforme*.

Communem esse significatum vocabuli obvia experientia constat. Et quoniam liquet eadem magistra non idem placere omnibus, ideo valuit proverbium: suum cuique pulchrum. Vocabulum pulchritudinis generale est, quod varias admodum sub se species comprehendit pro diversitate rerum, quibus pulchritudo tribuitur. Sed commodo destituimur vocabulo, quo oppositum pulchritudinis generaliter indigitemus. Quamobrem vocabulum ad idem significandum transferre debuimus, quod significatum restrictiorem habere deberet. Destituimur commodis dictionibus haud raro in Psychologia, quod distinctæ animæ cognitio vulgo non satis in potestate sit. Ceterum ipsa definitio nominalis pulchritudinis huc inservit, ut in quonam ea consistat reperiamus.

§. 544.

Pulchritudo in quonam consistat.

Pulchritudo consistit in perfectione rei, quatenus ea vi illius ad voluptatem in nobis producendam apta. Quodsi enim res pulchra est, nobis placet (§. 543), adeoque voluptatem in nobis excitat (§. 542). Quare cum tum demum res voluptatem in nobis producendam apta sit, quando perfectione quadam instruitur (§. 511); pulchritudo rei consistere nequit, nisi in perfectione ejusdem, quatenus ea vi hujus ad voluptatem in nobis producendam apta est.

E. gr. Imaginem pulchram dicimus ob similitudinem cum suo prototypo, propterea quod hanc percipientes voluptate perfundimur, nobisque ideo placet imago. Pulchritudo igitur imaginis consistit in similitudine ejus cum prototypo, quatenus vi ejusdem ad voluptatem in nobis producendam apta. Quare cum similitudo sit perfectio imaginis & in ejus cognitione intuitiva voluptas consistit, quatenus est perfectio ejus-

Digitized by Google

ejusdem (§. 511); pulchritudo imaginis in perfectione ejusdem consistit, quatenus per eam imago apta est ad voluptatem in nobis producendam. Ex præsente autem propositione intelligitur, cur pulchritudo tam rebus materialibus, quam immaterialibus tribuatur. Patet quoque per eam pulchritudinem non destitui fundamento firmo, quemadmodum vulgo putatur, nec ab arbitrio hominum eorumque opinione variabili unice pendere.

§. 545.

Hinc definiri potest *Pulchritudo*, quod sit rei aptitudo producendi in nobis voluptatem, vel, quod sit observabilitas perfectionis: etenim in hac observabilitate aptitudo ista consistit. *Pulchritudinis definitio.*

Pone nimirum rei quandam inesse perfectionem, sed quæ a nobis observari non possit. Cum perfectionis hujus tibi conscius esse nequeas, utpote tibi imperceptibilis *per hypoth* nec ideo voluptatem ex re percipies (§. 511), consequenter nec hoc nomine res ista tibi placebit (§. 542), adeoque nec pulchram esse judicabis (§. 543). Hinc in Architectura pulchritudinem definivimus per perfectionem, quatenus sentitur.

§. 546.

Pulchritudo vera est, quæ ex perfectione vera oritur. ***Apparens*** autem dicitur, quæ oritur ex apparente. *Pulchritudinis vera & apparentis differentia.*

Nimirum quibus vera pulchritudo convenit, ea quoque pulchra sunt, cum ipsamet apta sint ad voluptatem in nobis producendam. At ea, quibus apparens tantummodo pulchritudo convenit, pulchra tantummodo videntur, sed non sunt: neque enim ipsamet in nobis per se voluptatem producere possunt, sed pendet voluptas ab erronea nostra de ed, quod rei inest, opinione, qua mutata voluptas non amplius producitur, nec pulchrum dicitur amplius, quod ante vocabatur pulchrum. Quando igitur res pulchra tantum apparet, non apta est ad producendam in nobis voluptatem, quod destituatur perfectione observabili.

§. 547.

Deformitas consistit in imperfectione rei, quatenus hæc per illam apta est ad tædium in nobis producendum. Si enim res deformis est, nobis displicet (§. 543), adeoque ex re tædium percipi- *Deformitas in quo consistat.*

Digitized by Google

mus (§. 542). Quoniam igitur ex re tædium quoddam percipitur, quatenus nobis imperfectionis cujusdam eidem inexistentis conscii sumus (§. 518); res deformis judicatur, quatenus per imperfectionem eidem inexistentem ad tædium in nobis producendam apta est.

Habemus igitur fundamentum firmum, quo nititur deformitas rei, idque positivum, ut ideo & ipsa quidpiam in re positivi sit. Immo habemus principium demonstrandi rerum deformitatem. Patet etiam cur deformitas non tantum rebus materialibus conveniat, verum etiam immaterialibus tribui possit.

§. 548.

Deformitatis definitio.

Hinc definiri potest *Deformitas* rei, quod sit aptitudo in nobis tædium producendi, vel, quod sit observabilitas imperfectionis: etenim in hac observabilitate seu perceptibilitate aptitudo ista consistit.

Pone nimirum rei inesse imperfectionem quandam, sed quæ a nobis observari non possit. Cum imperfectionis hujus tibi conscius esse nequeas, utpote tibi imperceptibilis *per hypoth.* nec ideo tædium ex re ista percipies (§. 518), consequenter nec hoc nomine eadem tibi placebit (§. 542), adeoque nec deformem judicabis (§. 543). Necesse igitur est, ut imperfectionem rei percipiamus, si ejus nobis deformitas constare debet.

§. 549.

Deformitatis vera & apparentis differentia.

Deformitas vera est, quæ ex imperfectione vera oritur. *Apparens* autem dicitur, quæ oritur ex apparente.

Nimirum ea deformia sunt, quibus vera deformitas convenit, cum ipsamet per se apta sint ad tædium in nobis producendam. At ea, quibus apparens tantummodo deformitas convenit, deformia tantummodo videntur, non sunt; neque enim ipsamet in nobis per se voluptatem producere possunt, sed eam demum producere valent accedente opinione nostra erronea de eo, quod rei ineat, qua mutata, tædium non amplius producitur, nec deforme dicitur amplius, quod antea tale vocabatur. Quando igitur res deformis tantummodo apparet, non apta est ad producendam in nobis tædium, quod imperfectione observabili, seu perceptibili destituatur.

§. 550.

Digitized by Google

§. 550.

Si quas ſenſationes ad perfectionem ſtatus noſtri referimus; ex iis voluptatem percipimus. Si quas enim ſenſationes ad perfectionem ſtatus noſtri referimus, iis præſentibus perfectionis cujusdam noſtræ nobis conſcii ſumus. Quare cum in eo, quod perfectionis cujusdam noſtræ nobis conſcii ſumus, voluptas conſiſtat (§. 511); ſi quas ſenſationes ad perfectionem ſtatus noſtri referimus; ex iis voluptatem percipimus. *Quando ſenſatio voluptatem pariat.*

Idem confirmatur a poſteriori. Infantes, dum lacte matris nutriuntur, obſervant ſic tolli famem atque ſitim, ſenſationes moleſtas, & utraque ſedata corpori eſſe bene. Naſcitur hinc notio perfectionis ſtatus, quam cum dulcedine lactis conjungunt, ut adeo per notiones confuſas ad perfectionem ſtatus referre adſueſcant dulcium ſaporem. Quando igitur pueri facti dulcia comedunt, perfectionis illius ſtatus ſui ſibi conſcii voluptatem inde percipiunt (§. 511). Enimvero ubi ſucceſſu præjudicium iſtud infantiæ tollitur, nec amplius ex eſu dulcium tanta percipitur voluptas, quanta a puero percipiebatur. Quodſi vero continuo dulcium eſu præjudicium foveatur, nec aliis præjudiciis ſeu veris judiciis debilitetur; adulti quoque adhuc ex dulcium eſu eam percipiunt voluptatem, qua infantes ac pueri perfundebantur. Qui ad vitæ humanæ perfectionem ſpectare judicant, quod cibis lautis ac opiparis fruamur; ex earum uſu voluptatem inſignem percipiunt: qui vero iſto præjudicio non tenentur, parem cum iis non ſentiunt voluptatem.

Senſationes adeo non per ſe voluptatem pariunt, ſed quatenus ipſis adhæret de perfectione ſtatus opinio. Unde accidit, ut tanta ea in re deprehendatur diverſitas in diverſis ſubjectis; nec ex ſe judicare quis poſſit alios. Ceterum iſta opinio, quæ ſe ſentationibus ſociam præbet, ſucceſſive naſcitur: unde eſt quod plerique ignorent, unde ea ſit, cumque idea maxime confuſa contineatur ne eam agnoſcant quidem, quando ejusdem ſibi conſcii ſunt. Puto autem talia

talia clariora futura per ea, quæ in Psychologia rationali de natura mentis humanæ a priori demonstraturi sumus. Latet in opinionibus istiusmodi aliquid veri, etsi ipsæ erroneæ sint, ac ideo incautis imponunt.

§. 551.

Quando sensationes tædium quoddam pariant.

Si quas sensationes ad imperfectionem status nostri referimus; ex iis tædium percipimus. Si quas enim sensationes ad imperfectionem status nostri referimus, iis præsentibus imperfectionis cujusdam nobis conscii sumus. Quare cum tædium in cognitione intuitiva imperfectionis consistat (§. 518); si quas sensationes ad imperfectionem status nostri referimus; ex iis tædium percipimus.

Idem confirmatur a posteriori. Fames ac sitis ad imperfectionem status nostri pertinent. Quare cum utramque percipimus, imperfectionis cujusdam status nostri conscii nobis sumus. Enimvero experientia constat, utramque sensationem esse molestam & nos non minus ex siti, quam fame tædium percipere.

Quæ ad propositionem præcedentem de opinione sensationum socia dicta fuere; ea etiam ad præsentem transferenda.

Voluptates sensuum quanam sint.

§. 552.

Voluptates sensuum, vel etiam *delectationes sensuales* dicuntur, quæ ex sensationibus ortum trahunt.

Ita Voluptates sensuum sunt, quæ ex sapore, gustu, tactu oriuntur. Nos enim ex sapore, gustu atque tactu non minus, quam ex ceteris sensationibus voluptatem percipere, experientia docemur.

§. 553.

Tædia sensuum quanam sint.

Tædia sensualia, vel etiam *tædia sensuum* dicuntur, quæ ex sensationibus oriuntur.

Ita tædium percipimus ex fœtore, ex sapore quodam amaro, vel austero: id quod denuo obvia experientia constat.

§. 554.

Boni definitio.

Bonum est, quicquid nos, statumque nostrum perficit, seu,

Digitized by Google

seu, quod perinde est, quicquid nos ac statum nostrum internum & externum perfectiores reddit.

E. gr. ars inveniendi intellectum nostrum perfectiorem reddit: id quod nemo non sine probatione concedit, suo autem loco ex notione perfectionis demonstraturi sumus (§. 502. *Ontol.*). Dicitur itaque ars inveniendi bona. Similiter sanitas statum corporis nostri internum perfectiorem reddit, seu corporis quædam perfectio est, quod denuo nemo in dubium vocat, nos autem ex eadem perfectionis notione alibi demonstrabimus. Sanitas igitur bona est, adeoque bona dicitur. Pecunia statum nostrum externum perfectiorem reddit, id quod itidem ex eadem perfectionis notione suo loco ostendemus, etsi facile sine probatione concedatur. Pecunia igitur bona est, ac ideo bona quoque dicitur. Ars inveniendi mentis quædam perfectio est, sanitas corporis, adeoque status internus per eas redditur perfectior, sicuti per nummos externus. Unde liquet, quod perinde sit, sive dicas, nos perfici, sive affirmes, statum nostrum internum perfectiorem reddi.

§. 555.

Quod statum internum, atque nos perficit, *bonum internum* est: quod vero statum externum perficit, dicitur *bonum externum*. *Bonorum internorum & externorum differentia.*

Ita ars inveniendi & sanitas sunt bona interna; pecunia vero bonum externum est (*not.* §. 554). Vocabulum status in genere accipitur, quatenus internum & externum tanquam duas species distinctas sub se complectitur in definitione *Boni* in genere (§. 554). Sunt vero etiam quædam bona interna, quæ non ad statum internum, sed ad essentiam hominis pertinent, veluti ipse intellectus, quem bonum esse, quatenus consideratur tanquam facultas animæ naturalis, nemo non largitur. Atque hinc factum est, ut non modo in communi sermone, verum etiam apud philosophos bonum & perfectum pro synonymis habeantur. Ita omne ens dicitur esse bonum, quod idem est ac perfectum.

§. 556.

Dividuntur Bona in *Bona animi*, *corporis* & *fortunæ*, prout vel ad animam, vel ad corpus, vel ad statum nostrum externum spectant. *Bona animi, corporis & fortunæ.*

Digitized by Google

Ita virtus est bonum animi, quod per eam animus perfectior evadit, quam absque eadem esset. Sanitas est bonum corporis, quod per eam corpus perfectius est, quam absque eadem esset. Opes denique sunt bonum fortunæ, quod per eas status externus perfectior redditur, quam absque iisdem foret.

§. 557.

Boni veri & apparentis differentia.

Bonum verum est, quod revera nos statumque nostrum perficit. Aſt *Bonum apparens* est, quod nos statumque nostrum tantummodo perficere videtur.

Constat hinc quanti intersit, ut perfectionem nostram rite æstimare discamus, ne bona apparentia cum veris confundamus: id quod vulgo ab hominibus fieri solet distincta eorum, quæ ad perfectionem sui pertinent, cognitione destitutis.

§. 558.

Voluptas cognitionis boni socia.

Si bonum cognoscimus, voluptatem ex eo percipimus. Quoniam enim bonum nos statumque nostrum sive internum, sive externum perficit (§. 554); si idem cognoscimus, perfectionis cujusdam, quæ in nos cadit, nobis conscii sumus (§. 11), consequenter voluptatem inde percipere debemus (§. 511).

Confirmatur idem a posteriori. Ars inveniendi insignis, immo maxima intellectus humani perfectio est. Si quis idem agnoscit, de arte inveniendi non cogitat judicans, quod sit bona, quin voluptate perfundatur animus. Qui novit pecuniam statum nostrum externum reddere perfectiorem; ex pecunia, quam accipit vel sibi esse cogitat, voluptatem percipit. Aſt infantes, qui hac notitia destituuntur, nullam ex pecunia voluptatem percipiunt, pomum aut sacharum nummo aureo præferentes.

Nimirum quando bonum cognoscimus, judicare debemus, quod objectum, cujus ideam jam intuemur, sit bonum. Non autem judicamus quod sit bonum, nisi quatenus intuemur perfectionem, quam nobis confert. Solis vocabulis, quæ non satis intellecta memoriæ mandavimus, nihil efficitur. Nascuntur ideæ ac appetitus ex ideis & appeti-

Digitized by Google

petitibus, non ex vocabulis, quibus significantur, etsi vocabula apta sint ad eas in memoriam nobis revocandas. Hæc probe tenenda sunt, ubi ea experimento in nobis sumto comprobare voluerimus, quæ de ideis & appetitibus ex se invicem nascentibus docentur.

§. 559.

Si bonum, quod cognoscimus, verum est, voluptas ex eo percepta vera est; si vero bonum, quod cognoscimus, apparens est, aut bonum verum nobis tantummodo tale apparet; voluptas ex eo percepta nonnisi apparens est. Etenim si bonum verum est, nos statumque nostrum re vera perficit (§. 557). Quodsi ergo bonum verum cognoscimus; veram istam perfectionem nobis repræsentamus (§. 510), atque adeo bonum verum cognoscentes veræ cujusdam perfectionis nobis conscii sumus. Quæ igitur inde percipitur voluptas (§. 511), ex vera perfectione oritur, adeoque voluptas hæc quoque vera est (§. 514). *Qualis ea sit.*

Quodsi bonum fuerit nonnisi apparens, id nos statumque nostrum tantummodo perficere videtur (§. 557). Quare si bonum apparens cognoscimus, per errorem eidem tribuimus, quod nos statumque nostrum perficiat, cum perfectio habeatur, quæ non est (§. 510). Quæ igitur inde percipitur voluptas (§. 511), ex apparente perfectione oritur, adeoque voluptas hæc apparens est (§. 514).

Quodsi bonum fuerit quidem verum, sed nobis nonnisi tale apparet; non agnoscimus, quod nos statumque nostrum vere perficiat; sed dum ita judicamus, pro perfectione tantummodo habemus, quæ non est (§. 557). Quare cum voluptas ex vero bono percepta non sit vera, quia bonum verum est, sed quia cognoscimus, quod sit bonum verum *per num.* 1. vera non est voluptas, quæ ex eo percipitur. Sed quia voluptas ex bono ideo percepta, quod per errorem inter perfectiones referamus, quæ inter eas locum non habet *per num.* 2;

Digitized by Google

quæ ex vero bono percipitur voluptas, quatenus nobis tantummodo tale apparet, nonnisi apparens est.

Maximi momenti est propositio præsens in Moralibus, ubi inprimis probe considerari meretur, quod bonum, quod in se verum est, quoad cognoscentem tamen æquipollere possit apparenti, scilicet quando quis per errorem pro bono habet, quod quidem tale est, sed alia prorsus de causa. Utitur judicans principio erroneo, non vero, dum ex iis, quæ de re percipit, colligit eam esse bonam.

§. 560.

Boni criterium fallax. Quoniam voluptas non tantummodo percipitur ex eo, quod bonum est, verum etiam ex eo, quod bonum apparet; immo fieri potest, ut ex vero etiam bono voluptas tantummodo apparens percipiatur; ideo *Bonum quid judicari nequit ex eo, quod voluptatem inde percipiamus.*

Ita nimius vini haustus bonus non est, etsi qui nimio potui indulgent voluptatem ex eo percipiant.

§. 561.

Notio erronea boni. Cum qui sensuum judicio stant bonum quid ex eo judicare soleant, quod voluptatem inde percipiant, prouti obvia experientia constat; *Notio boni, quæ vulgo est, erronea.*

Erroneæ huic notioni tribuendum, quod homines in vitia proclives ruant, quodque legem naturæ infestam sibi reputent, quod eadem prohibeantur, quæ bona existimantur. Sed de his plura dicendum in Moralibus.

§. 562.

Voluptatis apparentis mutabilitas. *Voluptas apparens mutari potest.* Apparente enim voluptate perfunditur animus, quando apparentis cujusdam perfectionis tibi conscius es (§. 514). Quoniam itaque perfectio apparens per errorem rei tribuitur, cum talis non sit, vel rei, cui tribuitur, non insit (§. 510); per se patet, quod demonstrare nequeas voluptatem apparentem cum vera confundens esse idem in perfectionum numero, quod pro tali habes, vel rei competere veram quandam perfectionem (§. 507. *Log.*).

Quare

Digitized by Google

Quare cum hoc in casu voluptas mutari possit (§. 534); voluptas apparens mutabilis est.

Confirmatur idem experientia. Videmus enim homines ex rebus nonnullis insignem prorsus percipere voluptatem, ex quibus successu temporis nullam prorsus percipiunt. Quodsi vero in rationem inquisiveris, non aliam certe deprehendes, quam quod mutaverint suam de iis sententiam, experientia edocti tales eas non esse, quales videbantur.

Ex hoc fonte voluntatis ac appetitus omnis mutabilitas promanat, ut adeo appareat, quantum intersit voluptatem veram ab apparente distingui: quod quomodo fieri possit, ex superioribus patet (§. 538).

§. 563.

Si quis ignorantiam suam de perfectione rei agnoscit, quam eidem antea tribuerat; voluptas apparens evanescit: si vero in numerum imperfectionum refert, quod antea inter perfectiones collocaverat, voluptas apparens in tædium mutatur. Si quis enim agnoscit, se ignorare utrum id in numerum perfectionum, an imperfectionum referri debeat, quod in numerum perfectionum retulerat; ejus voluptas mutatur in statum indifferentiæ, quo nec voluptate ulla, nec tædio afficitur (§. 534). Quamobrem si voluptate apparente antea perfusus fuit, quemadmodum hic supponitur; voluptas apparens evanescit. *Quomodo voluptas apparens mutetur.*

Quodsi quis in numerum imperfectionum refert, quod antea inter perfectiones collocaverat; judicium ejus mutatur in contrarium, cum voluptas atque tædium sint contraria (§. 297. *Log.* & §. 511. 518, *Psych.*), consequenter voluptas in tædium mutatur (§. 533). Quodsi ergo eo in casu voluptate apparente usus fuerit, quemadmodum hic supponitur; voluptas apparens in tædium mutatur.

Utrumque confirmatur a posteriori iisdem prorsus observationibus, quibus præcedens confirmatur. Etenim in casu

Digitized by Google

ſpeciali, vel ſingulari, voluptas ex re quadam percepta nunquam mutatur, niſi vel evaneſcat, vel in tædium mutetur.

Ceterum propoſitio præſens maximam utilitatem affert in moralibus, ubi confuſio voluptatis veræ cum apparente probe perpendenda, ne in nosmetipſos injurii ſimus & nubem pro Junone amplectentes in miſeriam nos præcipites demus, ubi felicitati inhiamus. Voluptate enim apparente decipiuntur mortales, ne verum rebus pretium ſtatuant, quemadmodum fieri debebat.

§. 564.

Conſtantia & inconſtantia voluptatis ex eo, quod bonum eſt, vel apparet, percepta.

Voluptas, quæ ex vero bono, quatenus agnoſcitur, percipitur, conſtans eſt; quæ vero percipitur ex apparente, vel etiam ex vero, quatenus pro apparente perperam habetur, mutabilis. Quicquid enim bonum verum eſt, id nos ſtatumque noſtrum revera perficit (§. 557). Quodſi ergo ut tale agnoſcatur, veram quandam perfectionem intuemur, adeoque voluptas, quæ ex eo oritur, (§. 511), vera eſt (§. 514), conſequenter conſtans eſt (§. 515).

Quodſi bonum fuerit apparens, nos tantummodo ſtatumque noſtrum perficere videtur (§. 557). Quare ſi quis idem cognoſcit, is tantummodo apparentis cujusdam perfectionis ſibi conſcius eſt, conſequenter voluptas, qua tunc perfunditur animus ejus (§. 511), apparens eſt (§. 514), conſequenter mutabilis (§. 563).

Quodſi verum bonum viſum fuerit apparens, ut idem ſcilicet pro bono habueris ex eadem ratione, ob quam apparens tale videtur; in præſente caſu, ubi omnia a judicio noſtro pendent, apparenti æquipollet. Quamobrem voluptas ex eo percepta mutabilis eſſe debet *vi num. 2*

Quandonam evaneſcat, quandonam in tædium abeat, ex propoſitione præcedente intelligitur. Samias cum verum bonum ſit, voluptas, quæ inde percipitur, conſtans eſt. Quotiescunque enim incommoda morborum in aliis perſpiciens iisdem oppoſita commoda ſanitatis, quibus fruëris, tibi repræſentas; voluptatem ex ſanitate percipis. Nunquam autem verendum eſt fore ut tædio afficiatur animus, propterea quod te ſaltum intueris. Quodſi qui ſunt, qui ex ſanitate voluptatem

Digitized by Google

tem nullam percipiunt, id quidem inde est, quod sanitatis commoda ignorent, neque adeo eandem tanquam perfectionem sibi repræsentent. Cibus, qui bene sapit, sed sanitati corporis nocet, bonum apparens est. Enimvero quæ ex ejus esu percipitur, voluptas in tædium degenerat, ubi experimur sanitatis corporis noxium.

§. 565.

Quicquid nos statumque nostrum sive internum, sive externum imperfectiores reddit, malum est. *Malum quid sit.*

Ignorantia intellectum nostrum imperfectiorem reddit, omnemque mentem, quemadmodum suo loco ex notione imperfectionis (§. 504 *Ontol.*), clarius demonstraturi sumus. Ignorantia igitur mala est. Dolor statum mentis imperfectiorem reddit, adeoque malus est. Morbus corpus nostrum imperfectius reddit, aut, si mavis, statum ejus intrinsecum, atque ideo malus est. Cibus sanitati noxius corporis statum imperfectiorem reddit, atque adeo & ipse malus est. Inimicitia statum nostrum externum imperfectionem reddit, & propterea mala est.

§. 566.

Quod nos statumque nostrum internum imperfectiores reddit, *Malum internum* est; quod vero statum externum imperfectiorem reddit, *Malum externum* est. *Mali interni & externi differentia.*

Ita ignorantia est malum internum, quia mentem ejusque statum imperfectiorem reddit: est enim status mentis status internus. Idem judicium de dolore, quatenus ejus nobis conscii sumus, adeoque ejusdem perceptio & apperceptio ad statum mentis spectat. Morbus est malum internum, quia corporis statum imperfectiorem reddit. Inimicitia est malum externum, quod statum nostrum externum imperfectiorem reddat.

§. 567.

***Mala animi* sunt, quæ ad animam spectant. *Mala corporis* sunt, quæ ad corpus pertinent. *Mala* denique *fortunæ* sunt, quæ statum nostrum externum concernunt.** *Mala animi, corporis ac fortunæ.*

Ignorantia est malum animi; morbus malum corporis; inimicitia malum fortunæ, præsertim si culpa caret, ubi denominationi inest veritas.

§. 569.

Digitized by Google

§. 568.

Mali veri & apparentis differentia.

Malum verum est, quod re vera nos statumque nostrum imperfectiores reddit. *Malum apparens* est, quod nos statumque nostrum tantummodo imperfectiores reddere videtur.

Ita malum verum est, ignorantia, ea enim mens humana revera imperfectior redditur, quam foret si eadem destitueretur. Immo & imperfectior est status mentis ob ignorantiam, qua laborat: id quod satis superque experimur, ubi ob ignorantiam vel consilii inopes nescimus, quid sit agendum, etsi in agendi necessitate simus constituti, vel per errorem inde enatum in damna incidimus. Similiter malum verum est morbus, qui non modo impedimento est, quo minus muniis nostris obeundis vacemus; sed & ipsi vitæ insidiatur corpus integrum destructurus. Enimvero medicamentum ingrati saporis malum apparens est, propterea quod tantummodo statum nostrum imperfectiorem reddere videtur, quatenus ejus sapor nobis molestus est. Quoniam enim sanitati corporis restituendæ inservit, bonum utique est & inter bona externa refertur, qatenus status noster externus perfectior est, quo istiusmodi medicamenti compotes fieri possumus.

§. 569.

Tædium ex malo cognito perceptum.

Si malum cognoscimus, tædium ex eo percipimus. Si enim malum agnoscimus, non modo ejus ideam in nobis excitamus, verum etiam tale esse nobis conscii sumus atque adeo intuitiva mali cognitione instructi sumus (§. 286). Quare cum malum ex eo agnoscatur, quod nos statumque nostrum imperfectiores reddat (§. 566); cognitionem intuitivam imperfectionis cujusdam habemus nostræ, consequenter tædio afficimur (§. 528).

Idem etiam confirmatur a posteriori. Quando v.gr. incommoda ignorantiæ actu percipimus, sive quod consilii inopes non videamus, quid decernendum sit, ubi in necessitate decernendi sumus constituti; sive quod nobis repræsentemus damna, in quæ vel nosmetipsi, vel alii ob ignorantiam incidimus; ignorantiam nobis tanquam malum repræsentamus (§. 566).

Digitized by Google

(§. 566). Ecquis vero est, qui non percipiat tædia in hoc statu ab ignorantia suboriri solita? Similiter qui ægroto præsens incommoda morbi perspexit, quibus affligitur, atque eadem ad statum suum referens sibi repræsentat damna, quibus obnoxius foret, si morbo istiusmodi laboraret; is morbum sibi repræsentat tanquam malum. Dum vero ea, quæ sibi repræsentat, intuetur, tædium ex morbo percipit. Atque adeo denuo patet, quod tædium percipiat ex malo quod idem agnoscat, seu intuitive cognoscat.

Non necesse est ut cognitio nostra vera sit; sed valet propositi, etiam in eo casu ubi erronea, ita ut nobis videatur malum, quod non est, quemadmodum in propositione sequente ostenditur.

§. 570.

Si malum agnoscere nobis videmur, tædium ex eo percipitur. Si enim malum agnoscere nobis videmur, non modo rem tanquam malam nobis repræsentamus, verum etiam hujus de eadem judicii conscii nobis sumus, atque adeo cognitione mali, utut apparentis, intuitiva instructi sumus (§. 286). Quamobrem cum malum ex eo appareat, quod nos statumque nostrum tantummodo imperfectiores reddere videtur (§. 569); cognitionem intuitivam imperfectionis cujusdam nostræ apparentis habemus, consequenter tædio afficimur (§. 518). *Tædium ex malo apparente perceptum.*

Idem etiam confirmatur a posteriori. Quando quis videt ab hominibus in dignitate quidem constitutis, sed iis tamen improbis famam suam calumniis proscindi, quod scientia ceteris præstat; scientiam tanquam illius opprobrii, quo afficitur, causam sibi repræsentans, eadem statum suum imperfectiorem reddi existimat. Tædium vero tum percipit ex eo, quod scientia animum imbuerit, immo sæpius impatiens scientiæ indignatur. Quodsi tamen ad se redit animus, ex scientia voluptatem percipit, ex calumniis tædium; sed tum

agnoſcit, ſcientia mentem effici perfectiorem, calumniandi habitum autem deformare mentem calumniatorum.

Nimirum quando malum agnoſcimus, vel agnoſcere nobis videmur, judicare debemus, quod objectum, cujus ideam jam intuemur, ſit malum. Non autem judicamus, quod ſit malum, niſi quatenus intuemur imperfectionem, quam nobis confert. Solis vocabulis, quæ non ſatis intellecta memoriæ mandavimus, nihil efficitur. Monuimus idem jam ſuperius (*not. §.* 558), in caſu ſimili: ob inſignem tamen, quam præſtat, utilitatem, monitum hoc denuo inculcandum erat.

§. 571.

Tædii mutabilitas.

Tædium, quod ex vero malo, quatenus agnoſcitur, percipitur, conſtans eſt: quod vero percipitur ex apparente, veletiam ex vero, quatenus pro apparente perperam habetur, mutabile. Quodſi enim malum fuerit verum, ſtatum noſtrum revera imperfectiorem reddit (*§.* 569). Quare cum idem a nobis agnoſcatur *per hypoth.* quod id ſtatum noſtrum imperfectiorem reddat certi ſumus (§. 564. *Log.*) Quoniam itaque ſenſus certitudinis adhæret judicio noſtro, quoties idem recurrit (*§.* 117), cur idem mutetur ratio nulla ſubeſt, adeoque mutari nequit (*§.* 56. *Ontol.*). Quare cum ſemper judicemus, malum eſſe, quod tale agnoſcimus; quoties de eo cogitamus, imperfectionis cujusdam noſtræ nobis conſcii ſumus, adeoque tædium ſemper oritur (*§.* 518), conſequenter conſtans eſt.

Enimvero ſi malum tantummodo fuerit apparens, nos ſtatumque noſtrum tantummodo imperfectiorem reddere videtur, revera autem non reddit (*§.* 569). Quoniam itaque judicium falſum pro vero habet (*§.* 505. 506. *Log.*), adeoque errat (§. 623. *Log.*); fieri poteſt ut errorem ſuum agnoſcat, conſequenter ut malum non amplius judicet, quod judicaverat, (§. 623. 506. *Log.*). Quoniam itaque de eo, quod malum judicaverat, cogitans nullius amplius imperfectionis ſibi conſcius

Digitized by Google

us est (§. 566); nullum quoque tædium inde amplius oriri potest (§. 518).

Ponamus jam porro malum quidem revera esse, quod pro tali habetur, sed ex ratione, quæ fallit, pro tali haberi: evidens est respectu cognoscentis idem malo apparenti æquipollere. Quare cum res tota redeat ad judicium cognoscentis, quoties cum tædio nobis negotium est (§. 518); quæ de mutabilitate tædii ex malo apparente orti demonstrata sunt, adhuc subsistunt. Quamobrem tædium quoque, quod ex malo vero percipitur, quatenus pro apparente habetur, mutabile.

§. 572.

Mali criterium falsum.

Quoniam tædium non modo percipitur, ex eo, quod malum agnoscamus (§. 570), verum etiam ex eo, quod idem agnoscere nobis videamur (§. 571); *malum quid judicari nequit ex eo, quod tædium inde percipiamus.*

Ita scientia mala non est, etsi qui ob eam calumniis proscinditur atque opprobriis afficitur ab idiotis invidis eam malam judicet, quamdiu in agnoscendo malo acumen suum desiderari patitur in notionibus confusis non separans a notione scientiæ, quæ ad eam minime pertinent. Habet autem hæc propositio amplissimum in moralibus usum, quemadmodum suo loco abunde constabit, ubi praxin moralem tradituri sumus.

§. 573.

Notio mali erronea.

Notio mali, quæ vulgo est, erronea est. Vulgus enim malum quid judicat ex eo, quod tædium inde percipiamus. Enimvero malum quid ex eo judicari nequit, quod tædium inde percipiamus (§. 572). Notio igitur mali, quæ vulgo est, falsa (§. 506. *Log.*), adeoque erronea est (§. 623. *Log.*).

Notio deceptrix mali omnis pravitatis fomes: quamobrem plurimum interest, ut eam rectificemus, ne bonum pro malo reputemus. Ipsa autem experientia abunde confirmat, quantum fallantur homines juxta istam notionem mala dijudicantes. Erroneæ huic noti-

notioni tribuendum, quod homines a virtute abhorreant & lege naturali nescio quod onus sibi imponi existiment, quod talia eadem præcipiantur, quæ ipsorum judicio vitam tædiis plenam efficiunt. Sed de iis plura dicenda erunt suo loco in Moralibus. Quæ enim de facultate appetendi traduntur, ea sunt genuina ac proxima totius philosophiæ moralis principia, quemadmodum suo loco luculenter constabit.

§. 574.

Quid per se sequatur ex altero.

Ex A per se sequitur **B, si in A ratio sufficiens continetur, cur inde sequatur B,**

Ita ex vulnere cordi inflicto per se sequitur mors, quoniam per id intelligitur, cur inde mors sequatur, consequenter ratio sufficiens in eodem continetur, cur inde sequatur (§. 56. *Ontol.*). Atque ideo vulnus cordi inflictum dicitur per se lethale. Ita in eo, quod triangulum tria habet latera, continetur ratio sufficiens, cur etiam tres, non plures, nec pauciores habere debeat angulos. Ergo ex eo, quod triangulum tria latera habet, per se sequitur, quod etiam tres angulos habere debeat.

§. 575.

Per accidens quid sequatur.

Ex A per accidens sequitur **B, si in A non continetur ratio sufficiens, cur inde sequatur B, sed potius in alio, quod eidem aliunde supetaccedit, non tamen necessario.**

Ita ex vulnere manui inflicto per se non sequitur mors; sequi tamen potest per accidens, quatenus e. gr. propter absentiam chirurgi nimia sanguinis copia ex vena disfecta profluit, vel culpa chirurgi aut ægroti sphacelus supervenit. Unde in hoc casu vulnus dicitur lethale per accidens.

§. 576.

Ex malo apparente quomodo tædium sequatur.

Ex malo apparente non per se, sed tantummodo per accidens sequitur tædium. Si enim malum tantummodo apparens fuerit, non verum; nos statumque nostrum imperfectiores minime reddit (§. 560), adeoque fieri nequit ut, dum idem intueris, veræ cujusdam imperfectionis tibi conscius sis. Quamobrem

obrem cum tædium ex idea rei ideo sequatur, quia eidem idea imperfectionis cujusdam adhæret (§. 518); in idea mali apparentis ratio sufficiens non continetur, cur inde tædium sequatur (§. 56. *Ontol.*), consequenter tædium inde per se sequi nequit (§. 574).

Quoniam tamen malum apparens nos statumque nostrum tantummodo imperfectiores reddere videtur (§. 568), ideæ rei quidpiam superaccedere debet, ob quod vel nos imperfectiores, vel statum nostrum imperfectiorem reddere videtur. Quamobrem cum propterea nobis imperfectionis cujusdam conscii simus, in quo totum tædium nostrum consistit (§. 518); ratio cur ex malo apparente sequatur tædium, non in ipso, sed in alio potius continetur, quod eidem aliunde superaccedit, consequenter ex malo apparente tantummodo per accidens sequitur tædium (575).

Idem confirmatur a posteriori. Medicamentum saporis ingrati malum apparens est. Qui vero ex eodem tædium percipiunt, non sibi repræsentant virtutem ejusdem, quam in morbo fugando ac sanitate amissa restituenda exerit; sed nescio quæ damna cogitant, quæ sapore ingrato corpori infert. Non igitur in ipsa medicamenti idea continetur ratio sufficiens tædii (§. 56. *Ontol.*); sed in iis potius, quæ per errorem eidem attribuuntur, in diversis subjectis diversa, adeoque hic distincte non recensenda. Tædium itaque ex medicamento saporis ingrati nonnisi per accidens sequitur (§. 574). Hinc videas alios, quibus sapor medicamenti non minus molestus, absque ullo tædio eodem uti, immo non sine voluptate, ubi sibi virtutem ejusdem idea confusa repræsentant (§. 536).

Ut igitur a malo apparente nobis caveamus, acute distinguere debemus quidnam rei superaccedat, unde tædium emanat.

§. 577.

An tedium per se ex bono vero unquam sequatur.

Ex bono vero per se nunquam sequi potest tædium. Etenim bonum verum aut agnoscitur, aut non agnoscitur. Ponamus

namus bonum verum agnosci: voluptatem igitur ex eo percipimus (§. 558), eamque veram (§. 559) atque constantem (§ 564). Quamobrem fieri nequit ut tædium inde unquam sequatur, cum alias constans minime esset, sed mutabilis (§. 290. *Ontol.*), consequenter per se tædium inde sequi impossibile (§. 573. *Psych.* & § 118. *Ontol.*).

Idem etiam hoc modo ostenditur. Bonum verum nos statumque nostrum revera perficit (§. 557), adeoque si idem cognoscimus, perfectionis cujusdam nostriæ semper nobis conscii sumus, consequenter ratio sufficiens voluptatis ponitur, non tædii (§. 511. 518. *Psych.* & §. 56. *Ontol.*). Quoniam itaque in notione boni nulla continetur ratio sufficiens tædii, nec ex eo per se tædium sequi potest, ubi agnoscitur (§. 574).

Ponamus jam porro bonum verum non agnosci. Aut igitur in dubio relinquitur, utrum bonum sit, an malum; aut pro malo habetur. Quodsi in dubio relinquitur, utrum quid bonum sit, an malum; nec perfectionis cujusdam tuæ, nec imperfectionis tibi conscius es (§. 554. 566). Quare cum voluptas tota in eo consistat, ut perfectionis cujusdam tibi conscius fueris (§. 511); tædium vero totum consistat in eo, ut imperfectionis cujusdam tibi sis conscius (§. 518); per notiones boni atque mali non intelligitur, quomodo inde tædium sequi possit; consequenter ratio sufficiens tædii in notione boni veri non agniti non continetur (§. 56. *Ontol.*) adeoque nec ex bono vero non agnito, sed in dubio relicto tædium per se sequi potest (§. 573). Quodsi denique bonum verum perperam pro malo habetur, malum nonnisi apparens est (§. 568). Quare cum ex malo apparente per se non sequatur tædium (§. 576); ex bono vero nec in hoc casu tædium per se sequi potest.

Quoniam itaque ex bono vero tædium per se sequi nequit, sive agnoscatur, sive in dubio relinquatur, sive denique pro malo

malo habeatur *per demonſtrata*; ex bono vero per ſe tædium nunquam ſequi poteſt.

Idem etiam confirmatur a poſteriori. Scientia & virtus moralis quæcunque bonum verum eſt, quemadmodum nemine, qui ſanæ mentis eſt, refragente ſumere licet, ſuo loco demonſtrandum. Quoties qui ſcientia imbutum habet animum, vel virtute inſtructus eſt, ſcientiam atque virtutem intuetur, prouti eſt, ſemper inde voluptatem percipit. Quodſi contingat homines invidos atque malitioſos vexas creare eidem deteſtandas, ut inde tædio afficiatur animus & impatiens deteſtetur ſcientiam atque virtutem, non tamen hic tædium percipitur ex ſcientia & virtute, ſed revera ex invidia & malitia aliorum, qua deformatur ipſorum animus, ac inde manantibus vexis, quibus ipſemet perturbatur. Non igitur ex ſcientia & virtute morali quacunque per ſe ſequitur tædium, etſi per accidens fieri poſſit, ut alii inde deſumant anſam tædia nobis creandi. Hæc adeo clara ſunt, ut animum ad ſcientiam atque virtutem moralem, qua aliorum nobis odia conflavimus, advertentes inter mille tædia, quæ nobis creantur, voluptatem inde percipiamus, atque ita tædia vincamus. Provocare hic poteramus ad exempla domeſtica, niſi ſatis manifeſtum eſſet, nos propria experientia hac in re non eſſe deſtitutos.

Maxima momenti eſt præſens propoſitio in Moralibus, cum in ea contineatur fundamentum conſtantiæ virtutis inconcuſſum, quemadmodum ſuo loco evidenter demonſtratum ſumus.

§. 578.

Quodſi ergo contingat, ex eo, quod bonum verum eſt, ſequi tædium, cum tædium omne aut per ſe, aut per accidens inde ſequi debeat (§. 574. 575), per ſe autem ſequi non poſſit (§. 577); *idem nonniſi per accidens inde ſequi poteſt.* *Quomodo tædium ex bono vero ſequatur.*

Teſtatur idem exemplum, ad quod in confirmanda propoſitione præcedente modo provocavimus. Etenim ex ſcientia & virtute nun-

nunquam tibi tædia procreata fuissent, nisi invidia ac odia aliorum supervenissent. Ex scientia igitur & virtute non procreantur tædia nisi per accidens (§. 575).

CAPUT II.

De appetitu sensitivo & aversatione sensitiva.

§. 579.

Definitio appetitus in genere.

Appetitus in genere est inclinatio animæ ad objectum pro ratione boni in eadem percepti.

E. gr. Ponamus Titium ex Sempronio Medico audire, quod cibus aliquis ad sanitatem conservandam conducat. Quodsi cognoscat, quanta corporis perfectio sit sanitas, judicabit cibum esse bonum tribuens eidem bonitatis gradum pro magnitudine perfectionis, quam in sanitate collocat (§. 554). Enimvero dum ita judicat, se ad cibum istum propendere animadvertet, eumque adeo appetet. Atque ita realitas definitionis a posteriori patet, quam quilibet in seipso experitur.

§. 580.

Appetitus sensitivi definitio.

***Appetitus sensitivus* dicitur, qui oritur ex idea boni confusa. Unde independenter ab appetitu in genere definiri potest, quod sit inclinatio animæ ad objectum pro ratione boni sive veri, sive apparentis in eodem confuse percepti.**

E. gr. Ponamus Titium gustu percipere saporem vini gratum ac in perceptione confusa acquiescentem judicare, quod sit bonum. Cieri hinc sentiet appetitum, qui is est, quem sensitivum dicimus. Quoniam appetitus noster utplurimum sensitivus est, exempla ejus obvia sunt, ut adeo singulis momentis non desint, modo attentionem afferas sufficientem in iis casibus, in quibus ex consuetudine quid appetere solemus.

§. 581.

Digitized by Google

§. 581.

Aversatio in genere est reclinatio animæ ab objecto, pro ratione mali in eodem percepti, seu quod nobis in eodem percipere videmur. *Aversationis definitio.*

E. gr. Si Titius ex Sempronio Medico audit, cibum aliquem sanitati damnum inferre, referens exempla eorum, qui eodem usi in morbos graves atque periculosos inciderunt; cibum istum aversatur, immo ori jam ingestum evomit. Hic igitur aversatur cibum, quod eum sibi tanquam malum repræsentet, alias eundem propter saporem; admodum gratum comesturus. Dum vero cibum aversatur, anima quasi reclinatur ab eodem, quatenus cupit eum procul a se abesse: id quod capitis reclinatione & motu manuum, qualis esset solet quidpiam a se remoturi, significamus, ubi quis eundem nobis offert. Quemadmodum autem in definitione appetitus notione clara inclinationis contenti fuimus, etsi confusa; ita similiter hic in notione clara quidem, sed confusa reclinationis acquiescimus. Etenim quid sibi velit tam inclinatio, quam reclinatio animæ, unusquisque in se quovis momento experiri potest, cum continui sint appetitus atque aversationes, ita ut vix assignari possit aliquod momentum, quo non aliquid appetamus, vel aversemur. In Psychologia autem rationali demonstraturi sumus, in quonam ista inclinatio & reclinatio consistat. Absit autem, ut quis sibi persuadeat nos voce uti in significatu metaphorico, nec proprium quendam eidem hic tribuere! Etsi enim vocabula a rebus corporeis eorumque situ petantur; id tamen minime obstat, quo minus in doctrina de anima proprius quidam significatus ipsis tribuatur (§. 148. *Log.*).

§. 582.

Aversatio sensitiva est, quæ oritur ex idea mali confusa. Quamobrem independenter ab aversatione in genere definiri potest per reclinationem ab objecto pro ratione mali in eodem confuse percepti, seu quod in eo nobis confuse percipere videmur. *Aversationis sensitivæ definitio.*

E. gr. Ingentem quis percepit dolorem, instrumento chirurgico vulneri intruso, vel alio modo ad idem applicato. Quodsi ergo alio tempore chirurgus idem instrumentum ad vulnus applicare voluerit; imaginatio ideam doloris revocat (§. 117), ut socia præsenti

Digitized by Google

perceptioni jungatur. Quamobrem ab instrumento isto abhorret vulneratus, & ejus ad vulnus suum applicationem aversatur. Vocatur autem hæc aversatio sensitiva, quia a sensu tandem ortum trahit: id quod etiam de appetitu sensitivo tenendum.

§. 583.

Scholasticorum phraseologia explicata.

Scholastici appetitum sensitivum appellare etiam solent *Appetitum* simpliciter. Dividunt autem appetitum ita acceptum, seu sensitivum, in concupiscibilem & irascibilem. *Appetitus concupiscibilis* appellatur qui nobis appetitus sensitivus dicitur (§ 579). *Appetitus* autem *irascibilis* vocatur facultas ista, quam nos aversationis sensitivæ nomine insignivimus. Ita enim *Franciscus de Oviedo*, Societatis Jesu, in Cursu philosophico Tom. 2. Tract. de Anima Controv. 4. punct. 3. §. 2 f. 53. a. Appetitus, inquit, sensitivus dividitur in partem concupiscibilem & irascibilem, quæ divisio non est potentiarum differentium, sed actuum diversorum ab eadem potentia provenientium: quatenus enim appetitus in bonum inclinatur, *concupiscibilis* dicitur, & quatenus malum fugit, *irascibilis* appellatur. Quodsi quis terminis Scholasticorum uti voluerit; is ad eosdem facile accommodabit notiones nostras sequentem in modum. *Appetitus* in genere est facultas mentis qua in bonum quomodocunque perceptum inclinamur, a malo autem reclinamur. *Appetitus sensitivus* est, qui ad bonum vel malum confuse perceptum refertur. *Appetitus concupiscibilis* est inclinatio animæ in bonum confuse perceptum. *Appetitus irascibilis* est reclinatio a malo confuse percepto.

Non omnes appetitum concupiscibilem ab irascibili eodem modo distinguunt. *Thomistæ* enim appetitum concupiscibilem ferri dicunt in bonum; irascibilem in bonum arduum: contra quos disputat *Joannes Poncius* in Cursu philosophiæ ad mentem *Scoti* in Tract. de anima disp. 4. quæst. 2. concl. 3 f. 791, appetitus partem concupiscibilem describens, per illam, qua fertur in bonum, sive arduum, sive non, illud persequendo, quibuscunque actibus illud persequitur, exceptis actibus, quibus vindicative persequitur impedimenta ipsius; irascibilem vero per illam, qua persequitur impedimenta ipsius vindicative, & hanc sententiam menti *Scoti* consen-

Digitized by Google

taneam probat. Enimvero ſi terminis iſtis uti volueris, convenientius eſt, ut appetitutum concupiſcibilem ad appetitum boni cujuſcunque, iraſcibilem vero ad fugam mali referas, cum boni, in quod anima fertur, appetitum a fuga mali, quod averſatur, diſtingui neceſſe ſit. Inanes vero ſunt lites Scholaſticorum de terminis, quos pro arbitrio definitionibus nominalibus explicare licet, utut convenientius ſit eas ita explicari, ut in praxi, cujus gratia diſtinguuntur, commodum habeant uſum.

§. 584.

Facultatis appetitivæ pars inferior.

Appetitus ſenſitivus cum averſatione ſenſitiva dicitur *Facultatis appetitivæ pars inferior.* Appetitus enim perinde ac Averſatio hic ſumitur non pro actu, ſed pro actus poſſibilitate ſeu potentia, quæ facultatis nomine venit (§. 29).

Denominatio hæc fit ad imitationem alterius, qua facultatem cognoſcendi in partem inferiorem ac ſuperiorem dividimus: reſpondet autem pars facultatis appetitivæ inferior parti cognoſcitivæ facultatis inferiori, a qua pendet.

§. 585.

Status indifferentiæ.

Si nec appetimus, nec averſamur objectum cognitum, *indifferentes* eſſe dicimur, & ſtatus animæ, quo eſt ad objectum, quod ſibi repræſentat, indifferens, *ſtatus indifferentiæ* dicitur. *Statum indifferentiæ dari* experientia confirmatur.

E. gr. Si quis videt ad ripam fluminis multos lapillos, eosque contemplatur; eos tamen nec appetit, nec averſatur. Immo ſi quos manu apprehendit, ut eos accuratius contemplari poſſit; ipſos tamen denuo abjicit, ut adeo ſolius contemplationis gratia eos appetat, ſine autem hoc potius ipſos ſuos eſſe nolit, ad ſtatum indifferentiæ a contemplatione rediens.

§. 586.

Appetitus & averſationis ratio ſufficiens.

Repræſentatio boni eſt ratio ſufficiens appetitus; repræſentatio mali ratio ſufficiens averſationis. Quoniam enim nihil eſt ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. 70. *Ontol.*); ratio quoque ſufficiens adeſſe debet, cur aliquid potius appetamus, quam non appetamus; cur potius averſemur, quam non averſemur. Jam vero experientia conſtat,

ſtat, quando aliquid appetimus nos idem nobis repræſentare tanquam bonum; quando aliquid averſamur, nos idem repræſentare nobis tanquam malum; quando autem quid nec appetimus, nec averſamur, nos ignorare, utrum nobis bonum ſit, an malum, vel judicare, quod neutrum ſit. Quamobrem cum ex bono voluptatem percipiamus, quando idem cognoſcimus (*§.* 558), ex malo contra percipiamus tædium, quando idem cognoſcimus (§. 569); ex eo, quod quid bonum judicamus, intelligi poteſt, cur idem potius appetamus, quam averſemur, & ex eo, quod quid malum judicamus, intelligi poteſt, cur idem potius averſemur, quam appetamus, aut non averſemur. Erit igitur repræſentatio boni appetitus; repræſentatio mali averſationis ratio ſufficiens (*§.* 56. *Ontol.*).

Utilitatis maximæ eſt cognoſcere, quænam ſit tam appetitus, quam averſationis ratio ſufficiens. Ita enim non minus hanc, quam iſtam in poteſtatem noſtram redigimus, quemadmodum ex Moralibus conſtabit.

§. 587.

Status indifferentiæ quando obtineat.

Si quid nobis nec tanquam bonum, nec tanquam malum repræſentamus; in ſtatu indifferentiæ ſumus. Etenim ſi quid nobis non repræſentamus tanquam bonum, non adeſt ratio ſufficiens appetitus (*§.* 586). Quamobrem cum ſine ratione ſufficiente nil quicquam eſſe poſſit (*§.* 70. *Ontol.*); nec quid appetere poſſumus, ſi idem nobis non repræſentamus tanquam bonum. Quare cum eodem modo oſtendatur, nos non appetere poſſe illud, quod nobis non repræſentamus tanquam malum, evidens eſt, ſi quid nobis nec tanquam bonum, nec tanquam malum repræſentamus, nos idem nec appetere, nec averſari, conſequenter in ſtatu indifferentiæ eſſe (§. 585).

Idem confirmatur a poſteriori. Pertinet huc exemplum, quod ad illuſtrandum ſtatum indifferentiæ in medium attuli-mus (*not. §. cit.*). & addi poſſunt centena alia, cum non alia re

re opus ſit, quam ut attentionem noſtram dirigamus in objecta, quæ ad nos ſtatumque noſtrum relata nec bona, nec mala deprehenduntur. Ac utile eſt attendere ad objecta, ad quæ nos indifferentes habemus; ut defectum perceptionis boni atque mali advertamus, ſicque veritas propoſitionis præſentis continuo magis magisque clarior nobis evadat.

Quodſi objicias repræſentationem boni non eſſe unicam rationem ſufficientem appetitus, nec averſationis rationem ſufficientem unicam eſſe repræſentationem mali, neceſſe eſt, ut aliæ præterea rationes ſufficientes tam appetitus, quam averſationis nominentur. Quodſi quis ſuſpicionem ex ignorantia enatam attendi velit; is perpendat objecta non movere appetitum, niſi quatenus ad nos referuntur: ea enim, quæ nos nullo modo tangunt, non curamus. Enimvero ſi ad nos referuntur, vel nos ſtatumque noſtrum perficiunt, vel nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddunt, vel denique nihil ad hunc ſcopum conferunt. Quamobrem appetitus præter repræſentationem boni (§. 554), averſatio præter repræſentationem mali (§. 565) rationem aliam habere nequit: utraque deficiente, deficit cum appetitus, tum averſatio, atque adeo ſtatus indifferentiæ eſt, quemadmodum fert præſens propoſitio. Quodſi quis perpendit, cur indifferens ſeſe habeat ad hoc vel iſtud objectum, quod ipſi offertur, hinc porro facile perſpiciet, quod nonniſi per boni aut mali repræſentationem ex ſtatu indifferentiæ in alium transferri poſſit.

§. 588.

Ignoti cur nullo cupido.

Quoniam fieri nequit, ut judicemus, quomodo objectum aliquod ad nos ſtatumque noſtrum ſeſe habeat, conſequenter utrum bonum, an malum ſit (§. 554. 565), quamdiu ignotum nobis eſt (§. 1218. *Log.*); *ignotum nec appetimus, nec averſamur; ſed indifferentes nos ad idem habemus* (§. 586. 584).

Idem animadverterunt veteres, ideo inculcantes pervulgatum iſtud: *Ignoti nulla cupido.*

§. 589.

Quomodo appetitus naſcatur.

Quamprimum rem quandam nobis repræſentamus tanquam bonam; eam appetimus. Etenim quamprimum rem quandam

dam nobis repræſentamus tanquam bonam, ratio ſufficiens appetitus ponitur (§. 586), conſequenter etiam ipſe appetitus (§. 118. *Ontol.*), adeoque rem iſtam appetimus.

Idem unusquisque in ſemetipſo experitur, modo diſtinguendis iis, quorum ſibimet ipſe in ſeipſo conſcius eſt, ſatis fuerit acutus.

Probe autem tenendum, in præſente propoſitione, quemadmodum in ceteris omnibus, ſupponi, nihil adeſſe, quod in determinationem prædicati influere poſſit præter ea, quæ in notione ſubjecti deprehenduntur, conſequenter in caſu præſente nos nobis objectum repræſentare tanquam bonum, nihilque a nobis cogitari quod judicium noſtrum nobis ſuſpectum reddere poſſit, tantum abeſt ut contrariam in partem rationes fortiores nobis occurrant. Hæc trutinari debet, qui veritatem propoſitionis per experimenta in ſe ipſo ſumta comprobare voluerit.

§. 590.

Quomodo averſatio determinetur.

Quamprimum rem quandam nobis repræſentamus tanquam malam; eam averſamur. Etenim quamprimum rem quandam nobis repræſentamus tanquam malam, ratio ſufficiens averſationis ponitur (§. 586), conſequenter etiam averſatio (§. 118. *Ontol.*) adeoque rem iſtam averſamur.

Eadem hic repetenda ſunt, quæ ad propoſitionem præcedentem annotata ſunt.

§. 591.

Objecta appetitus ſenſitivi.

Si qua ex re voluptatem percipimus, in eam fertur appetitus, ſeu eam appetimus, quamdiu in notione boni confuſa acquieſcimus. Si qua enim ex re voluptatem percipimus, eam nobis repræſentamus tanquam bonam, quamdiu ſenſuum judicio ſtamus (§. 561), adeoque in notione boni confuſa acquieſcimus (§. 536). Sed quamprimum rem quandam nobis repræſentamus tanquam bonam, eam appetimus (§. 589) & ex idea boni confuſa naſcitur appetitus ſenſitivus (§. 579). Ergo ſi ex re quadam voluptatem percipimus, eam appetimus, quamdiu in idea rei confuſa acquieſcimus.

Idem

Idem confirmatur a poſteriori. Ex cibo, qui bene ſapit, voluptatem percipimus: ſed quamprimum eum videntes ſaporis grati recordamur, eum appetimus. Similiter ſi ex odore grato floris voluptatem percipimus; eundem videntes & odoris, quem ſpargit, memores eundem appetimus. Infantes dulcedine capiuntur. Appetunt itaque quæ dulcia ſunt.

Quoniam plerique homines nonniſi confuſam boni ideam habent, atque adeo in eadem acquieſcere tenentur; immo in univerſum omnes ſecundum notionem, quam habent, confuſam judicare ſolent, præſertim quando objectum ſenſui, vel imaginationi primum obſicitur, exempla, quibus propoſitio præſens confirmatur, adeo obvia ſunt, ut nemini deſit occaſio in ſemetipſo capiendi experimentum, quamprimum lubido animum inceſſerit.

§. 592.

Si qua ex re tædium percipimus, eam auerſamur, quamdiu in notione mali confuſa acquieſcimus. Si qua enim ex re tædium percipimus, eam nobis repræſentamus tanquam malam, quamdiu ſenſuum judicio ſtamus (§ 573), adeoque in notione mali confuſa acquieſcimus (§. 536). Sed quamprimum rem quandam nobis repræſentamus tanquam malam, eam averſamur (§. 590), & ex idea mali confuſa naſcitur averſatio ſenſitiva (§. 581). Ergo ſi ex re quadam tædium percipimus, eam averſamur, quamdiu in notione mali confuſa acquieſcimus. *Objectum averſationis.*

Idem confirmatur a poſteriori. Tirones initio ex diligentia tædium percipiunt, in cujus rationes jam non inquirimus. Sed eos diligentiam ac aſſiduitatem averſari palam eſt, unde niſi adſit alius ſtimulus negligentes fiunt. Patet igitur quod diligentiam averſentur non modo ideo, quod ex eadem tædium percipiunt; verum etiam quod averſatio tamdiu durat, quamdiu juxta hanc notionem mali de diligentia judicamus, nec nobis ſuccurrunt rationes aliæ, quæ nos judicium mutare cogunt, vel attentionem ab eodem avertunt.

§. 593.

Digitized by Google

§. 593.

Notio boni confusa qualis.

Si nobis rem tanquam bonam confuse repræsentamus, ideam boni ingrediuntur voluptates quæcunque ex re ista, vel cum eadem antea simul perceptæ. Dum enim rem percipimus, vi imaginationis reproducenda quoque est idea voluptatis antea perceptæ sive ex re ista, sive una cum ista (§. 104), modo diu, vel sæpius simul percepta fuerit (§. 107), ac vi memoriæ eandem recognoscimus (§. 275), adeoque nobis conscii sumus, quod eam antea ex re ista, vel cum eadem perceperimus (§. 173). Enimvero voluptates diversæ tempore diverso ex re ista vel cum eadem perceptæ fuerunt *per hypoth.* & quoniam ad rem totam attentionem dirigis, *itidem per hypoth,* nulla hic adest ratio, cur una potius, quam altera memoriam subire debeat, adeoque omnes simul eandem subire debent. Quamobrem cum plures simul reproductæ a se invicem non distinguantur; ideam quandam confusam constituunt (§. 39). Jam qui sensuum judicio stant, adeoque in notione boni confusa acquiescunt (§. 55), bonum quid ex eo judicant, quod voluptatem inde percipiant (§. 561). Idea igitur ista confusa, quam voluptates cum re data, vel ex eadem diu perceptæ ingrediuntur, est illa ipsa idea, qua rem istam nobis repræsentamus tanquam bonam, consequenter quando nobis rem tanquam bonam confuse repræsentamus; ideam boni ingrediuntur voluptates quæcunque ex re ista, vel cum eadem antea simul perceptæ.

Idem patet a posteriori, si ideas confusas evolvere noveris, ut distincte appareat, quid in iis contineatur. Ponamus Titium contemplari vinum in poculo vitreo contentum, memoriam ejus subibit voluptas diversis temporibus partim ex sapore vini, partim ex conversatione cum convivis, aut alia quacunque de causa inter pocula percepta. Quamobrem ubi ratio reddenda, cur bonus judicetur vini haustus; nunc hanc, nunc aliam rationem reddi animadvertes, prout attentio-

tio-

tionem suam in particularem quandam perceptionem præsentem dirigit (*§.* 109); immo rationes complures cumulari deprehendes, subinde parum quadrantes, prouti successive in aliam aliamque perceptionem præsentem attentionem dirigit, (*§. cit.*). Quamobrem si quis veritatem propositionis præsentis experimento in se sumto confirmare voluerit; is in evolvendis ideis boni confusis assiduus esse debet, attentionem suam successive dirigendo in singula, quæ in perceptione præsente continentur. Ita enim sua veluti sponte sese offerent, quæ vi imaginationis veluti præsentia sistuntur, modo non fueris impatiens in reflectendo super re præsente ac attendendo ad phantasmata vi imaginationis producta. Hæc autem patientia multo demum exercitio & præviis habitibus aliis acquiritur, veluti habitibus reflexionis, attentionis, acuminis, prouti unusquisque in semetipso experiri poterit.

Maximi momenti est propositio præsens in Moralibus. Etenim notio boni fit maxime deceptrix, quod eam ingrediantur voluptates, quæ ex eadem re vel prorsus non percipiuntur, vel saltem simul percipi nequeunt. Ita enim bonum apparet majus, quod longe minus haberi debet, etiamsi sensuum judicio stetur. Quamobrem plurimum refert, ut perceptiones boni confusas evolvere discamus, quo vim deceptricem cognoscentes tanto facilius nobis ab eadem caveamus. Etenim pluribus exemplis edocti, quænam perceptionibus istiusmodi insit vis deceptrix, omnis confusa boni perceptio posthac nobis suspecta evadet.

§. 594.

Si nobis rem tanquam malam confuse repræsentamus, ideam mali ingrediuntur tædia quæcunque ex re ista, vel cum eadem antea simul percepta. Dum enim rem percipimus, vi imaginationis reproducenda quoque est idea tædii antea percepti sive ex re ista, sive una cum ista (§. 104), ac vi memoriæ eandem recognoscimus (§. 275), adeoque nobis conscii sumus, quod id antea ex re ista, vel cum eadem percepimus (§. 173). Enimvero tædia diversa diverso tempore ex re ista, vel cum eadem per- *Notio mali confusa qualis.*

Digitized by Google

cepta fuerunt *per hypoth.* & quoniam ad rem totam simul attentionem dirigis, *itidem per hypoth.* nulla hic adest ratio, cur unum potius, quam alterum memoriam subire debeat, adeoque omnia simul memoriam subire debent. Quamobrem cum tædiorum plurium ideæ simul reproductæ a se invicem distingui nequeant; ideam quandam confusam constituunt (§. 39). Jam qui sensuum judicio stant, adeoque in perceptione mali confusa acquiescunt (§. 275), malum quid ex eo judicant, quod tædium inde percipiant (§. 573). Idea igitur ista confusa, quam tædia cum re data, vel ex eadem diu vel sæpius percepta ingrediuntur, est illa ipsa idea, qua rem istam nobis repræsentamus tanquam malam, consequenter quando nobis rem tanquam malam confuse repræsentamus; ideam mali ingrediuntur tædia quæcunque ex re ista, vel cum eadem antea simul percepta.

Idem confirmatur a posteriori, si ideas confusas evolvere noveris. Ponamus Titium contemplari vinum in poculo vitreo contentum, & antea jam sæpius nimiam vini hausti quantitatem ex ventriculo iterum per vomitum ejecisse, postero autem die languorem in omnibus artubus, dolores capitis, nauseam vini ac tædia compluta ex male ob ebrietatem factis percepisse; conspecto vino singula ista memoriam subibunt. Quamobrem ubi ratio reddenda, cur malum judicetur haurire largiter vinum; nunc hanc, nunc aliam reddi, ac plures rationes cumulari perinde ac in casu præcedente percipiet.

Quæ ad propositionem præcedentem annotata fuerunt, etiam hic repetenda sunt. Ceterum adhuc tenendum est, cum eadem re una percipi, quæ percipiuntur, sive ea sensui, sive imaginationi præsens fuerit. Unde etiam huc spectant tædia ex eò percepta, quod ex re quadam consequitur, quatenus conjunguntur cum re in memoriam revocata. E. gr. ponamus te in ebrietate non perpendentem ea, quæ silentio præmenda erant effutire, ac postero die Titium tibi vexas creare, quod ea dixeris, quæ in detrimentum fortunæ ipsius cedunt;

cedunt; ex vexis iſtis tædium percipis. Recordaris vero, te ebrium propalaſſe, quæ taceri debebant, ac ideo tibi vexas creari; ebrietatem tanquam cauſam tædiorum conſideras ac ideo tædii ideam cum nimio vini hauſtu, unde ebrietas manavit, connectis, ut de hoc cogitanti tædium ſuccurrat.

§. 595.

Si plures voluptates ex re quadam, vel cum eadem autem perceptæ ideam boni ingrediuntur, appetitus fortior, ſeu major eſt, quam ſi pauciores in eadem continentur. Quoniam enim rem appetimus, quatenus ex ea voluptatem percipimus, quando in notione confuſa boni acquieſcimus (§. 591); ſi autem plures voluptates ex re quadam, vel cum eadem perceptæ ideam boni ingrediuntur, idea boni confuſa eſt (§. 39); ex ſingulis voluptatibus ſinguli appetitus oriuntur in unum confuſi non minus. ac voluptates, ex quibus reſultant, in unum confunduntur. Quodſi illatio nondum ſatis evidens videatur, facile evidentior redditur. Etenim ponamus in idea boni contineri voluptates A, B, C, D olim perceptas, numero nimirum quatuor, ſed gradu a ſe invicem differentes. Quodſi ſolam voluptatem A conſideres, naſcetur inde appetitus quidam H, & eodem modo ex eo, quod cogites voluptatem B, naſcetur appetitus I; ex eo, quod ſolam cogites voluptatem C, vel D, naſcetur appetitus K vel L (§. 591). Enimvero cum in idea boni contineantur voluptates A, B, C & D, easque omnes ſimul cogites, quando ideam iſtam habes, *per hypoth.* nihil obſtat, quo minus ex ſingulis adhuc naſcantur appetitus ſui, immo cum poſitis voluptatibus omnibus ſimul in idea, quam habes, ponatur ratio ſufficiens omnium appetituum ſimul, qui ex ſingulis naſcuntur, omnes quoque appetitus H, I, K, L poni debent (§. 118. *Ontol.*). Quoniam igitur ſimul oriuntur & in unum objectum tendunt, plures ſimul eundem appetitum conſtituunt, adeoque tanquam totidem partes appetitus ejusdem conſiderandi veniunt (§. 341. *Ontol.*). Quamobrem cum

Appetitus ſenſitivus quomodo fortior evadat.

Digitized by Google

appetitus constans ex appetitibus H & I sit pars appetitus constantis ex appetitibus H, I, K & L, *per demonstrata*; appetitus constans ex appetitibus H & I minor est appetitu constante ex appetitibus H, I, K & L (§. 352. *Ontol.*). Enimvero appetitus constans ex appetitibus H & I oritur, quando ideam boni ingrediuntur voluptates A & B; appetitus vero constans ex appetitibus H, I, K & L nascitur, quando in idea boni continentur voluptates A, B, C & D *per demonstrata*. Ergo si ideam boni plures voluptates ex re quadam, vel cum eadem antea perceptæ ingrediuntur; appetitus major est, quam si pauciores in eadem continentur.

Atque adeo patet, quomodo fieri possit, ut appetitus continuo fortior evadat, si sæpius iteretur, occasione eandem rem appetendi sæpius oblata.

§. 596.

Aversatio sensitiva quomodo fortior evadat.

Si plura tædia ex re quadam, vel cum eadem percepta ideam mali ingrediuntur, aversatio fortior, seu major est, quam si paucioribus in eadem sit locus. Ostenditur eodem prorsus modo, quo propositio præcedens, modo voluptatibus tædia & appetitibus aversationes substituas. Unde demonstratio propositionis præcedentis facile transmutatur in demonstrationem propositionis præsentis, eodem scilicet modo, quo paulo ante (§. 594) demonstrationem quandam anteriorem (§. 593) in aliam formam transfudimus.

Per hanc propositionem patet, quomodo fieri possit, ut aversatio continuo fortior evadat si sæpius iteretur, occasione eandem rem aversandi sæpius oblata. Patet etiam, quousque in potestate nostra positum sit ut aversationem fortiorem efficiamus.

§. 597.

Bonum quando majus appareat.

Si voluptates complures cum re quadam antea perceptæ ideam boni ingrediuntur; bonum majus videtur, quam ipso sensuum judicio deprehenditur. Quoniam voluptates complures cum re quadam antea perceptæ ideam boni ingrediuntur *per hypoth-*

hypoth. ponamus evidentiæ gratia, ideam boni ingredi voluptates A, B, C & D ac mixtam L conſtituere. Quoniam itaque voluptates A, B, C, D ſimul unam conſtituunt voluptatem L, ſingulæ erunt quaſi partes hujus (§. 341. *Ontol.*). Voluptas igitur ſola A minor eſt voluptate L (§. 357. *Ontol.*). Quamobrem cum voluptates olim cum re perceptæ non omni tempore ex eadem, vel cum eadem percipiantur, quod per ſe patet; ſi in dato caſu ex re data tantummodo percipiatur voluptas A, minor utique percipitur, quam quæ percipienda in idea boni repræſentatur. Quamvis ergo ex voluptate percipienda æſtimetur bonum, adeoque ſenſuum judicio ſtetur; bonum tamen majus apparere debet, quam poſtea deprehenditur, ubi voluptates complures cum re quadam antea perceptæ ideam ejus ingrediuntur.

Idem etiam confirmatur a poſteriori. Ponamus enim A denotare voluptatem ex ſapore vini perceptam; B vero voluptatem ex præſentia amici, C voluptatem ex diſcurſu præſentium, D denique voluptatem ex renovata plurium amicorum abſentium memoria perceptam. Dum igitur vinum haufiſti, plurima voluptate perfuſus fuit animus. Experieris autem, quod in tali caſu hauſtus vini majus bonum judicetur, quam poſtea deprehenditur, ſi vel ſolus, vel etiam cum aliis vinum poſtea hauſeris.

Notiones boni magis nobis imponunt, quo difficilius ſucceſſu temporis detegunntur rationes voluptatis accidentales, quæ non ſemper & ubique adſunt.

§. 598.

Si tædia complura cum re quadam antea percepta ideam mali ingrediuntur; malum majus videtur, quam ipſo ſenſuum judicio deprehenditur. Eodem modo oſtenditur, quo propoſitio præcedens, modo voluptatibus tædia & bono malum ſubſtituas. *Tadium quando majus appareat.*

Idem quoque confirmatur a poſteriori. Si quis enim ſæpius

pius ex ſuo de aliis judicio tædia, eaque ſubinde ſatis grandia percepit; ei de aliis judicare præſentibus aliis majus malum videbitur, quam alteri, qui nunquam adhuc tædii quidpiam ex eo percepit, quod de aliis libere animi ſententiam dixerit. Quodſi quis ad caſus quoscunque ſibi obvios attentionem ſuam dirigere adſueverit, animumque ſuum ad eos reflectere noverit; is plurima deprehendet exempla, quibus propoſitionis præſentis veritatem confirmet.

Quod paulo ante (*not. §. 597*) de fallacia notionum boni diximus, ea etiam ad tædium applicanda. Ceterum utiliſſimum eſt fallacias in utroque caſu detegere, quod magnitudo appetitus atque averſationis inde pendeat. Omnis autem philoſophiæ moralis ſcopus in eo conſiſtit, ut directionem appetitus in poteſtatem noſtram redigamus, ne facile agamus id, cujus nos poſtea pœniteat.

§. 599.

Gradus appetitus ac averſationis ſenſitivæ.

Appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva habet gradus. Quoniam enim appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva facultates animæ ſunt (§. 584), adeoque determinationes (§. 112. 122. *Ontol.*), quæ ſine alio aſſumto, ſcilicet per definitionem, intrinſeca continentem (§. 154. *Log.*) intelligi poſſunt (§. 580. 582); qualitates animæ ſunt (§. 432. *Ontol.*). Quare cum unus appetitus ſit altero fortior (§. 595), adeoque ſalva definitione communi vel tempore diverſo in eodem ſubjecto, vel eadem in diverſis ſubjectis differat; tam appetitus ſenſitivus quam averſatio ſenſitiva gradus habet (§. 746. *Ontol.*).

Hinc appetitus & averſatio æſtimationem recipit, etſi menſura nondum ſit reperta. Nobis hic ſufficit noſſe, quod dentur gradus non minus in appetitu ſenſitivo, quam in averſatione ſenſitiva: id quod utile eſt ad naturam affectuum intelligendam.

§. 600.

Mutabilitas iſtorum graduum.

Gradus appetitus ſenſitivi ac averſationis ſenſitivæ in eodem ſubjecto mutantur, ſi judicia de bono & malo mutantur. Quoniam enim appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva gradus habent (§. 598), unus appetitus altero & una averſatio altera

Digitized by Google

altera major eſt (*§.* 751. *Ontol.*), adeoque gradus oriuntur ex magnitudine, qua bonum (§. 595) vel malum nobis repræſentamus per multitudinem & magnitudinem voluptatum ac tædiorum ex re, vel cum eadem perceptorum (§. 596). Enimvero voluptas, quæ ex bono apparente percipitur, vel etiam ex vero, quatenus pro apparente perperam habetur, mutabilis (§. 564), ſimiliterque tædium, quod ex malo apparente, vel etiam ex vero, quatenus pro apparente habetur, percipitur, mutabile (§. 572). Quamobrem cum mutatis voluptatibus ac tædiis bonum non amplius tantum appareat, quantum videbatur antea (*§.* 597), nec malum quoque tantum videatur, quantum antea videbatur (*§.* 598); nec tantus quoque appetitus eſt, quantus antea fuerat, vi eorum, quæ demonſtrata ſunt. Mutato igitur judicio de magnitudine boni vel mali, mutantur quoque gradus appetitus ſenſitivi, ac averſationis ſenſitivæ.

Idem confirmatur a poſteriori. Videmus enim homines, qui objectum aliquod vehementer appetunt, poſtea in idem vix ferri. Quæſiti reſpondent, ſe nunc non amplius pro tanto bono habere, quantum ipſis antea videbatur. Atque adeo clariſſime patet, mutato judicio de magnitudine boni mutari quoque gradum appetitus, quem adeo imminui poſſe experimur, ut pro nullo prorſus haberi debeat. Simile quid contingit in averſatione, quam continuo minui poſſe, ut tandem prorſus evaneſcat, nemo non novit, qui ad ea attendere adſuevit, quæ quotidiana ſunt.

Propoſitio præſens maximi momenti eſt in praxi morali, quemadmodum ſuo tempore conſtabit.

§. 601.

Si quod antea videbatur bonum, nunc malum habeatur, appetitus mutatur in averſationem: ſi vero quod antea malum videbatur, nunc bonum habeatur, averſatio mutatur in appetitum. Quoniam enim initio objectum nobis videbatur bonum, *Appetitus & averſationis in contrarium mutatio*

num, *per hypoth.* ipſum appetebamus (*§.* 389). Enimvero quoniam mutata ſententia idem nunc a nobis judicatur malum *per hypoth.* ipſum averſamur (§. 390). Quamobrem ſi nunc malum habeatur, quod antea bonum videbatur; appetitus in averſationem mutatur.

Similiter quoniam in altero caſu objectum propoſitum initio nobis videbatur malum, *per hypoth.* idem averſabamur (*§.* 390). Enimvero quoniam mutata ſententia idem nunc a nobis bonum judicatur, quod antea malum habebatur, averſatio in appetitum mutatur.

Propoſitio præſens non minus maximi momenti eſt in praxi morali, ac præcedens. Ceterum notandum eſt, propoſitionem præſentem ita explicandam eſſe, ut appetitus & averſatio denotent facultates animæ, ne a ſignificatu vocabulorum fixo recedere videamur. Nimirum appetitus dicitur mutari in averſationem, quando loco facultatis appetendi ſeſe exerit facultas averſandi, ita ut nunc averſemur, quod antea appetebamus. Et idem intelligendum eſt de caſu oppoſito. Propoſitionem autem, cujus frequens uſus eſt, breviter enunciari conſultum fuit: quo in caſu etiam Mathematici compendia loquendi amant. Exemplo eſt theorema Pythagoricum, quod ita efferri ſolet: Hypothenuſa poteſt latera.

§. 602.

Ea ulterius expenditur.

Si voluptas apparens in tædium mutatur, appetitus in averſationem degenerat: ſi vero tædium apparens in voluptatem abit, averſatio in appetitum degenerat, quando ſcilicet in notione boni & mali confuſa acquieſcimus. Etenim ſi ex re quadam voluptatem percipimus & in notione boni confuſa acquieſcimus, eam appetimus (§. 591): ſi vero ex eadem tædium percipimus, eam averſamur, poſita eadem conditione (§. 592). Quodſi ergo voluptas apparens in tædium mutatur, quod antea appetebamus, nunc averſamur, adeoque appetitus in averſationem degenerat, quamdiu in notione boni ac mali confuſa acquieſcimus. Quodſi vero tædium apparens in voluptatem mutatur, quod antea averſabamur, nunc ap-

Digitized by Google

appetimus, adeoque aversatio in appetitum degenerat, quando in notione boni ac mali confusa acquiescimus.

Idem patet a posteriori. Qui ex sapore vini voluptatem percipit & in notione boni confusa acquiescit, ipsum ob saporem appetit. Quodsi inebriatus postero die dolorem capitis & languorem artuum nauseamque ventriculi sentit; illud aversatur. Quod igitur antea appetebat ob voluptatem inde perceptam, id nunc aversatur ob tædium quod in locum voluptatis succedit. Similiter si quis initio tædium percipit ex studio geometrico, idem aversatur. Enimvero ubi aliquos fecit progressus, ut vim demonstrationum percipiens voluptatem ex eodem percipiat, idem appetit. Quod adeo antea aversabatur ob tædium; idem nunc appetit ob voluptatem, quæ in locum illius successit.

Quoniam plerique homines in notione boni ac mali confusa acquiescunt; principii præsentis multus usus est in praxi morali, tum etiam in mutabilitate appetitus hominum dijudicanda.

CAPUT III.

De affectibus.

§. 603.

Affectus definitio.

Affectus sunt actus animæ, quibus quid vehementer appetit, vel aversatur, vel sunt actus vehementiores appetitus sensitivi & aversationis sensitivæ.

Appetitus ac aversationis actus gradu differre ostendimus (§. 599), atque hinc constat, rem definitam esse possibilem. Quodsi ergo definitionem præsentem pro nominali accipis, non est quod contra eam objicias. Enimvero quoniam vocabulum ex usu loquendi jam sortitum est significatum quendam, non temere immutandum (§. 142. *Disc. prælim.*); definitionem nostram ab usu loquendi non abhorrere demonstrandum.

§. 604.

An ſit uſui loquendi conformis.

Definitio affectuum uſui loquendi conformis. Patet id per exempla eunti. Ponamus virum, qui rerum naturalium cognitione delectatur, incidere in librum experimentis & obſervationibus refertum. Quoniam ſibi repræſentat idea quadam confuſa voluptatem inſignem ex ejus lectione percipiendam, eum vehementer appetit (§. 595). Enimvero dum hic appetitus vi ſuperiorum in eodem ſeſe exerit, affectum gaudii ac deſiderii eidem tribuimus. Immo ſi ipſemet ſtatum mentis ſuæ exprimere debet; ſe gaudio efferri, quod librum hunc nactus fuerit, & impatiente deſiderio lectionis ejusdem teneri affirmat. Similiter ſi quis virtutis amans videt hominem vitiis deditum, eum adeo averſatur, ut nudo conſpectu ejusdem offendatur. Omnes affirmant, quod eum odio perſequatur ingente, & ipſemet ſtatum mentis internum ſignificaturus ait ſe eum tantopere odiſſe, ut intueri non poſſit. In confeſſo eſt penes omnes, gaudium, deſiderium & odium eſſe in numero affectuum. Quoniam itaque hos affectus animæ tribuimus ob appetitus vel averſationis actum vehementiorem; per affectum nihil iſtiusmodi actum in communi ſermone indigitare ſolemus. Quamobrem cum definitio noſtra nomen affectuum tribuat actibus animæ, quibus quid vehementer appetimus, vel averſamur (§. 603); eadem quoque uſui loquendi conformis (§. 139. *Log.*).

Idem ex ſpeciali affectuum expoſitione clarius eluceſcet. Quot enim ſunt affectuum ſpecies, tot dari poſſunt exempla, quæ tanto apertius loquuntur, quod iisdem confirmari debet, quanto clariores ſunt affectuum notiones ſpeciales. Experimenti etiam loco eſſe poteſt, ſi ea, quæ ex notione affectus a priori deducuntur, cum obſervationibus conferantur. Quodſi enim cum notionibus communibus conſentiant, ipſa quoque affectus in genere notio cum iisdem conſtare debet.

§. 605.

Digitized by Google

§. 605.

Affectus ex confusa boni & mali repræsentatione oriuntur Affectus unde oriantur. sunt enim actus vehementiores appetitus sensitivi & aversationes sensitivæ (§. 603). Sed appetitus sensitivus oritur ex idea boni confusa (§. 580), aversatio autem sensitiva ex idea mali confusa (§. 582). Ergo etiam affectus ex confusa boni & mali idea, seu repræsentatione ejusdem oritur (§. 48).

Idem confirmatur a posteriori. Pertinent huc exempla, quibus propositionem præcedentem confirmavimus. Quando enim confuse nobis repræsentamus aliquid tanquam bonum, vel malum, illud bonum judicamus, ex quo voluptatem percipimus; malum vero, unde tædium percipimus. (§. 561. 573).

Propositionis præsentis veritas per inductionem singularum specierum magis confirmabitur, si quis eandem admittere noluerit, nisi proprio experimento edoctus.

§. 606.

Quoniam per voluptatem, quam ex re quadam percipimus, nobis eam confuse repræsentamus tanquam bonam (§. 561) & per tædium, quod ex eadem percipimus, tanquam malam (§. 576); affectus autem ex confusa boni & mali repræsentatione oriuntur (§. 605); *affectus*, tanquam appetitus & aversationes vehementiores (§. 603), *cum insigni voluptatis, vel tædii gradu conjunguntur.* Qualitas affectuum.

Species affectuum singulæ corollarium hoc a posteriori confirmant, prout ad inferius dicenda attendenti palam fiet.

§. 607.

Quoniam in omni affectu insignis quidam voluptatis, vel tædii gradus adest (§. 606); *Voluptas & tædium perperam pro affectuum speciebus habentur.* Num tædium ac voluptas sint species affectuum.

Dici potius poterat, affectus esse voluptatem ac tædium diversimode modificata. Etsi enim voluptate ac tædio perfundi possis, etiamsi nullo affectu clearis; non tamen ideo pro specie quadam affe-

Digitized by Google

ctuum voluptatem ac tædium in genere spectata habere licet: id quod facile ex notione generum & specierum intelligitur (*§. 54 & seqq. Ontol.*).

§. 608.

Affectus quinam jucundi sint.

Affectus jucundi sunt, qui in appetendo consistunt, seu cum magno voluptatis gradu conjunguntur.

Hæc duo sibi invicem æquipollere ex antea demonstratis liquet, ut adeo non demum opus sit demonstrari, quod posito uno ponatur etiam alterum.

§. 609.

Affectus molesti quinam dicantur.

Affectus molesti sunt, qui in aversando consistunt, seu cum insigni tædii gradu conjunguntur.

Hæc duo sibi invicem æquipollere denuo ex antea demonstratis abunde liquet, ut unum ex altero demonstrari opus non sit.

§. 610.

Affectus quinam mixti dicantur.

Affectus mixti sunt, qui ex jucundis & molestis constant, seu in quibus voluptas ac tædium invicem permiscentur.

Duci affectus mixtos ex speciali perlustratione constabit.

§. 611.

Quamnam affectus corpori mutationem inducant.

Quando animus affectibus commovetur, sanguis ac fluidum nerveum in corpore motu extraordinario agitatur. Res facti a posteriori probatur. Nemo dubitat iram in numerum affectuum referri debere. Jam vero si quis ad iram concitatur, facies rubet, sudor in capite præsertim erumpit, vultus ac gestus mutantur, quamvis non in singulis eodem prorsus modo. Sunt qui cum impetu celeri verba injuriosa protrudunt; sunt qui dentes incisorios fortiter comprimunt, quasi adesset, quod mordere deberent & truculenta facie præsentem intuentur, quasi oculos instar telorum in eum vibraturi. Sunt qui pedibus equorum instar calcitrant & manus perinde agitant, ac si maximo impetu quid a se protrudere conarentur.

Digitized by Google

tur. Sunt, ut alia taceamus, qui res quascunque primum obvias maximo impetu projiciunt; sunt qui manus fortiter comprimunt. Rubor faciei cum a sanguine sit, hunc vi corporis magno impetu versus extremas corporis partes propelli colligitur. Calor, qui sudorem promovet, cum a celeritate motus pendeat, quo sanguis in arteriis ac venis fertur; inde denuo colligitur sanguinem vi maxima cordis per arterias propelli. Idem manifeste loquitur pulsus arteriarum, ex quo tactui obvium est, sanguinem maximo impetu adversus tunicas arteriarum propelli quasi easdem perforaturum. Atque ita patet, mutari tam celeritatem, quam directionem sanguinis, dum quis ira excandescit, consequenter eundem motu extraordinario cieri. Mutatio vultus & gestuum fiunt mediante musculorum motu: musculi non moventur sine motu fluidi nervei. Ex mutatione adeo vultus & gestuum colligitur extraordinarius fluidi nervei, aut si mavis, spirituum animalium motus, quando ira excandescit animus. Idem eodem modo patet in terrore. Si quis enim in terrorem conjicitur, facies tota pallet, manus frigent, cor palpitat. Manus & pedes sæpius immoti in eodem situ detinentur, quem tenent, ubi terrore corripitur animus. Similiter oculi immoti hærent. Sunt qui aperto ore silent: sunt alii qui suspiria trahunt. Sunt qui instar statuæ immoti perstant: sunt qui præ langvore humi prosternuntur, & ita porro. Quoniam pallor faciei inde est, quod sanguis ex partibus corporis extremis versus interiora recedit, cor palpitat quod nimia sanguinis copia affluit, cui propellendæ vis ejus vix sufficit: ex utroque colligitur, sanguinem motu extraordinario ferri per venas atque arterias, dum in terrorem conjicimur. Ex mutatione autem vultus atque gestuum eodem prorsus, quo ante, modo intelligitur fluidum quoque nerveum motu extraordinario moveri. Quodsi cui exempla modo allata non sufficiant: is ad alia in quacunque affectuum specie attendat velim.

Digitized by Google

Ubivis enim deprehendet indicia manifesta motuum extraordinariorum tum sanguinis, tum fluidi nervei.

Merentur sane hæc phænomena, quæ accuratius observentur, ut tandem obtineatur theoria vultus ac gestuum in singulis affectuum speciebus. Etsi enim per ea, quæ modo commemoravimus, in diversis subjectis hæc non prorsus eadem sint; principia tamen generalia singulis insunt, quæ decenter inde abstracta constituunt notiones theoriæ condendæ inservientes. Neque vero hæc theoria sterilis ac inutilis censeri debet: in philosophia enim morali insignis ejusdem eluceſcet utilitas, præsertim in inclinationibus hominum naturalibus ac moribus conjectandis, nec non in certis Physiognomiæ fundamentis constituendis. Quoniam jam in Psychologia versamur, nobis potissimum res est cum affectibus, quatenus in anima sunt eidemque mutationem inducunt. Quatenus enim iidem corporis statum alterant, ad Physicam spectant, ubi in rationes eorum inquirimus, quæ corpori accidunt. Quamobrem sepositis iis, quæ ad corpus spectant, affectuum differentias in anima scrutari lubet.

§. 612.

Voluptatis gradus gradibus boni quibusnam proportionales.

Si bonum majus nobis videtur, major quoque inde percipitur voluptas, & contra si qua ex re major percipitur voluptas, majus bonum videtur. Quodsi enim quid majus bonum nobis videatur, majoris cujusdam perfectionis conscii nobis esse videmur (§. 554), consequenter majorem quoque voluptatem inde percipimus (§. 516).

Ponamus nos majorem ex re data voluptatem percipere, quam ex re quadam alia: majoris utique perfectionis nobis conscii esse videmur (§ 518), consequenter majus bonum videtur re altera (§. 554).

Propositione hac habemus opus in mox sequentibus, adeoque præmittenda fuit. Cetcrum ex demonstratione ejusdem clarius patet, cur sensuum judicio stantes seu in confusis notionibus acquiescentes, bonum judicemus illud, ex quo voluptatem percipimus, quemadmodum antea supposuimus tanquam experientia comprobatum: utut notio fallax sit, quod voluptas etiam percipiatur ex eo, quod bonum tantummodo apparet, non vero est (§. 561).

§. 613.

Digitized by Google

§. 613.

Si malum majus nobis videtur, majus quoque inde percipitur tædium, & contra si qua ex re majus percipitur tædium, malum majus videtur. Etenim si quid majus malum nobis videtur, majoris cujusdam imperfectionis nobis conscii esse videmur (§. 565), consequenter majus quoque tædium inde percipimus (§. 521). *Tædii gradus quo modo mali gradibus proportionentur.*

Contra si ex re quadam majus tædium percipitur, majoris imperfectionis nobis conscii esse videmur (§. 521) adeoque malum majus apparet (§. 565).

Hac quoque propositione in sequentibus instar principii demonstrandi utemur, edeoque ipsa quoque hic præmittenda fuit. Ceterum ex ejus etiam demonstratione elucet, cur sensuum judicio stantes adeoque in notionibus confusis acquiescentes malum judicemus illud, ex quo tædium percipimus. quemadmodum antea supposuimus tanquam experientia comprobatum.

§. 614.

Voluptatum insigne prædominium est id, quod *Gaudium* dicimus. *Gaudii definitio.*

Nomina affectuum cum vim significandi habeant ex communi usu loquendi, id omnino agendum est, ut definitiones nominales, etsi alias arbitrariæ, eidem accommodentur. Quamobrem nostrum quoque est ostendere, quod significatui, quem eadem ex communi usu loquendi habent, conformes sunt. Quoniam vero id fieri nequit, nisi præmissis principiis demonstrandi; ideo demonstratio definitionibus neque adjungi, neque immediate subjici potest. Exemplum gaudii est, siquis monetarum rariorum fuerit amans eidemque, dum caput dolet, quædam offertur, quam diu frustra quæsivit, atque tum tanta perfunditur voluptate, ut doloris capitis non amplius sibi conscius sit. Tum enim gaudere dicitur, quod nactus fuerit nummum tantopere exoptatum.

§. 615.

Quoniam voluptas prædominatur, si tanta fuerit, ut tædium, si quod adfuerit, non appercipiatur (§. 520); *Si gaudemus, tanta voluptate perfundimur, ut tædium, si quod adfuerit, non appercipiamus* (§. 614). *Quomodo gaudeamus.*

Atque

Atque hinc intelligitur ad definitionem gaudii illustrandam apprime quadrare exemplum, quod modo (*not.* §. 614) in medium adduximus. Quoniam enim tantam suppossuimus voluptatem, ut dolor capitis non appercipiatur, qui antea tam molestus erat; voluptatem prædomitari suppossuimus.

§. 616.

Quomodo gaudeamus.

Si quod nobis datur, vel quod habemus, tanquam insigne bonum idea confusa nobis repræsentamus; gaudium in nobis oritur, & magnitudo ejus magnitudini boni, quæ nobis videtur, respondet. Si enim quod nobis datur, vel quod habemus, tanquam insigne bonum nobis repræsentamus; voluptatem quoque ex eo percipimus (§. 558. 559), quamdiu repræsentatio confusa (§. 539), eamque tanto majorem, quanto majus nobis videtur bonum (§. 612). Quamobrem cum voluptas ingens superet tædium minus, quod forsam tum simul percipitur, seu percipi posset, tædium istiusmodi, si quod adest, non percipitur, aut, si quod adesset, non perciperetur (§. 528). Quare cum voluptas tum prædominetur (§. 529), gaudium oritur, (§. 614), cumque voluptatis magnitudo magnitudini boni, quæ videtur, respondeat, *per demonstrata;* magnitudo gaudii magnitudini boni, quod nobis videtur, respondet.

Idem confirmatur a posteriori. Si quis librum quendam, in quem incidit, judicat esse bonum, propterea quod sibi repræsentat fructus ex lectione ejusdem percipiendos, de quibus olim distincte cogitavit, idea quadam confusa; gaudio perfunditur. Quodsi plures gaudeant hac eadem de causa: unius tamen gaudium majus esse gaudio alterius, ex vultu, gestu, voce ac verbis colliges. Quodsi in differentiam inquisiveris, illum, qui majore gaudio effertur, respondentem audies, se diu multumque istiusmodi librum quæsivisse, cujus jam compos fiat, manifesto indicio in gaudium præsens multos influere status præteritos. Percipies præterea eundem, qui tantopere gaudet, ingens pretium statuere fructibus ex lectio-

lectione libri percipiendis; id quod his vel geminis verbis exprimit, librum hunc sibi esse dono vel mille aureorum chariorem; se mille thaleris, quam libro isto carere malle. Alterius vero responsiones, cujus gaudium tantum non deprehenditur, ab hisce dissident. Istæ erunt, ex quibus colligi nequit tot status præteritos in præsentem statum gaudii influere, nec tantum colligi potest affectionis pretium.

Quoniunt gaudium totum quantum a gradu voluptatis pendet, quæ percipitur (§. 614), hinc vero porro prædominii quantitas æstimanda (§. 528); ignorata Psychimetria, in qua ea, quæ animæ insunt, ad mensuram revocantur, impossibile est ut demonstratio talium, quæ quantitatem involvunt, sit omnibus suis numeris absoluta.

§. 617.

Si gaudium in nobis oritur, propterea quod quid nobis datur, vel quod quid habemus, ipsum nobis repræsentamus tanquam valde bonum & quanto magis gaudemus, tanto majus bonum nobis existimatur. Etenim si gaudium in nobis oritur, voluptas insigniter prædominatur (§. 614), adeoque tanta est, ut tædium, si quod adfuerit, non appercipiatur (§. 529). Quoniam itaque insignis cujusdam perfectionis tunc nobis conscii sumus (§. 511), gaudium vero oritur ideo, quod quid nobis datur, vel quod quid habemus *per hypoth.* id ipsum quod nobis datur, vel quod habemus, tanquam valde bonum nobis repræsentare debemus (§. 554). *Converse propositionis præcedentis.*

Enimvero quanto magis gaudemus, tanto major esse debet voluptas prædominans (§. 614); adeoque tanto majoris perfectionis conscii nobis videmur (§. 516), consequenter bonum tanto videtur majus, quod gaudii causa nobis est (§. 554).

Quæ ad confirmandam propositionem præcedentem a posteriori in medium adducta fuere, ea etiam propositionem præsentem confirmant.

Digitized by Google

§. 618.

Definitio gaudii num uſui loquendi conformis.

Definitio gaudii, quod ſit prædominium inſigne voluptatum, eſt communi uſui loquendi conformis. In confeſſo eſt apud omnes nos gaudere de bono præſente: unde *Carteſius* in Tractatu de Paſſionibus animæ part. 2. art. 61. Conſideratio, inquit, præſentis boni excitat in nobis gaudium, cum bonum nobis proponitur ceu ad nos ſpectans. Conſtat ex demonſtratis idem ſequi ex notione, quod gaudium in prædominio voluptatum inſigni conſiſtat (§. 616. 617). Quamobrem definitio hæc communi uſui loquendi conformis. Etſi autem *Carteſius* affirmare videatur, omne bonum ad nos ſpectans excitare gaudium, nec vulgo aliud dicatur; experientiæ tamen repugnat. Quamvis igitur nos addiderimus determinationes duas neceſſarias, ſcilicet quod idea boni confuſa eſſe debeat & quod bonum eximium judicari debeat; non tamen ideo recedimus ab uſu loquendi. Sane qui has determinationes tacent; non ideo easdem negant, vel in dubium vocant. Et, ſi vel maxime easdem negarent, vel in dubium revocarent; id tantummodo defectum attentionis vel acuminis argueret: tantum abeſt ut quid a prædominio voluptatum inſigni diverſum gaudii nomine indigitent. Immo non deſunt, qui determinationis unius, ſcilicet quod boni idea confuſa ſit, diſertam mentionem injiciunt, quamvis alio nomine. Ita *Joh. Baptiſta du Hamel* in philoſophia morali Tract. 3. diſp. 2. quæſt. 3. artic. 1. Philoſ. vet. & novæ Tom. 2. p. m. 245. de affectibus in genere monet, quod circa bonum, aut malum ſenſibile verſentur. Unde patet, quod ipſius quoque judicio bonum ſenſibile gaudium excitare debeat. Jam vero bonum dicitur ſenſibile, quatenus confuſa ejus nobis eſt idea noſtra phraſi. Quamobrem laudatus autor agnoſcit, boni ideam confuſam eſſe debere, ſiquidem gaudium ex ea oriri debet.

Modum hunc probandi conformitatem definitionis nominalis cum uſu loquendi facile capiet, qui in demonſtrando fuerit verſatus.

Digitized by Google

tus. Facilius adhuc capiet, qui præterea noverit, quæ de determinato demonſtravimus in Ontologia. Præterea probe notandum eſt, quod hactenus autores perinde ac vulgus pauciora ſæpius dicant, quam in ideis ipſorum continetur. Et noſtra ſane philoſophia huic defectui medetur.

§. 619.

Prædominium tædii inſigne eſt id, quod *Triſtitia* appellatur. *Triſtitiæ definitio.*

Triſtitia gaudio opponitur: unde ex definitione gaudii intelligitur, quomodo ea definire debeat. Quoniam itaque gaudium definitur per prædominium inſigne voluptatum (§. 614), voluptati autem tædium opponitur in eo ſignificatu, quo nos vocabulo iſto utimur (*not.* §. 518); triſtitia utique definienda eſt per prædominium tædii inſigne.

§. 620.

Si triſtes ſumus, tanto tædio afficitur animus, ut voluptatem, ſi qua adſit, non appercipiamus, aut, ſi qua adeſſet, non apperciperemus. Etenim ſi triſtes ſumus, tædium prædominatur (§. 615). Tantum igitur eſt, ut tædium, ſi quod adfuerit, non appercipiatur, aut, ſi quod adeſſet, non apperciperetur (§. 529). *Qualis ſit triſtitia.*

Idem etiam confirmatur a poſteriori. Ponamus nobis nunciari mortem amici chariſſimi: nemo non novit, quod tunc triſtitia afficiatur animus. Ponamus nobis offerri cibum, quem nunquam ſine voluptate comedimus: nemo non novit, nos nullius voluptatis nobis eſſe conſcios, dum eundem capimus. Ecquis enim eſt qui neſciat nos in iſto animi ſtatu affirmare, quod cibus jam nobis non ſapiat? Immo recordati iſtiusmodi ſtatuum haud raro in hæc verba erumpimus; nos nec voluptatem percepturos ex illo cibo, quo alias valde delectamur, quando triſtitiæ gradum ſignificare voluerimus. Atque hinc vulgo obtinet, ut gradum triſtitiæ, quo quis affligitur, indicaturi enarremus quod ex hac, vel iſta re voluptatem nullam perceperit, etſi eadem alias valde delectetur.

Digitized by Google

In vernaculo ſermone, qui verbis ac phraſibus abundat ad res quasvis apte exprimendas, multo clarius ſingula patent non modo in omni affectuum doctrina; verum per univerſam philoſophiam, præſertim practicam. Vix enim occurrit aliquis mentis ſtatus, cui indigitando non deſtinetur peculiaris quædam loquendi formula; qua vulgus ſæpius rectius utitur eruditis, quorum de phraſiologia præjudicia verba a rebus ſeparant, veritate ſignificatus neglecta.

§. 621.

Unde triſtitia oriatur.

Si quod nobis præſens eſt, tanquam malum ingens idea confuſa nobis repræſentamus; triſtitia in nobis oritur & magnitudo ejus magnitudini mali, quæ nobis videtur, reſpondet. Si enim quid nobis repræſentamus tanquam nobis malum, imperfectionis cujusdam noſtræ nobis conſcii ſumus (§. 565), quamdiu ſcilicet idea mali confuſa eſt (§. 536). Quodſi ergo malum ingens videtur, ingentis cujusdam imperfectionis nobis conſcii eſſe videmur, conſequenter tædium quoque, quod oritur, ingens eſt (§. 521). Quamobrem, ſi qua adſit voluptas, quam plurimum ſuperat, eam non appercipimus, aut, ſi talis adeſſet, eam non apperciperemus (§. 528), adeoque tædium prædominatur (§. 529). Triſtitia igitur oritur (§. 619). Quoniam vero imperfectionis magnitudini reſpondet tædii magnitudo (§. 521), magnitudini autem ejusdem imperfectionis mali etiam magnitudo reſpondet (§. 565); triſtitia, quæ in magnitudine tædii conſiſtit (§. 619), magnitudini mali, quæ nobis videtur, reſpondet.

Idem etiam confirmatur a poſteriori. Pertinet huc exemplum, quo ad confirmandam propoſitionem anteriorem uſi ſumus (§. 620). Quod enim amicus mortuus fuerit, quem impenſe amabamus, malum nobis reputamus, tantoque majus malum iſtud exiſtimatur, quanto majus bonum amicitia ejus nobis videbatur. Amiſſio enim boni ingentis ingens malum ab omnibus reputatur. Patet igitur triſtitiam hic oriri ex opinione mali ingentis nobis præſentis. Et quoniam triſtitia tanto major eſt, quanto charior nobis fuerit amicus, conſequen-

Digitized by Google

ſequenter quanto majus malum nobis videtur jactura ejusdem; triſtitiæ magnitudinem reſpondere magnitudini mali palam eſt.

Notio triſtitiæ communis eſt non minus ac gaudii: unde ex eo, quod quis triſtis eſt, colligimus ei mali quidpiam accidiſſe; quemadmodum ex eo, quod gaudet, colligimus ipſum bono quodam potitum eſſe. Enimvero quod propoſitio poſſit converti, demonſtrandum nobis eſt: quem in finem addimus propoſitionem ſequentem.

§. 622.

Si triſtitia in nobis oritur ex eo, quod accidit, id nobis tanquam malum haud parvum confuſe repræſentare debemus & quanto triſtiores ſumus, tanto majus æſtimatur malum. Si enim in nobis triſtitia oritur ex eo, quod accidit; tædium ex eo percipitur, idemque prædominatur (§. 619), adeoque tantum eſt, ut voluptas, ſi qua adſit, non percipiatur, aut, ſi qua adeſſet, non apperciperetur (§. 529). Quoniam itaque tædium voluptatem plurimum ſuperare debet (§. 528); ingentis cujusdam imperfectionis ſibi conſcius eſſe debet (§. 521). Neceſſe igitur eſt, ut id, quod accidit, tanquam malum haud parvum ſibi repræſentet (§. 565) & quidem confuſe (§. 536). Et quia tædii magnitudo a magnitudine imperfectionis (§. 521), conſequenter mali pendet (§. 565); tanto majus malum ex opinione noſtra eſſe debet, quanto triſtiores ſumus. *Idem alterius experitur.*

Quæ ad propoſitionem præcedentem confirmandum in medium adduximus, ea etiam ad præſentem confirmandam conducunt. Eſt enim præſens converſa præcedentis: propoſitionibus autem, quarum una in alteram converti poteſt, eadem notio reſpondet, conſequenter idem quoque exemplum utrique confirmandæ inſervit.

Propoſitio adeo præſens & præcedens eadem notione communi exhibentur.

§. 623.

Quoniam triſtitia afficimur, ſi quid nobis tanquam malum *Definitio triſtitiæ realis.*

lum haud parvum repræsentamus, quod nobis præsens est (§. 621) & ex adverso si tristitia in nobis oritur ex eo, quod accidit, id nobis tanquam malum haud parvum idea confusa exhibere debemus (§. 622); *Tristitia* definiri potest per affectum, qui in nobis oritur ex opinione rei præsentis, quam nobis confuse tanquam malum haud parvum repræsentamus.

Hoc ideo monemus, quod *Cartesius* ipsumque secuti uruntur definitionibus realibus.

§. 624.

Gaudii definitio realis.

Similiter quia gaudio afficimur, si quod nobis præsens est tanquam insigne bonum idea confusa repræsentamus (§. 616) & ex adverso si gaudium in nobis oritur ob rei cujusdam præsentiam, eam nobis tanquam nobis valde bonam confuse repræsentare debemus (§. 617): *Gaudium* definiri potest per affectum, qui in nobis oritur ex opinione boni præsentis confuse percepti & quidem haud parvi.

Idem tenendum est de sequentibus affectuum speciebus.

§. 625.

Conformitas definitionis tristitiæ cum usu loquendi.

Tristitiæ significatus, quem in definitione nominali eidem attribuimus, est usui loquendi conformis. Nemo non ex tristitia alterius colligit, accidisse ipsi quidpiam mali, manifesto indicio, quod malum nobis præsens pro tristitiæ causa unica habeatur. Similiter si quid alicui accidit mali, nemo non inde colligit, quod tristis esse debeat, manifesto indicio quod malum nobis præsens habeatur pro necessaria tristitiæ causa. Ex communi igitur notione tristitia est affectus, qui oritur ex mali præsentis opinione. Quod vero tacite supponatur malum ingens, saltem opinione nostra, hinc conficitur, quod ubi alteri mali quidpiam accidit, & hoc tamen non obstante minime contristatur, rationem reddituri malum vel extenuemus, vel ostendamus cur alteri tale non videatur, veluti si tristitia non afficitur animus ex morte agnati proximi, quod eum non amaverit, neque adeo sibi malum existimet, se agnato suo fuisse

fuisse orbatum. Definitio igitur tristitiæ realis, quam dedimus (§. 623), cum notione communi convenit, quam & *Cartesius* retinet in Tract. de passione animæ part. 2. art. 61. tristitiam in nobis excitari affirmans mali præsentis consideratione, cum nobis proponitur ceu ad nos spectans. Enimvero tristitiæ definitionem realem deduximus ex propositionibus (§. 621. 622), quas vi nominalis demonstravimus. Quoniam itaque definitio realis definitioni nominali æquipollet, quod scilicet una ex altera demonstrari potest; definitio quoque nominalis, quod sit tædii prædominium insigne, notioni communi, consequenter usui loquendi conformis (§. 139. *Log.*).

Idem etiam sic ostenditur. Notio communis tristitiæ colligitur ex duabus propositionibus, quas ex observationibus deduximus. Easdem propositiones deduximus ex definitione tristitiæ nominali (§. 621. 622). Ergo definitio nominalis notioni communi convenit.

§. 626.

Si quod uni bonum ingens videtur, alteri tale non videatur, aut minus saltem bonum habeatur: ille gaudio multo effertur, hic autem vel nullo afficitur, vel saltem multo minore. Quodsi cui videatur malum, quod ab altero pro bono habetur: ille tristitia, hic gaudio afficitur. Ponamus enim Titio bonum ingens videri, quod ipsi datur, insigni gaudio efferri debet (§. 616). Ponamus idem Mevio pro bono non haberi, nullo quoque gaudio inde afficietur (§. 624). Ponamus idem Sempronio pro bono quidem haberi, sed multo minori, quam Titio videtur; gaudio quidem afficietur, sed multo minore, quam quo Titius effertur (§. 616). Ponamus denique idem Cajo pro malo haberi, quod a Titio & Sempronio pro bono reputatur; erit ipsis tristitiæ causa (§. 623), quod ceteris gaudium creat (§. 624). *Cur eadem res non idem gaudium excitet in omnibus.*

Atque ita apparet, quomodo eodem posito objecto unus gaudere possit, alter vero contristari. Quomodo unus multo, alter exiguo

gue gaudio afficiatur; immo quando uni gaudium creat objectum, quod alteri nullum creat. Propositionis præsentis veritas a posteriori adeo manifesta est, ut eam inde confirmari non sit opus. Ceterum propositio ipsa, quemadmodum omnis affectuum doctrina plurimum utilitatis habet in philosophia morali, cum affectus per eam potestati nostræ subjiciantur.

Gaudii & Tristitiæ mutabilitas in eodem subjecto.

§. 627.

Quoniam perinde est, sive duo eodem, vel diverso tempore contrariam de objecto foveant sententiam, ut unus idem judicet bonum, alter malum, vel saltem minus bonum, aut rem omnem in dubio relinquat; sive unus diverso tempore diversum foveat de objecto aliquo ad se relato judicium; quæ de diversis subjectis in propositione præcedente demonstrata sunt, ea etiam ad unum idemque subjectum diverso tempore applicari possunt. Quamobrem *si quis alio tempore malum judicet, quod antea bonum judicaverat, cum antea gauderet, alio tempore contristabitur & contra.* Porro *si quis alio tempore nimus bonum, vel malum judicet, quod antea majus visum fuerat, cum antea plurimum gauderet, vel contristaretur, nunc gaudio vel tristia minore afficietur.* Denique *si quis alio tempore in dubio relinquit, utrum quid bonum sit, nec ne, quod antea bonum, vel malum judicaverat; cum antea gauderet, vel contristaretur, alio tempore nec gaudebit, nec contristabitur.*

Supponimus hic unam eandemque personam diverso tempore considerari posse tanquam duas personas diversas; si contrariam foveat de objecto aliquo opinionem. Neque enim duæ personæ in præsente negotio considerantur tanquam diversæ, nisi quatenus contraria sunt de objecto eodem ad se relato judicia. Diverso igitur tempore una eademque persona eodem modo differt a seipsa, quo duæ personæ eodem tempore a se invicem differunt. Quamobrem & personam unam eandemque diverso tempore positam, spectare licet tanquam duas & vicissim duas personas eodem tempore, vel etiam tempore diverso tanquam unam eandemque personam bis positam; temporis nimi-

rum

rum in præsente negotio nulla habetur ratio, quemadmodum ex definitione gaudii & tristitiæ reali liquet (§. 623. 624), ex qua intelligitur, nec in genesin gaudii, nec in tristitiæ genesin influere tempus, quo judicium fertur. Latet in his principium heuristicum maximæ utilitatis, quod ab eo facile eruetur, qui universalia abstrahere noverit. Ceterum me non monente patet, posse propositionem præsentem independenter ab antecedente eodem prorsus modo demonstrari, quo antecedentem demonstravimus. Dantur autem propositiones quædam universales, quibus utraque & præcedens, & præsens, una cum plurimis aliis per modum corollarii continetur, quas hic apponi non inconsultum duximus.

§. 628.

Affectus quando evanescant.

Si quis affectus ex boni, vel mali repræsentatione oritur; & quod eodem commotus bonum, vel malum judicaverat, postea in medio relinquit, quale sit; is cum antea affectu commoveretur, nunc nullo commovebitur. Quoniam enim affectus ex confusa boni & mali repræsentatione oriuntur (§. 605); per eam intelligitur, cur potius oriantur, quam non oriantur, consequenter hæc ipsa confusa boni malique repræsentatio affectuum ratio sufficiens est (§. 56. *Ontol.*); si quis nec malum, nec bonum judicat, quod antea ipsi malum, vel bonum, visum fuerat, sed quale sit in medio relinquit, is nullo affectu alio tempore commoveri debet, cum antea affectu quocunque commoveretur.

Hoc pacto patet, quomodo fieri possit ut, quem objectum aliquod ad affectum quendam concitavit, eundem in posterum idem objectum non amplius ad eundem affectum perducat. Enimvero cum fieri etiam possit, ut quem objectum quoddam non movet, in eodem postea idem objectum aliquem sive jucundum, sive molestum causetur; sequens addenda venit propositio.

§. 629.

Affectus cur nunc absint, nunc adsint.

Si quis objectum aliquod ad se relatum nec bonum, nec malum judicat, postea autem pro bono, vel malo ingente reputat; cum antea illud affectum excitaret nullum, postea quendam causabitur. Quoniam enim affectus ex boni & mali confusa re-

Digitized by Google

repræsentatione oriuntur (§. 605), Sempronius autem objectum aliquod ad se relatum nec bonum, nec malum judicat; nullus quoque in eodem affectus orietur. Enimvero quoniam postea ideni objectum ad se relatum tanquam bonum, vel malum sibi repræsentat; affectus jam in eodem orietur. Quamobrem cum objectum nullum antea excitaret affectum, postea quendam causabitur.

Tacite supponimus ceteras determinationes, quæ requiruntur, ut affectus ex repræsentatione boni & mali oriantur, veluti quod esse debeat confusa, quod boni, vel mali determinatus quidam requiratur gradus & quæ sunt his gemina, ne præter necessitatem simus prolixiores, quam par erat. Nimirum talem hic & in similibus casibus supponimus boni malique repræsentationem, qualis ad gignendum affectum sufficit. Talia monemus in gratiam tyronum sciolorum, qui cum cœcutiant sibi acumine præstare videntur.

§. 630.

Cur in uno affectum quandam producat objectum, in alio nullum.

Si quis objectum aliquod, tanquam bonum, vel malum sibi repræsentat, quod alter nec bonum, nec malum judicat; cum ille affectu commovetur, hic ab omni prorsus immunis est. Eodem prorsus modo ostenditur, quo propositionem anteriorem (§. 628) ostendimus.

Poteramus quoque idem ex propositionibus anterioribus per modum corollarii colligere vi principii, de quo abunde dictum est in antecedentibus, scilicet quod personæ duæ spectari possint instar unius bis positæ, ubi temporis nulla habetur ratio (*not.* §. 627).

§. 631.

Affectus molesti in jucundum mutatio & contra.

Si quis objectum aliquod alio tempore sibi repræsentat tanquam bonum, quod antea malum judicaverat; cum idem affectum molestum provocasset, nunc jucundum causabitur & contra. Quoniam enim in Sempronio affectus quidam oritur ex consideratione mali *per hypoth.* ex malo autem, quod cognoscimus, tædium percipimus (§. 569); affectus iste cum magno tædii gradu conjungitur (§. 609). Enimvero quia mutata sententia Sempronius postea bonum judicat, quod antea malum

malum ipsi visum fuerat *per hypoth.* affectus, qui tum oritur eodem objecto ad ipsum relato, ex consideratione boni ortum trahit. Quare cum ex bono, quod cognoscimus, voluptatem percipiamus (§. 558); affectus iste cum insigni voluptatis gradu conjungitur (§. 506). Est igitur affectus jucundus (§. 608). Patet adeo Sempronium, qui objectum aliquod sibi repræsentat tanquam bonum, quod antea malum ipsi visum fuerat, nunc affectum jucundum experiri, quem antea sentiebat molestum.

Ponamus jam ex adverso Sempronium sibi repræsentare objectum tanquam bonum, dum affectus oritur. Quoniam ex bono, quod cognoscimus, voluptatem percipimus (§. 558); affectus iste cum insigni gradu voluptatis conjungitur (§. 606). Est igitur affectus jucundus (§. 608). Enimvero quia mutata sententia Sempronius postea malum judicat, quod antea bonum ipsi visum fuerat *per hypoth.* affectus, qui tum oritur, eodem objecto ad ipsum relato, ex consideratione mali oritur. Quare cum ex malo, quod agnoscimus, tædium percipiamus (§. 569); affectus iste cum insigni tædii gradu conjungitur (§. 606). Est igitur affectus molestus (§. 609). Patet adeo Sempronium, qui objectum aliquod sibi repræsentabat tanquam malum, quod antea bonum ipsi visum fuerat, nunc affectum experiri molestum, quem antea sentiebat jucundum.

§. 632.

Affectus oppositi ab eodem objecto in duobus subjectis excitati.

Quoniam personæ duæ in præsente negotio considerari possunt instar personæ unius ejusdemque diversis temporibus diversimode de eodem subjecto ad se relato judicantis (*not.* §. 627); *si unus objectum aliquod sibi repræsentat tanquam bonum, quod alter sibi repræsentat tanquam malum, cum ille affectum jucundum experitur, hic molestum sentiet.*

Me non monente palam est posse hanc propositionem independenter ab antecedente eodem modo demonstrari, quo antecedentem de-

demonſtravimus. Ex propoſitione autem præſente intelligitur, cur idem objectum oppoſitos prorſus in diverſis ſubjectis exciret affectus; non vero opus eſt ut objectum ſit numero idem; ſed ſufficit eſſe genere, vel ſpecie idem.

§. 633.

Amoris definitio. *Amor* eſt diſpoſitio animæ ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate.

Diſpoſitio hæc data occaſione deducitur in actum, atque tum affectus oritur, quem amoris nomine inſignimus. Fert tamen uſus loquendi, ut ipſam diſpoſitionem amoris nomine indigitemus, cum amorem tribuamus illi, qui non actu commovetur, niſi ubi ſentit alterius felicitatem.

§. 634.

Effectus amoris. *Quodſi* ergo *is, qui alterum amat, eius felicitatem cognoſcit, ex ea actu voluptatem percipit* (§. 633). Pone enim eum intueri felicitatem alterius, nullam tamen inde percipere voluptatem. Animus igitur ejus non eſt ita diſpoſitus, ut ex felicitate alterius voluptatem percipiat, conſequenter eum non amat (§. *cit.*): id quod hypotheſin evertit.

Ex actu amoris diſpoſitionem illam colligimus, atque probatur, quod alterum quis amet, ad eundem provocamus.

§. 635.

Gaudium amantis. *Qui alterum impenſe amat, de felicitate eius gaudet, tantoque magis gaudet, quanto magis eum amat.* Qui enim alterum impenſe amat, is plurimum voluptatis ex alterius felicitate percipit (§. 633). Quodſi ergo tanta evaſerit voluptas, ut tædium, ſi quod adeſſet, non apperciperet; voluptas prædominatur (§. 529). Quamobrem cum in prædominio voluptatum gaudium conſiſtat (§. 614); ſi alterum impenſe quis amat, de felicitate ejus gaudet.

Quoniam amor non aliter ſeſe exerit, quam voluptatis perceptione (§. 633): quo magis quis alterum amat, eo major eſt voluptas, quam ex felicitate alterius percipit. Quare cum gaudium tanto majus ſit; quanto major eſt illa voluptas, quæ

Digitized by Google

quæ prædominatur (§. 614); gaudium tanto majus erit, quanto major fuerit amor.

Felicem vulgo judicamus eum, cui multa donantur & tanto feliciorem judicamus, quanto majus est donum, quod accipit. Quodsi ei, quem amamus, donum offertur, nos perinde gaudemus, ac si ipsimet idem accepissemus. Hinc audies affirmantes quod tantopere gaudeamus, ut majus non foret gaudium, si ipsimet donum istud accepissemus, & felicem prædicantes accipientem. Quo major fuerit amor, eo magis nos gaudere, unusquisque in seipso experiri potest. Tenendum vero fieri posse, ut contrariis affectibus impediatur amoris actus, veluti si invidemus alteri felicitatem, quod ea nos carere deprehendamus. Etsi enim felicitatem alterius, quem amamus, appetamus, fieri tamen potest, ut adsint rationes, cur alterum aliqua in re nobis feliciorem esse nolimus. Ponamus v. gr. Mevium ambire spartam, quam ornare possit: ponamus porro eum impense amare Titium. Quodsi tamen in Titium confertur munus, quod ipsemet ambit, præsertim ubi repulsam ægerrime fert, ex eo voluptatem non percipit, quod Titius ad munus istud promotus fuerit. Hinc audies asserentem, se non invidere Titio felicitatem suam. Se summo gaudio elatum iri, si ad munus multo præstantius admotus fuisset, modo huic non fuisset præfectus. Abstrahimus in scientiis ab omnibus impedimentis, quæ offerri possunt, atque adeo cautos esse oportet, qui eorum experimenta vel in se, vel in aliis capere voluerint, quæ de anima hic traduntur.

§. 636.

Per *felicitatem* hic intelligimus statum, quo voluptas vera perdurat. Dicitur *felicitas vera* ad differentiam *apparentis*, quæ est status, quo quis voluptate apparente fruitur. *Felicitatis definitio.*

§. 637.

Infelicitas est status, quo tædia perdurant. *Infelicitatis definitio.*

Infelicitatem non opus est distingui in veram & apparentem. Etsi enim ex eo tædium sit, quod per errorem de re aliqua statuatur; non tamen negari potest, tædium istud quandam infelicitatis partem constituere. Sane homines haud raro præter rationem sese reddunt infelices, quod vitam cum tædio transigant, quam sine eo transigere poterant.

§. 638.

Quænam ad felicitatem hominis quid conferant.

Quoniam itaque voluptas quælibet vera felicitatem ingreditur, quemadmodum pars totum (§. 636. *Psych.* & §. 341. *Ontol.*): *quicquid voluptatem veram homini creat, id ad felicitatem ejus quidpiam confert.* Unde porro est, quod *ad felicitatem hominis conferre quid videatur illud, quod voluptatem apparentem eidem creat.*

Si quis ex divitiis voluptatem percipit; is divites prædicat felices. Si quis scientiæ fuerit cupidus, ut ex ea plurimum capiat voluptatis; is eum felicem esse judicat, qui animum multa scientia imbuendi amplissimam nactus est occasionem. Quemadmodum quemlibet sua trahit voluptas, ita etiam variant hominum de felicitate judicia. Hic parum refert, utrum judicium sit veritati consentaneum, nec ne. In moralibus autem veritas distinguetur ab eo, quod apparet.

§. 639.

Quænam ad infelicitatem quid conferant.

Similiter quoniam tædium quodlibet ad infelicitatem ejus pertinet (§. 637): *Quicquid homini tædium creat, id ad infelicitatem ejus quidpiam confert.* Unde porro est *quod ad infelicitatem hominis conferre quid videatur istud, quod eidem tædium creat.*

Atque hinc apparet, quomodo quis seipsum reddere possit infelicem, scilicet si sibimetipsi tædia præter necessitatem creet.

§. 640.

Effectus amoris.

Qui alterum amat, ex ejus voluptate voluptatem percipit, & ideo gaudet, quod gaudet alter, si idem fuerit de subjecto gaudii judicium. Qui enim alterum amat, is ex felicitate ejus voluptatem percipit (§. 634). Quoniam itaque quælibet voluptas vera ad felicitatem alterius pertinet, quælibet autem voluptas

luptas apparens ad eandem pertinere videtur (§. 636); igitur qui alterum amat & secundum veritatem judicat ex voluptate vera, qua fruitur alter; qui vero secundum apparentiam judicat; ex qualibet apparente voluptate alterius voluptatem percipit.

Quoniam igitur porro gaudium in voluptatum prædominio consistit (§. 614); qui voluptatem ex alterius voluptate percipit, gaudere ideo debet, quod gaudet alter, si quidem idem fuerit de objecto gaudii utriusque judicium. Quoniam itaque amans ex voluptate amati voluptatem capit *per demonstrata;* amans quoque gaudet, quando gaudet amatus, si idem fuerit de objecto gaudii judicium.

Idem confirmatur a posteriori. Si quis amans alterum intelligit se quid obtigisse, unde voluptatem percipit; se in partem voluptatis istius venire ait amorem suum in alterum significaturus. Quoniam phrases vulgo receptæ notionibus communibus respondent; iisdem conforme est; quod amans ex amati voluptate voluptatem ipsemet percipiat. Ponamus Titium amare Sempronium & Sempronio offerri donum pretiosum, ob quod insigniter gaudeat tanto munere auctus. Titius de eo certior factus ipsemet gaudebit, immo gaudebit magis subinde, quam Sempronius. Gaudii hujus non aliam reddit rationem, quam quod ipsi perinde sit ac si donum ipsemet accepisset, quodque Sempronio non magis idem invideat, quam sibimetipsi; quo ipso satis superque significat, se voluptatem Sempronii suam facere & commune esse gaudium, si causa gaudendi illi suppeditetur. Inde etiam est, quod, qui alterum amat, eidem voluptatem creare studeat, quod eadem in ipsummet redundet. Immo inde est, quod propositio præsens breviter ita efferri soleat: Voluptas amicorum communis est, itemque gaudium amicorum commune est. Neminem offendat, quod addiderimus restrictionem, si idem fuerit de objecto gaudii judicium. Etsi enim experientia aliquando

quando refragari videatur, quando ſcilicet gaudemus, quod nobis narratur alterum, quem amamus, ſumma cum voluptate vitam tranſigere; non tamen ideo revera contrariatur, ſi rem curatius ſpectes. Etenim cum de objecto voluptatis, ſeu gaudii, tanquam nobis ignoto prorſus non judicemus; tacite judicium alterius approbamus ipſumque juſtam gaudendi cauſam habere ſupponimus. In aliis autem caſibus manifeſta eſt reſtrictio. Ponamus enim Titium impenſe amare Sempronium; hunc autem nubere virgini, quæ cum dives eſſe putetur non eſt ac præterea iis dotibus caret, quæ felix matrimonium efficiunt. Gaudebit equidem Sempronius, ſed non gaudebit Titius, quod aliud ſit Titii, quam Sempronii de hoc matrimonio judicium. Quodſi autem ponamus Sempronii judicium eſſe verum, Titii autem judicium a veritate aberrare: utique & Titius gaudebit, errore ſuo agnito, cum jam non ſit affectus contrarius, qui idem impediat. Si quis ad ea, quæ quotidie obvia ſunt, attentum afferat animum; is plurima obſervabit, quæ propoſitionis præſentis veritatem confirmant, ut plura eam in rem addi non ſit opus.

Poteſt etiam propoſitio præſens converti. Quoniam vero ex converſa patet ſignum haud fallax amoris inde peti poſſe, quod quis ex voluptate alterius voluptatem percipiat, vel ideo gaudeat, quod gaudeat alter; eandem ſubjici operæ pretium ducimus. Habent ſigna affectuum plurimum uſum in philoſophia morali, ejus inprimis parte ſemiotica & in arte conjectandi hominum mores.

§. 641.

Signum amoris. *Si quis ex voluptate alterius voluptatem percipit, vel ideo gaudet, quod alter gaudet, is alterum amat.* Quoniam enim voluptas omnis ad felicitatem pertinet, vera quidem ad veram, apparens ad apparentem (§. 636); qui voluptatem percipit ex voluptate alterius, ejus animus diſpoſitus eſſe debet ad voluptatem ex alterius felicitate percipiendam, adeoque alterum amat. (§. 633).

Quodſi quis ideo gaudet, quod gaudet alter, cum gaudi,

dium in prædominio voluptatum insigni consistat (§. 614); animus ejus erit dispositus ad voluptatem ex voluptate alterius percipiendam. Sed cui ita dispositus est animus, is alterum amat, *per demonstrata*. Ergo alterum amat, qui ideo gaudet, quod gaudet alter.

A posteriori confirmatur propositio per ea ipsa, quæ ad confirmandam præcedentem in medium adduximus. Constat etiam vulgo homines ex eo colligere, quod quis alterum amet, si ex voluptate alterius voluptatem ipsemet percipit, ac ideo gaudet, quod gaudet alter, & quasi attonitos hærere, ubi supponentes amorem animadvertunt contrarium, ignorata ratione, ob quam effectus amoris impeditur.

§. 642.

Si quis alterum amat, ex ejus tædio ipsemet tædium percipit, ac ideo contristatur, quod alter tristis sit. Si quis enim alterum amat, is voluptatem percipit ex voluptate alterius, immo gaudet ideo, quod gaudet alter (§. 640), consequenter ex insigni voluptate alterius insignem & ipse percipit (§. 614). Quoniam itaque voluptas alterius tanto majus bonum nobis videtur, quo major est voluptas, quæ a nobis ex ista percipitur (§. 612); oppositum eidem tædium malum nobis videri debet, idque tanto majus, quo majus ipsum fuerit, consequenter nos ex eodem tædium percipere debemus, atque tanto majus, quo majus ipsum est (§. 613), atque adeo contristari debemus, si tristitia afficitur alter, quem amamus (§. 619). *Alius amoris effectus.*

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus enim Mevium vehementer amare Titium, atque ob mortem patris sui præmaturam Titium plurimum contristari. Mevius videns Titium mortem patris tanopere lugere, ipse quoque contristatur, effusis lachrymis. Hæc adeo explorata sunt, ut, quando Titium lachrymas fundentem videmus, quod Mevium flentem contuetur, inde colligamus Titium a Mevio amari.

Digitized by Google

Immo dum audientes nuncium de morte parentis amici cujusdam noſtri a lachrymis nobis temperare non poſſumus, in hæc verba erumpimus: eheu! quantum lugebit Titius mortem parentis ſui? quanta triſtitia perfundetur animus ejus? Unde ſatis ſuperque intelligitur, triſtes eſſe nos non alia de cauſa, quam quod Titium triſtitia affici colligimus ex morte patris. Quia igitur amamus Titium, ideo contriſtamur, quod ipſe triſtis eſt. Quodſi quidam occurrunt caſus, in quibus triſtes non ſumus, quando eum triſtem videmus quem amamus, impedimentum ex circumſtantiis facile detegitur, quale eſt opinio, quod alter præter rationem triſtitiæ indulgeat, ut vel temeritati ejusdem ſuccenſeamus.

Probe notandum eſt non minus de objecto gaudii, quam triſtitiæ, idem referri non ad amantem, ſed ad amatum, dum amans judicat utrum bonum ſit, nec ne: immo ſæpius amantem in judicando ſequi opinionem amati, non ſuam animi ſententiam. Atque ideo diximus, idem eſſe debere amantis & amati judicium. Quodſi amans idem objectum ad ſe referret, atque gauderet, quod ſibi bonum exiſtimaret, triſtis eſſet, quod idem ſibi malum eſſe putaret; non ex amore proveniret gaudium, nec ab eo ortum duceret triſtitia. Fieri tamen poteſt, immo plerumque ſolet, ut gradu differant judicia amantis atque amati (§. 597. 598). Nimirum quando imaginatio in idea voluptatis ac tædii confuſa aliena miſcet (§. 524); fieri non poteſt, ut imaginatio diverſis ſubjectis eadem ſuggerat (§. 104).

§. 643.

Signum amoris.

Si quis ex tædio alterius tædium percipit, vel ideo contriſtatur, quod alter triſtis ſit; is eundem amat. Qui tædium ex alterius tædio percipit, cum tædium omne ad infelicitatem ſpectet (§. 639), ita diſpoſitum habet animum, ut ex infelicitate alterius tædium percipiat. Infelicitatem igitur alterius tanquam ſibi malam repræſentare debet, atque tanquam malum tanto majus, quanto majus tædium eſt, quod inde percipitur (§. 613). Alterius igitur felicitatem ſibi repræſentare debet tan-

Digitized by Google

tanquam bonam, cum bonum perinde opponatur malo ac voluptas tædio opponitur, consequenter ex felicitate alterius tanto majorem voluptatem percipere debet, quanto majus bonum eadem ipsi videtur (§. 612). Quoniam itaque animus ipsi dispositus est ad voluptatem ex alterius felicitate percipiendam; alterum amat (§. 633).

Quæ ad confirmandam propositionem præcedentem in medium adducta fuere, etiam ad confirmandam præsentem faciunt, quæ nonnisi conversa anterioris est. Inprimis hic probe notandum, quod nemo non amorem alterius indoleligat, quod alterius tædia ac tristitiam nostra faciamus.

§. 644.

Si quis ex voluptate alterius voluptatem percipit; is ex tædio alterius tædium percipere debet & contra. Etenim si ex voluptate alterius voluptatem percipimus, eam nobis repræsentare debemus tanquam bonum tanto majus, quanto major est voluptas, quæ inde percipitur (§. 612), consequenter quod voluptati opponitur, seu ejus contrarium, cum malum bono opponatur, seu ejus contrarium sit, repræsentare nobis debemus tanquam malum. Enimvero quod voluptati opponitur tædium est (*not.* §. 518.). Ergo tædium nobis alterius repræsentare debemus tanquam malum, consequenter tædium percipere debemus ex tædio alterius (§. 613). *A voluptate ad tadium argumentatio.*

Non absimili modo ostenditur, quod qui tædium percipit ex tædio alterius, voluptatem quoque ex alterius voluptate percipere debeat.

Oppositionem boni & mali ex notione oppositionis demonstrari superfluum existimamus. Ceterum propositionem hanc, qua ad præcedentes demonstrandas uti poteramus, hic subnectere libuit, cum ad subsequentes nonnullas brevius absolvendas conducat.

§. 645.

Si quod nobis placet in altero observamus; amor oritur. Si enim quod nobis placet in altero observamus, voluptatem *Amor quomodo oriatur.*

ex eo, quod obſervamus, percipimus (§. 542). Quamobrem cum id tanquam alteri inhærens, vel ad eum ſpectans conſideremus; voluptatem ex eo percipimus, quod alteri voluptati eſſe ex eo, quod nobis voluptati ſit, colligimus. Atque ita diſponitur animus ad voluptatem ex alterius voluptate percipiendam, conſequenter amor oritur.

Patet idem omnium clariſſime in iis caſibus, ubi animum adverſus alterum indifferentem, vel prorſus ab eo averſum habemus. Quando enim aliquamdiu cum eo commercium habemus, atque deinde in ipſo obſervamus, quæ nobis placent, veluti animi dotes quasdam, quæ nobis in pretio ſunt; amorem erga eum in nobis oriri deprehendimus: quo præſente jam optamus felicitatem ejus & quando ipſi quid obtigit, quod volupe eſt, adeoque ad felicitatem ejus ſpectat, vel ſpectare videtur (§. 638), ex eodem & ipſi voluptatem percipimus, manifeſto indicio animum noſtrum jam eſſe diſpoſitum ex felicitate ejusdem voluptatem percipiendi.

Non jam inquirimus, cur amorem noſtrum quaſi in ſe trahant objecta, ex quibus voluptatem percipimus; talia enim reſervanda ſunt Pſychologiæ rationali. In empirica ſufficit, vel a poſteriori unice ſtabiliri modum, quo diſpoſitio ad percipiendam voluptatem ex felicitate hujus perſonæ in ſingulari in nobis excitetur, ut amoris excitatio poteſtati noſtræ ſubjiciatur: id quod multiplici modo proderit in moralibus.

§. 646.

Amoris ortus ulterius expenditur.

Si nobis repræſentamus bonum, quod alteri ineſt, vel ad eum quomodocunque pertinet; amor oritur. Etenim ſi nobis repræſentamus bonum quoddam alterius, ſive alteri inſit, ſive quomodocunque ad eum pertineat, id nobis tanto majus videtur, quo major eſt voluptas, quæ ex eodem percipitur (§. 612). Quamobrem cum bonum alterius placere nobis debeat (§. 542); ſi nobis bonum quoddam alterius repræſentamus, aliquid in eo obſervamus, quod nobis placet. Enimvero ſi quid in altero obſervamus, quod nobis placet, amor oritur

oritur (§. 645). Amor igitur oriri debet, si nobis repræsentamus bonum, quod alteri ineſt, vel quomodocunque ad eum pertinet.

Confirmatur idem a posteriori. Si quis pulchritudinem in bonorum numerum refert (quod salva rei veritate fieri posse alibi ostendemus); is eum amat, cujus forma pulchritudine sese commendat, quamprimum eundem videt, etsi ipsi antea prorsus esset ignotus. Similiter si quis divitiis ingens pretium statuit; is alterum amat, quod divitem esse cognoscit. Si cui eruditio in delitiis est; is alterum amat, quod eruditione præstantem agnoscit. Exempla ubivis obvia sunt, quibus propositionis præsentis veritas confirmatur, ut levi attentione opus sit ad ea observanda.

Cæterum eadem exempla ad confirmandam propositionem præcedentem quoque adhiberi possunt. Neque est quod miremur, cum ex pulchritudine, divitiis, eruditione voluptatem capiat, qui eadem in bonorum numerum refert. Ita vero nobis placet pulchritudo, placent divitiæ, placet eruditio. Ex eo igitur, quod nobis placet in altero, amor oritur, dum ex pulchritudine, divitiis ac eruditione alterius ortum trahit.

§. 647.

Si quod in altero observamus nobis tanquam nobis bonum repræsentamus, amor in alterum oritur. Si enim quod in altero observamus, idem nobis tanquam nobis bonum repræsentamus; ex eo etiam tanto majorem voluptatem percipimus, quo majus nobis bonum istud videtur (§. 611). Enimvero si quid in altero observamus, quod nobis placet, amor oritur (§. 646). Ergo amor etiam oriri debet, si quod in altero observamus nobis tanquam nobis bonum repræsentamus. *Idem adhuc alterius expenditur.*

Idem confirmatur a posteriori. Si quis gloria delectatur sibique gloriæ ducit cum divitibus ac hominibus in dignitate constitutis conversari; is divitias ac dignitatem aliorum sibi repræsentat tanquam bonas sibi (§. 554). Enimvero constat eos, qui ita sentiunt, amare divites ac homines in dignitate

conſtitutos. Patet igitur hoc in caſu amorem oriri ex eo, quod nobis bonum judicamus iſtud, quod in altero obſervamus. Immo vix dabitur caſus aliquis, quo quod nobis tanquam bonum repræſentamus in altero, idem non ſimul etiam tanquam nobis bonum repræſentemus, ubi idem ad ſtatum noſtrum referimus: id quod palam fit, ubi notiones confuſas, quibus ea, quæ ad alterum ſpectant, exhibentur tanquam bona, evolvimus, ut appareat quænam in iis contineantur. Rationes nimirum cur illud bonum judicemus, vel etiam cur illud placeat, quod in altero obſervamus, excutiendæ ſunt; ita facile conſtabit, quatenus eædem a nobis petantur, quibus placent quæ ſunt alterius.

Propoſitio præſens a poſteriori adeo evidens eſt, ut *Carteſius* in Tractatu de paſſionibus animæ part. 2. art. 56. ideo exiſtimaverit, amorem omnem oriri ex eo, quod quid tanquam bonum reſpectu noſtri repræſentetur.

§. 648.

Quando oriatur amor.

Si amor in nobis oritur, in altero quid deprehendimus, quod nobis placet, vel quod nobis tanquam bonum vel ſimpliciter, vel reſpectu noſtri repræſentamus. Si enim amor in nobis oritur, animus noſter diſponi debet ad voluptatem percipiendam ex felicitate alterius (§. 633). Quare cum ad felicitatem alterius pertineat, vel ſaltem pertinere videatur, quod voluptatem ipſi creat (§. 638); animus diſponi debet ad percipiendam voluptatem ex eo, quod nobis placet in altero (§. 542.), conſequenter ſi amor oritur, aliquid in altero deprehendimus, quod nobis placet.

Quoniam vero bonum judicatur tanto majus, quo major eſt voluptas, quæ ex re percipitur (§. 612) & amor oritur, ſi quid in altero deprehendimus, ex quo voluptatem capimus *per demonſtrata*; ſi amor oritur, in altero quid deprehendere debemus, quod nobis, tanquam bonum repræſentamus, conſequenter perinde eſt, ſive

id

id nobis repræsentemus tanquam bonum respectu nostri, sive non habito respectu ad nos.

Quæ ad confirmandas propositiones præcedentes in medium adducta fuere; ad hanc quoque applicari possunt.

§. 649.

Amoris definitio realis.

Amor est affectus, qui oritur ex eo, quod quid in altero observamus, quod nobis placet, seu si quid in altero nobis repræsentamus tanquam bonum, præsertim respectu nostri.

Definitionis hujus realis, quæ excitationem amoris declarat, veritas patet ex propositionibus proxime præcedentibus. Equidem dubium oriri poterat ex definitione *Cartesiana*, annon repræsentatio ejus, quod in altero observamus, tanquam boni fieri debeat semper respectu nostri; sed præterquam quod attentione utenti contrarium jam patet ex antecedentibus, dubium hoc removebimus totum, quantum est, quando paulo post evincemus definitionem amoris, quam dedimus, esse usui loquendi conformem: quod antequam fieri possit, alia nonnulla adhuc præmittenda sunt.

§. 650.

Effectus amoris in appetenda voluptate alterius consistens.

Qui alterum amat, is voluptatem alterius appetit & contra. Qui enim alterum amat, ex ejus voluptate voluptatem percipit, ac ideo gaudet, quod gaudet alter (§. 640), consequenter voluptatem ex alterius voluptate tanto majorem percipit, quanto majorem hanc deprehendit (§. 614). Voluptas igitur alterius tanto majus ipsi bonum videtur, quanto major voluptas est, quam ex eadem percipit (§. 612). Enimvero quamprimum nobis rem quandam repræsentamus tanquam bonam, eam appetimus (§. 589). Quamobrem qui alterum amat, alterius quoque voluptatem appetere debet.

Poterat idem brevius inferri ex propositione superiori (§. 591), quod in notione boni confusa acquiescentes (qui casus in negotio affectuum semper obtinet) rem appetamus, ex qua voluptatem percipimus. Inde enim consequitur, quod voluptatem quoque alterius appetere debeamus, si ex ea voluptatem percipimus. Subinde autem in philosophia consultum est, ut demonstrationes fiant ampliores

Digitized by Google

res eædemque præferantur contractioribus, quo earum vis tyronibus facilius percipiatur.

§. 651.

Effectus contrarius in aversando tædio alterius consistens.

Qui alterum amat, is tædium ejus aversatur. Etenim qui alterum amat, ex ejus tædio tædium & ipse percipit (§. 642). Quare cum affectus ex confusa boni & mali repræsentatione oriantur (§. 605), quamdiu autem in notione mali confusa acquiescimus, eam rem aversamur, ex qua tædium percipimus (§. 592); qui alterum amat, is tædium ejus aversari debet.

Utimur hic demonstratione contractiore, ubi eodem modo demonstrari poterat propositio, quo præcedentem demonstravimus, ut varietas in demonstrando appareat.

§. 652.

Effectus alii amoris.

Qui alterum amat, is voluptatem eidem creare; tædium vero ab eo avertere studet. Qui enim alterum amat, is voluptatem ejus appetit (§. 650). Quamobrem cum unusquisque in se experiatur, quod ea consequi studeat, quæ appetit; voluptatem quoque alteri, quem amat, creare studet.

Similiter qui alterum amat, is tædium ejus aversatur (§. 651). Quare cum denuo unusquisque in se experiatur, quod ea a se amoliri studeat, quæ aversatur; tædium quoque alterius a se amoliri studere debet, consequenter operam dare, ut idem ab altero, quem amat, avertat.

Utrumque a posteriori confirmatur. Si quis alterum amat, ei dono dare solet, quæ eidem accepta esse novit, hanc quæsitus cur id faciat reddens rationem, quod eidem voluptatem creare, vel gaudio eum perfundere velit. Eadem de causa in gratiam alterius, quem amamus, facere solemus, quod alias a nobis non fieret, quia id ipsi volupe esse novimus. E contrario cavere solemus, ne quid fiat, quod alteri displicet, quem amamus, hanc reddentes rationem quod ipsi tædia creare nolimus. Neminem fore puto, qui non habeat,

quem

Digitized by Google

quem ſincero amore proſequatur. Quamobrem ad ſemetipſum attendat, quo ſit in eum animo. Annon lætus ambabus manibus amplectatur occaſionem perſonæ amatæ voluptatem, vel gaudium creandi? Annon evitet cura ſollicita omnem occaſionem alteri tædia creandi? Annon ſtudioſe celet, ne ad ejus, quem amat, aures perveniat, quod ipſi tædio eſſe poſſit?

Equidem non nego ſubinde alio fine talia fieri poſſe, quæ alteri voluptati ſunt, quam voluptatis eidem creandæ gratia; ſed nego tum ex amore proficiſci factum, ſi vel maxime quid fiat perſonæ, quam amamus, gratia, vel eidem quid detur. Neque tam ſincerus erit amor, ſi vel maxime ex eodem proficiſci videtur factum. Erit enim quidpiam amori admixtum, quod ab eodem alienum eſt, ad rationem tamen quam maxime pertinet, cur quid fiat in gratiam perſonæ amatæ. Excutiendi ſunt caſus obvii, ut rationes ſpeciales in apricum productæ clariora reddant, quæ affirmamus. In iis, quæ ad animam ſpectant, ſingulari acumine opus eſt, ut ea, unde quid pendeat, ab alienis ſeparemus.

§. 653.

Significatus, quem vocabulo amoris tribuimus, communi uſui loquendi conformis. Sane *Ariſtoteles* 2. Rhetoric. amare idem eſſe ait ac velle alicui, quæ bona arbitramur illius, non ſui cauſa, & ea pro viribus efficere. Ex noſtra amoris definitione nominali neceſſaria conſequentia deduximus, quod, qui alterum amat, ejus voluptatem appetat (§. 651) eique voluptatem creare ſtudeat (§. 652). Enimvero cum ea bona judicemus alteri, quæ voluptatem eidem creant (§. 612); patet noſtræ definitionis amori conveniens eſſe, ut appetamus ea, quæ alteri bona arbitramur, ipſius gratia, eademque efficere ſtudeamus. Notio igitur amoris, quæ *Ariſtoteli* eſt, cum noſtra convenit. *Goclenius* in Lexico ſignificatum vocabuli amoris proprium explicaturus monet, eodem denotari actum voluntatis elicitum, quo volo alicui bonum. Per voluntatem hic intelligit appetitum omnem, adeoque ſi amor pro affectu ſumitur, vocabulo hoc appetitus ſenſitivus denotatur. Con-

Significatus amoris an communi uſui loquendi conformis.

venit ista definitio amoris cum significatu, quem vocabulo tribuit *Aristoteles*. Quamobrem cum ostenderimus, significatum *Aristotelicum* cum nostra definitione consentire, nec ab eadem definitio *Gocleniana* dissentire potest. *Cartesius*, quemadmodum jam supra (*not. §.* 649) notatum est, de amore, sicuti affectibus ceteris, definitionem realem condit. Definit affectum hunc per eum, qui excitatur, cum aliquid ut bonum respectu nostri nobis repræsentamus. Definitio hæc realis ab ea, quam nos dedimus (*§.* 649), non nisi in eo differt, quod repræsentationem boni restringat. Si enim *Cartesio* credimus, amor non oritur nisi quod in altero deprehendimus nobis repræsentemus tanquam bonum respectu nostri. Oriri hoc in casu amorem, ostendimus (*§.* 647): neque hoc mirum videri debet. Etenim si judicamus, id, quod alteri inest, esse nobis bonum; utique supponere debemus, aliquam boni notionem, qua istiusmodi quid citra respectum ad nos repræsentatur tanquam bonum. Quod vero non necesse sit id, quod in altero deprehendimus, bonum judicari respectu nostri, vel exinde colligitur, quod, si amor non excitatur nisi bonum repræsentetur respectu nostri, nulla jam appareat ratio, cur qui alterum amat, is voluptatem eidem creare, tædium vero ab eo avertere studeat (§. 652). Enimvero non opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt. Ecquis enim nescit nos amare homines ob virtutes tam intellectuales, quam morales, etsi ex iisdem nihil in nos boni redundet? Absit autem ut quis sibi persuadeat, *Cartesium* contradicere *Aristoteli* affirmanti, quod amare sit velle alicui, quæ bona arbitramur, illius, non sui causa. Etenim *Aristoteles* definitione nominali explicat, in quonam amor consistat. *Cartesius* vero definitione reali docet, quo modo amor oriatur. In modo, quo amor oritur, non consistit amor, nec causa amoris eadem esse debet cum objecto amoris. De amoris objecto *Aristoteli* sermo est, de ejusdem causa *Cartesio*. Quamobrem si vel maxime amoris causa esset bonum, quod nobis

Digitized by Google

nobis in altero respectu nostri repræsentamus; id tamen non impedit quò minus amor consistat in eo, quod appetamus illa, quæ alteri bona sunt, ipsius, non nostri gratia. Tale quid fieri, experientia satis superque loquitur. Ponamus enim Titium nobis in angustiis constitutis præter omnem expectationem tulisse opem. Nemo non novit oriri hinc in nobis Titii amorem & ex hoc fluere studium eidem voluptatem creandi eaque faciendi, quæ ipsi bona arbitramur, non nostri, sed ipsius respectu. Jam hic amor oritur ex eo, quod bonum judicamus respectu nostri, si *Cartesiano* acumine utamur, nec ultra id mentis aciem intendamus; hoc tamen non obstante amor sese exerit per studium benefaciendi alteri, quem amamus, adeoque supponit dispositionem animi ad voluptatem ex eo, quod alteri bonum arbitramur, percipiendam. Quodsi majore acumine utaris, quam *Cartesio* uti visum fuit; omnino animadvertes placere nobis in altero studium alteri inserviendi, ejusque gradum æstimari ex magnitudine boni, quod inde in nos profectum est. Atque adeo, si rigorose statuere velis, non tam amor ex eo oritur, quod studium inserviendi alterius nobis fuerit valde proficuum; quam quod ex isto inserviendi studio voluptatem capimus. Istius autem ideam cum consecuti simus ex ea, quam nobis tulit, ope, cumque ex hac magnitudinem ejusdem æstimemus, consequenter absque ea amor non oriretur, hoc pacto bonum quoad nos influit in ortum amoris, scilicet per modum causæ remotæ, aut, si mavis, rationis remotæ. Enimvero quod definitio nostra amoris a communi usu loquendi non abhorreat, clarissime ex eo elucet, quod, quæ ex illa a priori deduximus, cum experientia consipirent. Quoniam enim ea, quæ experientiæ obvia sunt, vocabulis in communi significatu acceptis exprimimus; sequitur utique communem vocabuli amoris significatum cum eo convenire debere, quem nos in definitione nominali (§. 614) eidem vindicavimus, quod communi sermone attentes ad amo-

Digitized by Google

rem referant, quæ vi definitionis noſtræ eidem vindicanda ſunt.

Non jam inquirimus in rationem, quæ *Carteſio* perſuaſit non oriri amorem, niſi quatenus rem quandam nobis repræſentamus ut bonam reſpectu noſtri; ea enim evidentior evadet ex ſequentibus ac ex Pſychologia rationali clariſſimam lucem conſequetur.

§. 654.

Amor rerum inanimatarum & animalium.

Si in re inanimata, vel etiam in animantibus deprehendimus quidpiam, quod nobis multam affert voluptatem, remiſtam, vel animal iſtud pro gradu voluptatis hujus amamus. Si enim in re ſive inanimata, ſive animata, quid deprehendimus, quod nobis multam voluptatem affert; ea quoque nobis multum placet (§. 543). Enimvero cum affectus ex ideis confuſis ortum ducant, (§. 605), inter res inanimatas, quæ nullius felicitatis capaces ſunt, & animantia bruta, quæ ejusdem capacia apparent (§. 636), non diſtinguimus (§. 39). Quamobrem cum amor oriatur ex eo, quod quid in altero obſervamus, quod nobis placet (§. 649); amor quoque oriri debet, ſi quid in re inanimata, vel in animali bruto obſervamus, quod nobis placet, conſequenter quod voluptati nobis eſt (§. 543).

Enimvero quoniam amor oritur ex voluptate, quam ex re altera percipimus, per ſe patet, quod tanto major eſſe debeat, quanto major voluptas eſt. Si negas, vel dubitas; idem facile oſtendetur. Ponamus enim voluptatem C, ex qua amor oritur, æquivalere duabus voluptatibus A & B, & ex voluptate A, ſi ſola fuerit, oriri amorem D, ex altera vero B, ſi itidem ſola fuerit, oriri amorem B. Quoniam voluptates, iſtæ ſibi invicem non repugnant, ſed una in eodem ſubjecto eſſe poſſunt, ut mixta oriatur voluptas, quæ inſtar unius appareat (§. 524); nulla jam eſt ratio, cur non amores D & E ſimul oriri debeant, voluptatibus A & B ſimul poſitis, adeoque ſimul oriuntur (§. 118. *Ontol.*). Voluptatibus A & B ſimul ſumtis

tis æquivalet voluptas C *per hypoth.* adeoque salvo effectu, qui inde sequitur, istis substitui potest. Quare ex voluptate C idem oriri debet amor, qui ex A & B simul oritur, consequenter major, quam qui ex sola voluptate A, vel B ortum ducit. Oritur adeo amor pro gradu voluptatis rei amatæ:

Idem etiam confirmatur a posteriori. Nos res inanimatas & animantia bruta amare, nemo non novit. Immo non erit homo, cui non exempla amoris hujus domestica suggerat experientia, modo memoriam consulere velit. Audimus quoque a loquentibus affirmari, quod Titius amet nummos, Mevius canes, Sempronius Musicam, Cajus literas, seu eruditionem. Constat vero in eo casu Titium ex nummis, Mevium ex canibus, Sempronium ex Musica, Cajum ex literis, seu eruditione voluptatem capere. Quodsi ulterius in rationem voluptatis inquisiveris, eam non semper deprehendes eandem, etsi ex eodem objecto capiatur. Ita Titius ex nummis voluptatem capit, quatenus sunt rariores: sunt tamen alii, qui ex iisdem voluptatem capiunt, quatenus nos reddunt divites: sunt porro alii, qui ex iisdem voluptatem capiunt, quatenus nobis ad alia comparanda inserviunt. Id igitur, quod in nummis observamus, & unde voluptatem capimus, non semper idem est, quando ex iis voluptas percipitur. Eodem modo rem deprehendimus in casibus ceteris, ad quos provocavimus, & quibuscunque aliis.

Inde quoque factum est, quod *Cartesius* in definitione amoris rem quamcunque objectum ejusdem constituerit. Quodsi tamen probe expendatur, in quonam proprie loquendo amor consistat, notionem confusam ad distinctam revocando, quemadmodum a nobis factum est (§. 633); facile constabit, proprie loquendo non posse amari nisi entia, quæ sunt felicitatis capacia: cetera autem dum amantur, amorem minus proprie dici, ac per errorem quendam oriri.

§. 655.

Si rem inanimatam amamus, ad perfectionem ejus promovendam proni sumus. Si quid enim amamus, animum dispo- *Effectus amoris rei inanimatæ.*

situm habemus ad voluptatem eidem creandam (§. 652), consequenter ad ipsum, vel statum ejus perficiendum (§. 511). Quamobrem si opinione amantis res inanimata, quam amat, perfectionis cujusdam capax est, ad eam promovendam pronus est amans.

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus enim, nobis donari imaginem, quæ repræsentat personam formæ commendabilis, etsi ea ex ingenio tantummodo artificis picta. Si cui ea valde placet; is amorem testaturus eandem osculatur atque in hæc verba erumpit: velle sese auro eandem includere, siquidem sua esset. Immo respondet quærenti, cur sumtus profundere velit; se nimis amare imaginem istam. Unico hoc exemplo satis superque liquet, amantem pronum esse ad perfectionem rei amatæ promovendam, modo opinione ipsius alicujus perfectionis capax sit. Non nego mille in medium afferri posse exempla amoris, quo res inanimatas prosequimur, & hoc tamen non obstante amantem esse procul remotum ab eadem ornanda. Enimvero in singulis istis casibus aut amantis opinione nulla cadet in rem amatam perfectio, aut, si quæ in eam cadit, sibi tamen deesse vires agnoscit ad eam actu promovendam, Nec deest voluntas, ubi tale quid agnoscit; modo non deessent vires.

§. 656.

Amoris animalium brutorum effectus.

Si animantia bruta amamus, ad eorum volnptatem & perfectionem promovendam proni sumus. Quoniam animantia bruta, si non omnia, saltem pleraque voluptatis capacia judicamus; si vero alterum amamus voluptatem eidem creare studemus (§. 652): nil sane obstat, quo minus in præsente quoque casu idem amoris effectus sequatur, consequenter si animantia bruta amamus, iis quoque voluptatem, quæ opinione nostra in ea cadit, creare studemus (§. 118. *Ontol.*). Quodsi animantia bruta instar rerum inanimatarum consideremus, non attenta voluptate, quæ in ea cadere videtur, amor eorum idem

Digitized by Google

idem esse debet qui rerum inanimatarum (§. 118. *Ontol.*). Enimvero si res inanimatas amamus, perfectionem earum, quæ opinione nostra in eas cadit, promovere studemus (§. 655). Ergo si animantia bruta & res inanimatæ pari jure a nobis censentur; perfectionem earundem promovere studemus. Idem etiam sequitur ex priori. Etenim si animantia bruta, quæ amamus, voluptatis capacia judicamus; eis voluptatem creare studemus *per demonstrata*. Enimvero cum nobis constet, voluptatem in sensu perfectionis consistere (§. 511); eorum quoque perfectionem, quæ opinione nostra in ea cadit, sive intrinseca fuerit, sive extrinseca, promovere studemus.

Confirmatur idem a posteriori. Exempla clarissima omnium præbent canes, præsertim catelli. Qui canes, vel catellos amant, illi iisdem cibos præbent, quos ipsimet avide appetunt, sibi persuadentes hæc animantia eandem voluptatem ex iis percipere, dum eos avide devorant, quam nos ex gustu capimus, dum eos masticamus & masticatos ad deglutitionem promovemus. Inde est quod matronæ culcitas molles fieri curent, in quibus catelli requiescant, quoniam ipsimet culcitis mollibus insidere malunt, quam scamnis duris. Inde est quod de iis ornandis cogitent, cum hunc ornatum ad perfectionem extrinsecam referant, utpote ipsæmet ornatu delectari solitæ. Immo videas indignantes, qui illos dolore afficiunt, more amantium tædia ab iis avertere studentes, voluptati quippe contraria (§. 652). Gemina sunt exempla eorum, qui equos amant: nec desunt exempla animalia bruta aversatione digna amantium. Sed talia cumulari quæ obvia sunt, opus non est; sufficit excitari attentionem & præberi principia, juxta quæ attentio ad ea dirigitur, quæ observanda veniunt.

Quæ de amore rerum inanimatarum & brutorum animantium dicta sunt, palam loquuntur, in quonam eorum amor consistat. Quare cum fieri non possit, ut cum amore hominum prorsus conveniat, quod bruta felicitatis non sint capacia, si accurate loqui volueris

ris, multo minus autem aliqua in res inanimatas felicitas cadat; ut peculiarem amoris rerum inanimatarum & brutorum, quatenus iisdem æquiparantur, definitionem subjiciamus; non inconsultum ducimus.

§. 657.

Amor rerum inanimatarum quid sit.

Amor rerum inanimatarum est dispositio animæ ad voluptatem ex ipsis percipiendum. *Quod si quis animantia bruta iisdem æquiparat*, quatenus scilicet ea non considerat tanquam voluptatis capacia, sed tanquam ea, unde voluptas percipi potest; *amor eorum idem est, qui rerum inanimatarum:* id quod per se patet, cum hoc in casu sub istis quasi comprehendantur, aut utraque tanquam eidem generi substantia considerentur. *Quodsi* vero eadem *animantia bruta hominibus æquiparentur, amor eorum idem est, qui hominum:* id quod non minus per se patet, cum hoc in casu homines & bruta tanquam eidem generi substantia considerentur.

Ex definitione præsente patet, quantum inter definitionem rerum inanimatarum & hominum intersit. Nimirum ratione subjecti amantis nulla foret differentia, nisi aliqua intercederet ratione objecti amati. Quodsi enim res inanimatæ felicitatis forent capaces, ut & ipsæmet voluptate frui possent; amor rerum omnium atque hominum foret idem. Quoniam vero res inanimatæ incapaces deprehenduntur, nec bruta veræ voluptatis capacia sunt; amor rerum inanimatarum non tendit nisi ad eum earundem statum, quo plus voluptatis ex iis percipere vellemus, non inviſuri iisdem voluptatem propriam, si qua frui possent: voluptas enim, qua fruitur amatus, continuo redundat in amantem. Ceterum ex definitione amoris rerum inanimatarum ratio reddi potest eorum omnium, quæ homines hoc amore impulsi faciunt rei amatæ gratia.

§. 658.

Differentia gaudii de re inanimata & amoris ejusdem.

Quoniam de re præsente gaudemus, adeoque ex ea voluptatem percipimus insignem (§. 614), quatenus eam judicamus bonam respectu nostri (§. 624); eandem vero amamus, quatenus id maxime volumus, ut voluptati ipsamet esse possit, adeoque eandem percipimus citra respectum ad nos (§. 657);

Digitized by Google

(§. 657); *gaudium de re inanimata & amor rei inanimatæ differunt,*

Atque hinc apparet, juxta definitionem *Cartesii* non adeo claram esse differentiam inter amorem rei inanimatæ, atque gaudium de eadem, quod amorem oriri velit, quatenus rem nobis repræsentamus tanquam bonam respectu nostri, etsi non negemus, etiam ex ipsius mente supereſſe aliquam adhuc differentiam inter hosce affectus, quatenus nimirum supponit gaudium versari circa bonum nobis præsens, amorem vero circa id, quod quidem bonum judicatur respectu nostri, non tamen consideratur, tanquam nobis præsens. Dantur tamen casus, ubi ægre gaudium ab amore distinxeris, veluti si librum amas ob doctrinam solidam in eo contentam, nisi multo acumine uraris.

§. 659.

Qui alterum amat, is eundem considerat tanquam seipsum. Qui alterum amat, is ex voluptate alterius voluptatem percipit, ac ideo gaudet, quod gaudet alter, si idem fuerit de objecto gaudii judicium (§. 640); ex tædio autem alterius ipsemet tædium percipit, ac ideo contristatur, quod alter tristis est (§. 642). Voluptas igitur amati amanti communis est; gaudidium ac tædium amati amanti commune est; tristitia amati amanti communis est. Jam si quis voluptatem ac tristitiam alterius spectet tanquam suam; gaudium & tædium alterius tanquam suum; is alterum considerat tanquam seipsum: id quod per se patet, cum non aliud indigitare soleamus hac phrasi quam illam tædii, voluptatis, tristitiæ atque gaudii communionem. Quamobrem qui alterum amat, is eum considerat tanquam seipsum. *Effectus amoris singularis.*

Idem confirmatur a posteriori. Nihil sane frequentius est, quam ut amantes asseverent, se sibi facta putari, quæ personis, immo animalibus ac rebus inanimatis amatis sive bene, sive male fiunt. Hinc etiam invaluit phrasis, qua amanti amatus alter Ego dicitur. Ex his igitur satis superque apparet, quod amans alterum, quem amat, consideret tanquam seipsum,

seu in iis, quæ alteri bene, vel male fiunt, eum spectet tanquam personam cum se eandem.

Effectus hic amoris adeo obvius est, ut vulgo ad eum tanquam primo omnium sibi obvium attentionem suam omnium primo dirigant, qui de amore cogitant. Est autem prorsus eximius, cum inde totius generis humani felicitas manet, siquidem juxta rationis normam rectificetur: id quod in Moralibus pluribus docebitur.

§. 660.

Unio se mutuo amantium.

Quoniam qui alterum amat, is eundem tanquam seipsum considerat (§. 659); *amans cum amato unitur, ut tanquam persona eadem cum amante spectari possit, qui amatur & si duo se mutuo amant, amore ita uniuntur, ut instar unius personæ spectari debeant.*

Hinc amor vulgo vocatur affectus unionis, quemadmodum videre est apud *Goclenium* in Lexico. Immo quoniam acumen non exporrigitur ultra ea, quæ propinqua sunt ac primo obtutui sese offerunt, amorem definiri solent per affectum, quo quis tendit ad unionem cum re aliqua. Inest huic descriptioni aliquid veri, si debito modo explicetur, quemadmodum a nobis factum est; sed qui ab oculis amantium, vel osculatione rerum amatarum ideam amoris arcessunt, non satis intelligunt, quid sibi velint, atque notione fœcunda destituuntur. Ceterum ex dictis apparet, definitionem nostram, ex qua distinctam unionis amantium, vel amantis cum re amata notionem deduximus a communi usu loquendi non abhorrere atque adeo uberius confirmatur, quod jam ante evicimus (§. 653). Et hujus potissimum gratia unioni istius explicationem dare libuit, ne cui notiones nostræ videantur suspectæ, qui conveniente acumine in iis, quæ ad animam spectant, perlustrandis nondum usi didicit.

§. 661.

Odii definitio nominalis.

Odium est dispositio animæ ad voluptatem percipiendam ex alterius infelicitate.

Dispositio hæc deducitur ad actum data occasione, atque tum actu affectu agitatur animus, quem odii nomine insignimus. Fert autem usus loquendi, ut ipsam dispositionem odii nomine compellemus, quoniam odium tribuimus illi, qui affectu eo tempore non agitatur.

§. 662.

Digitized by Google

§. 662.

Quodsi ergo is, qui alterum odit, ejus infelicitatem cognoscit; ex eo actu felicitatem percipit (§. 661). Pone enim eum, qui alterum odit, intueri infelicitatem ejusdem, nullam tamen inde percipere voluptatem. Animus igitur ejus ita disposítus non est, ut ex infelicitate alterius voluptatem percipiat, consequenter eum non odit (§. 661): id quod hypothesi repugnat. *Quando se exerat.*

Ex actu odii dispositionem illam colligimus, atque probaturi quod quis alterum odio prosequatur, ad illam provocamus, cum dispositio in sensum non incurrat, adeoque observari non possit.

§. 663.

Qui alterum plurimum odit, de infelicitate ejus gaudet, tantoque magis gaudet, quanto magis eum odit. Qui enim alterum plurimum odit, is plurimum voluptatis ex alterius infelicitate percipit (§. 661). Quodsi ergo tanta evaserit voluptas, ut tædium, si quod adesset, non apperciperetur; voluptas prædominatur (§. 529). Quamobrem cum in prædominio voluptatum gaudium consistat (§. 614); si quis alterum plurimum odit, de infelicitate ejus gaudet. *Gaudium ejus, qui alterum odit.*

Quoniam odium non aliter sese exerit, quam voluptatis perceptione (§. 633); quo magis quis alterum odit, eo major est voluptas, quam ex infelicitate alterius capit. Quare cum gaudium tanto majus sit, quanto major est illa voluptas, quæ prædominatur (§. 614); gaudium tanto majus erit, quanto majus fuerit odium.

Infelicem judicamus eum, qui, cum munus ambiat, cui præfici poterat, repulsam fert. Quodsi quis Titium oderit & percontanti num munus, quod ambit, in ipsum collatum fuerit, narratur quod repulsam tulerit; gaudebit utique de repulsa, tantoque magis gaudebit, quanto majus fuerit odium adversus Titium conceptum. Ceterum ne ad experimenta

Digitized by Google

delapſuri confundamur; probe omnino tenendum eſt, fieri poſſe ut affectu quodam contrario impediatur gaudium alias ſecuturum, veluti ſi quis magis contriſtetur de repulſa, quam una tulit amicus, quem amore complectitur, qui ſuperat odium adverſus Titium conceptum. Cum enim hic triſtitia atque gaudium ſimul oriri debeant; ille utique affectus prævalebit, qui alterum ſuperat.

Odium opponitur amori. Sicuti enim amans ex felicitate; ita qui alterum odit, ex ejus infelicitate voluptatem percipit. Quamobrem mutatis mutandis ad caſum odii transferuntur, quæ de caſu amoris dicta ſunt. Etſi autem hoc non difficulter fiat; a nobis tamen hic fieri, minime autem lectoris ingenio relinqui debet, propterea quod propoſitionibus de odio in Moralibus tanquam principiis utemur, quæ adhuc expreſſis verbis hic ponendæ ac demonſtrandæ ſunt, ut ad eas provocare poſſimus.

§. 664.

Effectus odii.

Qui alterum odit, ex ejus tædio voluptatem percipit, & ideo gaudet, quod alter triſtitia officiatur, vel tædio. Qui enim alterum odit, is ex infelicitate ejus voluptatem percipit (§. 661). Quoniam igitur quodlibet tædium ad infelicitatem alterius pertinet (§. 639); qui alterum odio proſequitur, ex tædio ejus voluptatem capit.

Quoniam igitur porro gaudium in voluptatum prædominio conſiſtit (§. 614); qui ex tædio alterius voluptatem, adeoque ex triſtia alterius inſignem voluptatem percipit (§. 619); gaudere utique debet, quod alter triſtitia afficiatur. Quamobrem cum qui alterum odio perſequitur, ex tædio ejus voluptatem percipiat *per demonſtrata*; idem quoque gaudere debet, quod triſtitia afficitur alter.

Idem confirmatur a poſteriori. Si quis odio alterum perſequitur, quamprimum audit, ei tædia creata eſſe, vel vexas mille creari, quæ plurimorum tædiorum cauſa ſunt, lætus exultat, quaſi bono quodam egregio potitus fuiſſet. Hinc audias affirmantem, ſibi adeo gratas eſſe vexas alterius, ac ſi

ſibimet

sibimet donum pretiosum oblatum fuisset. Se non tantopere gavisurum, si vel centum aurei ipsi donarentur, & quæ sunt his gemina verba, quæ odium sequuntur manifestum. Unde & nemo non ex hoc gaudio odium colligit, quo quis alterum prosequitur. Quoniam phrases receptæ notionibus communibus respondent; iis conforme est, quod, qui alterum odio prosequitur, gaudeat ex eo, quod alteri tædia creentur, vel vexæ plurimorum tædiorum causæ. Quodsi odium fuerit ingens, ut ejus, qui alterum eodem prosequitur, judicio majoribus vexis dignus existimetur alter; in hæc verba erumpere solet: se multo magis gavisurum, si nescio quæ vexæ iisdem majores eidem crearentur.

Non provocamus ad exempla specialia, quæ magno numero quotidie obvia sunt, cum nihil sit frequentius hominum odiis. Sufficit generaliter indicasse ea, ad quæ specialia levi attentione agnita referuntur. Casus speciales admodum variant, nec cuivis iidem familiares sunt. Insunt autem iisdem generalia, omnibus nota, quæ speciales casus levi attentione utentibus in memoriam revocant (§. 105). Quamobrem scopus veritatem propositionis a posteriori confirmaturi postulat, ut ista potius generalia in medium afferamus, quam casibus specialibus recensendis tempus minus utiliter teramus: id quod non modo hic, sed in omni casu simili observandum.

§. 665.

Si quis ex alterius tædio voluptatem percipit, vel ideo gaudet, quod alter tristitia afficitur: is alterum odit. Quoniam enim tædium omne, seu omne id, quod tædium alteri creat, ad infelicitatem ejus refertur (§. 639); qui ex tædio alterius voluptatem percipit, ejus animus dispositus esse debet ad voluptatem ex alterius infelicitate percipiendam. Alterum igitur odisse debet (§. 660). Quodsi quis ideo gaudet, quod alter tristitia afficitur, cum gaudium in prædominio voluptatum consistat (§. 614); animus ejus dispositus esse debet ad voluptatem ex tristitia alterius percipiendam, consequenter *Signum odii.*

Digitized by Google

cum triſtitia in prædominio tædiorum conſiſtat (§. 619), animus ejus diſpoſitus eſt ad voluptatem ex alterius tædio percipiendam. Sed cui ita diſpoſitus eſt animus, is alterum odit *per demonſtrata*. Ergo alterum odit, qui ideo gaudet, quod is triſtitia afficiatur.

Idem confirmatur a poſteriori per ea, quibus propoſitionem præcedentem confirmavimus. Sane ibidem jam monuimus, quod nemo non ex voluptate, quam quis ex tædio alterius capit, & multo magis ex eo, quod gaudet, quia tædio, vel triſtitia afficitur alter, colligit odium, quo alterum perſequitur, in admirationem ſummam abripiendus, ſi contrarium ſibi obſervare videatur.

Habemus adeo ſignum odii minime fallax. Omnis autem de ſignis doctrina plurimam utilitatem ſpondet in Moralibus.

§. 666.

A voluptate ad tadium & a tadio ad voluptatem argumentatio.

Si quis ex voluptate alterius tædium percipit, ac ideo contriſtatur, quod gaudet alter; is ex tædio alterius voluptatem percipere ac ideo gaudere debet, quod alter contriſtatur & contra *ſi quis ex tædio alterius voluptatem percipit, ac ideo gaudet, quod alter contriſtatur, is ex voluptate alterius tædium percipere, ac ideo contriſtari debet, quod alter gaudet.* Etenim ſi quis ex voluptate alterius tædium percipit, eam ſibi tanquam malum tanto majus repræſentare debet, quanto majus eſt tædium, quod ex ea percipit (§. 613). Quoniam igitur voluptati contrarium eſt tædium (§. 511. 518), perinde ac bonum contrarium malo (§. 554. 565); tædium alterius in numerum bonorum referre debet. Quamobrem cum ex eo, quod bonum nobis videtur, voluptatem tanto majorem capiamus, quanto majus nobis bonum iſtud videtur (§. 612); ex tædio alterius voluptatem percipere debet.

Jam triſtitia in prædominio tædiorum conſiſtit inſigni (§. 619). Quamobrem cum tædium alterius in numerum bonorum referat, qui ex voluptate alterius tædium percipit

per

Digitized by Google

per demonstrata: tristitiam quoque pro tanto majore bono habere debet, quanto major eadem deprehenditur. Enimvero ex eo, quod bonum nobis videtur, tanto majorem voluptatem percipere debemus, quanto majus nobis bonum istud apparet (§. 612): ergo qui ex voluptate alterius tædium percipit, adeoque contristatur, quod gaudet alter (§. 511. 518), is summam quoque voluptatem ex alterius tristitia capere, adeoque ideo gaudere debet, quod alter tristitia afficitur (§. 518).

Non absimili modo ostenditur, quod qui ex tædio alterius voluptatem percipit, ac ideo gaudet, quod alter contristatur; is ex voluptate alterius tædium percipere ac ideo contristari debeat, quod gaudet alter.

Confirmatur quoque propositio a posteriori. Hinc audias dicentes, bonum esse, quod alteri tædia creentur ubi gaudio efferuntur, quamprimum ipsis narrantur vexæ, quæ creantur aliis. Patet adeo tædia & tristitiam alterius in bonorum numerum referri ab hominibus. Ex adverso etiam audias affirmantes, malum esse, quod alteri omnia ex voto cedant, ubi tristitia afficiuntur, quamprimum ipsis narrantur, quænam fortuna secunda illi obtigerint. Unde liquet, gaudium ac voluptatem alterius etiam in malorum numerum referri ab hominibus.

Propositionem præsentem instar lemmatis hic præmittimus ad demonstrandas sequentes. Utemur eadem quoque in sequentibus.

§. 667.

Si quis alterum odit, ex ejus voluptate tædium percipit, ac ideo contristatur, quod gaudet alter. Si quis enim alterum odit; is voluptatem percipit ex tædio ejus (§. 664). Enimvero qui ex tædio alterius voluptatem percipit, is ex voluptate alterius tædium capit (§. 666). Ergo qui alterum odit, ex voluptate ejus tædium percipit. *Alius odii effectus.*

Similiter qui alterum odit, ideo gaudet, quod tristitia afficiendo

ficitur alter (§. 664). Sed qui ideo gaudet, quod alter triſtitia afficitur; is propterea contriſtatur, quod alter gaudet (§. 666). Ergo qui alterum odit, is contriſtatur, propterea quod alter gaudet.

Idem confirmatur a poſteriori. Ponamus enim Titium odiſſe Sempronium atque ideo in votis habere, ut muneri, quod ambit, minime præficiatur. Quodſi jam contrarium evenit, eum vel tædio, vel triſtitia affici intelliges, prouti vel majus, vel minus fuerit odium, quod adverſus ipſum concepit. Inde eſt, quod rationem reddituri, cur ægre ferat Sempronium præfectum eſſe muneri, cum ex ea nulla utilitas in ipſum redundet, ſi collatum fuiſſet in alterum, nec ullum inde incommodum, multo minus damnum in ipſum proficiſcatur, quod Sempronius ad idem promotus fuerit, odium Titii allegemus, quo adverſus Sempronium flagrat.

§. 668.

Signum odii. *Si quis ex voluptate alterius tædium percipit, ac ideo contriſtatur, quod gaudet alter; is alterum amat.* Qui enim ex voluptate alterius tædium percipit, ac ideo contriſtatur, quod gaudet alter, is ex tædio alterius voluptatem capit, ac ideo gaudet, quod alter triſtitia afficitur (§. 666). Enimvero qui ex voluptate alterius voluptatem capit, vel prorſus gaudet, dum alter triſtitia afficitur, is eum odit (§. 660. 665). Odit igitur alterum, qui ex voluptate ejus tædium percipit, vel contriſtatur, propterea quod alter gaudet.

Ad confirmandam propoſitionem præſentem a poſteriori facit, quod eadem tanquam ſigno odii utantur, quemadmodum ex iis intelligitur, quæ ad propoſitionem præcedentem a poſteriori confirmandam in medium adduximus.

Ab hoc uſu commendatur propoſitio præſens, cujus rei rationes in ſuperioribus jam dedimus (*not. §. 665.*).

§. 669.

Effectus odii. *Qui alterum odit, is tædium eius appetit, & contra.* Etenim

enim qui alterum odit, ex ejus tædio voluptatem capit ac ideo gaudet, quod alter triſtitia afficitur (§. 664), conſequenter voluptatem ex alterius tædio tanto majorem capit, quanto majus hoc deprehendit (§. 614. 619). Tædium igitur, quo alter afficitur, tanto majus bonum ipſi videtur, quanto major eſt voluptas, quam inde percipit (§. 612). Enimvero quamprimum nobis rem quandam repræſentamus tanquam bonam, eam appetimus (§. 589). Quamobrem qui alterum odit, alterius quoque tædium appetere debet.

Quodſi quis tædium alterius appetit, is idem ſibi repræſentare debet tanquam bonum (§. 587. 589), conſequenter tanto majorem inde percipere debet voluptatem, quo majus bonum judicat tædium alterius (§. 612). Animus adeo ipſi diſpoſitus eſt ad voluptatem ex tædio alterius percipiendam, conſequenter alterum odit (§. 660).

Non dubito fore aliquos, quibus contradictorium videbitur, tædia alterius ac ea, quæ tædia ipſi creant, conſequenter quæ nemo non mala judicat, in numerum bonorum referri. Tenendum itaque eſt, tædia non in ſe conſiderata in numerum bonorum referri, ſed bonum judicari, quod alteri creentur. Non vero repugnat, bonum judicari, quod alter malo quodam afficiatur. Similiter e contrario non repugnat malum judicari, quod quis bono afficiatur, etſi bonum in ſe ſpectatum in malorum numerum referri nequeat. Unde patet, quomodo intelligendæ ſint phraſes ex voluptate alterius tædium, ex tædio voluptatem percipere, etſi idem jam manifeſtum ſit ex demonſtrationibus ſuperioribus. Nimirum voluptas non percipitur ex tædio, quo alter afficitur, quatenus in ſe ſpectatur, ſed quatenus alteri creatur, adeoque ſi rigoroſe loqui velis, ex eo, quod alteri creatur, non ex tædio ipſo. Similiter tædium non percipitur ex voluptate, qua alter delectatur, quatenus in ſe ſpectatur, ſed quatenus alteri creatur, adeoque ſi verba exacte exprimere debent, quod eisdem efferre decreveris, dicendum eſt, tædium percipi ex actu, quo alteri creatur voluptas.

§. 670.

Effectus alius odii.

Qui alterum odit, is voluptatem ejus averſatur. Qui enim alterum odit, ex voluptate ejus tædium percipit (§. 668).

Digitized by Google

Quare cum affectus ex confusa boni & mali repræsentatione oriantur (§. 605), quamdiu autem in notione mali confusa acquiescimus, adeoque quamdiu alterum odio persequimur, eam rem aversamur, ex qua tædium percipimus (§. 529); qui alterum odit, is voluptatem ejus aversatur.

Ex iis, quæ modo (*not.* §. 669) ad propositionem præcedentem dicta sunt, intelligitur, quo sensu voluptatem aversemur. Nimirum nemo aversatur voluptatem, quatenus in se spectatur; sed aversatur tantummodo actum, quo alteri voluptas creatur, quemadmodum nemo appetit tædium, quatenus in se spectatur, sed tantummodo actum, quo alteri tædium creatur. Sed ubi acumen ad ea, quæ diversa sunt, discernenda non omnibus suppetit; phrasibus receptis uti licet, quæ, cum id involvant, quod acumine aperte distinguitur, citra erroris periculum adhiberi possunt.

§. 671.

Effectus odii.

Qui alterum odit, is tædia eidem creare; voluptate vero quo minus perfundatur, impedire studet. Qui enim alterum odit, is tædium ejus appetit (§. 669). Quamobrem cum unusquisque in se experiatur, quod ea consequi studeat, quæ appetit, alteri quoque tædia creare studet, quem odit.

Similiter qui alterum odit, is voluptatem ejus aversatur (§. 670). Quare cum denuo unusquisque in se experiatur, quod ea a se amoliri studeat, quæ aversatur, voluptatem quoque alterius a se amoliri studeat opus est, consequenter id agere debet, ut quovis modo impediat, ne alter voluptate fruatur, quem odit.

Utrumque a posteriori confirmatur. Si quis alterum odit, is alios adversus eum instigat, qui eundem injuriis afficiunt, propterea quod novit ipsi hoc modo tædia creari. Narrat de eo, quæ in detrimentum famæ ipsius tendunt, propterea quod novit hoc modo ægre ipsi fieri, ubi famæ suæ adversa in publicum sparsa esse intelligit. E contrario impedire solet, quantum in se est, ne munus in eum, quem ambit, conferatur, propterea quod novit insigni prorsus voluptate per-

Digitized by Google

perfusum iri, si eodem potiretur. Quodsi hunc casum ad priorem referre malis, quod ad eundem quoque mutata intentione ejus, qui alterum odit, referri possit; perpendas velim Titium, qui odio persequitur Sempronium, impedire quo minus Mevius eidem donet librum tantopere ab eo exoptatum, ne fruatur gaudio, quo eundem elatum iri prævidet.

§. 672.

Qui alteri tædia creare, ac voluptatem, qua perfrui pot- Odii
erat, impedire studet; is alterum odit. Qui enim alteri tædia signum.
creare studet, is eadem appetit, quod per se patet. Enimvero qui tædia alterius appetit, is eundem odit (§. 669). Ergo qui tædia alteri creare studet, is eum odit.

Similiter qui impedire studet, quo minus alter voluptate fruatur; is eandem aversatur: id quod denuo per se patet. Enimvero qui voluptatem alterius aversatur, is eundem odit (§. 670). Ergo alterum odit, qui impedire studet, quo minus is voluptate fruatur.

A posteriori confirmatur propositio, quod vulgo ex studio alteri ægre faciendi ac impediendi felicitatem alienam nemo non odium colligat.

§. 673.

Si quem nobis repræsentamus tanquam noxium, seu no- Odii ortus.
bis aliisque malum; odium adversus eum oritur. Etenim si nobis alterum repræsentamus tanquam noxium, adeoque tanquam nobis aliisque malum (§. 565), eum aversamur (§. 591), atque adeo eundem a nobis procul remotum esse cupimus, ne noxius esse possit, immo in destructionem ejus fertur appetitus. Quoniam adeo interitum ejus nobis repræsentamus tanquam bonum (§. 554), ex eo voluptatem percipimus tanto quidem majorem, quanto majus bonum istud nobis videtur (§. 6[illegible]). Disponitur itaque animus ad voluptatem

tem percipiendam ex tædio alterius (§. 518), consequenter odium oritur (§. 665).

Idem confirmatur a posteriori. Si quem novimus nobis adversum, quamdiu appetitus ratione non reguntur; ejus mortem appetimus, in votis quam maxime habentes ut moriatur. Quando vero ita dispositus est animus; experimur quoque nobis voluptati esse fortunam adversam, qua alter utitur, consequenter nos eundem odio persequi (§. 661). Observamus haud raro idem ita sese habere, etiamsi alterum amaverimus, antequam nobis adversaretur. Atque in hoc inprimis casu evidentissime omnium liquet odium ex eo oriri, quod alterum nobis repræsentemus tanquam noxium, seu tanquam nobis malum. Enimvero animo nostro ingenerari quoque odium adversus alterum experimur, si nobis constet de ejus aliis nocendi animo, quos vel amamus, vel in quos indifferenti animo sumus. In priori casu facile admittitur absque observatione, propterea quod eum, quem amamus, tanquam nosmetipsos spectamus (§. 659). Posterior adeo casus huc potissimum spectat, ne exceptioni ulli locus sit. Quodsi vero quem odio prosequimur, cui ægre fit ab altero; odium adversus facientem oriri nequit, quod appetamus iftiusmodi facta, quæ alteri tædia creant (§. 669). Hic adeo casus removendus.

Communiter odia hominum ex eo oriuntur, quod alios sibi adversos experiantur, ut adeo veritas propositionis præsentis a nemine in dubium revocari possit, modo ad ea attendere velit, quæ quotidie obvia sunt. Quodsi quis etiam absens nobis nocere possit, appetitum nostrum ferri in mortem ejus, ipsa verba sæpissime produnt, quæ odio ducti proferimus. Suppono autem in omni affectuum doctrina, animum rationis lumine minime perfundi, quod affectus omnes dispellit. Si qui malitiosi sunt, eum, quem odio prosequuntur, e medio tollere studeant: ast illi, a quibus tanta malitia remota est, in votis tantummodo habent, ut Deus mori jubeat eum, quem odio habent. Atque ad hunc potissimum casus respici-

Digitized by Google

ſpiciendum, ubi circa demonſtrationem propoſitionis præſentis dubia quædam ſuboriuntur, quod prolixitatem nimiam evitaturi notionum analyſin ad ultimum evidentiæ gradum producere non valeamus. Quodſi quis nobis tantummodo præſens moleſtus fuerit, abſentiam ejus morti æquiparamus, cum reſpectu noſtri perinde ſit, ac ſi prorſus interiiſſet.

§. 674.

Si quod nobis diſplicet in altero obſervamus, vel unde tædium percipimus; odium oritur. Si quod nobis diſplicet in altero obſervamus, ex eo tædium percipimus (§. 542), atque adeo hypotheſis eadem eſt ſive ſupponamus, nobis quid obſervari in altero quod diſplicet, ſive ponamus nobis quid obſervari in altero, unde tædium percipimus. Quamobrem cum id alteri tanquam inhærens, vel ad eum ſpectans conſideremus, tædium ex eo percipimus, quod alteri ineſt, vel ad eundem ſpectat. Quoniam itaque affectus ex confuſa repræſentatione oriuntur (§. 605); in confuſa autem repræſentatione ſubjectum ab eo, quod ipſi ineſt, non diſtinguimus (§. 39.); ex ipſa perſona alterius tædium nobis percipere videmur, conſequenter alterum tanquam nobis malum, vel noxium repræſentamus (§. 613.). Enimvero ſi quem nobis repræſentamus tanquam noxium, ſeu nobis aliisque malum, adverſus eum oritur odium (§. 673). Ergo odium adverſus alterum oritur, ſi quod in altero obſervamus nobis diſplicet, vel ſi ex eo, quod in altero obſervamus, tædium percipimus. *Ortus odii ulterius expenditur.*

Idem confirmatur a poſteriori. Odimus ſubinde perſonam, quam primum eandem adſpicimus, ſola forma corporis, vel ſolo vultu offenſi. Immo ſubinde quod nos offendit adeo leviculum eſt, ut ipſimet id minime appercipiamus, ideo affirmantes, nos odiſſe Mevium, ſed non poſſe dicere quare: id tantummodo nos dicere poſſe, quod ipſum odio proſequamur. Quodſi vero quis acutior fuerit, is rationem odii deprehendit, etſi tanta non videatur, cur odio alter dignus ſit,

ubi ratio integra non detegitur, propterea quod imaginationi plurimæ in isto odio tribuendæ sunt partes, non autem in apricum producuntur. Quodsi quis ea reflexerit, quæ in excitando odio imaginationi tribuenda veniunt; ei sæpissime dubia videbuntur, quæ in se clarissima sunt. Cautione igitur opus est, ubi propositionem præsentem a posteriori confirmare voluerimus.

Homini naturale est tendere ad ea a se amolienda eorundemque destructionem, quæ tædia ipsi creant.

§. 675.

Idem alterius expenditur.

Si nobis repræsentamus malum, quod alteri ineſt, vel ad eum quomodocunque pertinet; odium oritur. Si nobis repræsentamus malum, quod alteri ineſt, vel ad eum quomodocunque pertinet; tanto majus tædium inde percipitur, quanto majus malum istud videtur (§. 613). Quamobrem cum tædium alterius displicere nobis debeat (§. 342); si nobis malum, quod alteri est, repræsentamus, aliquid in eo observamus, quod nobis displicet, consequenter odium oriri debet (§. 674).

Idem confirmatur a posteriori. Si quis deformitatem in malorum numerum refert (quod salva rei veritate fieri posse alibi ostendemus); is eum odit, quem deformem intuetur, etiamsi antea ipsi fuerit ignotus. Hinc audies affirmantes, adeo deformem esse hominem, ut propenso in eum animo esse nequeamus. Ita vero loquentes eos deprehendes, qui formæ pulchritudine delectantur, consequenter qui hanc in bonorum numerum, adeoque eidem oppositam deformitatem in malorum numerum referunt.

§. 676.

Idem adhuc alterius expenditur.

Si quod in altero observamus nobis tanquam nobis malum repræsentamus; Odium adversus alterum oritur. Si quid enim in altero tanquam nobis malum repræsentamus, cum affectu

ctus ex repræsentatione confusa oriantur (*§.* 605), in ea autem, quod alteri ineſt non diſtinguimus ab eo, quod ineſt (*§.* 39.), alterum nobis tanquam nobis noxium repræſentamus, conſequenter odium adverſus alterum oritur (§. 673).

Idem etiam ſic oſtenditur. Si quod in altero obſervamus tanquam nobis malum repræſentamus, nobis quid tanquam malum repræſentamus, quod alteri ineſt. Quare cum odium oriatur, ſi quid nobis in altero repræſentamus tanquam malum (*§.* 675): odium quoque oriri debet, ſi quod in altero obſervamus ranquam nobis malum nobis repræſentamus.

Idem confirmatur a poſteriori. Ponamus alterum propalaſſe, quæ nobis nocua ſunt. Factum alterius nobis repræſentamus tanquam nobis malum (*§.* 565). Nemo vero non novit iſtiusmodi factum eſſe odii cauſam, ita ut vel amorem in odium convertere poſſit.

Si rem curatius examines, omni fere in caſu quod nobis diſplicet in altero nobis repræſentamus tanquam nobis noxium, quatenus ſcilicet id malum judicamus reſpectu noſtri, quod tædium nobis creat.

§. 677.

Odium eſt affectus, qui oritur ex eo, quod quid in altero obſervamus, quod nobis diſplicet, ſeu ſi quid in altero nobis repræſentamus tanquam malum, præſertim reſpectu noſtri. *Definitio realis odii.*

Definitionis hujus realis, quæ excitationem odii declarat, veritas patet ex propoſitionibus proxime præcedentibus. Patet etiam ex eo, quod odium opponatur amori: id quod ex collatione definitionum realium odii atque amoris innoteſcit. Equidem dubium oriri poterat ex definitione *Carteſiana*, de qua mox dicemus diſertius, an repræſentatio ejus, quod in altero obſervamus, tanquam mali fieri debeat reſpectu noſtri: enimvero propoſitiones præcedentes contrarium loquuntur, præſertim ſi ad ea reſpicias, quæ ad eas confirmandas a poſteriori in medium adducuntur.

§. 678.

Definitio odii tam nominalis, quam realis uſui loquendi conformis. *Significatum odii nunc con-ſui loquendi conformis.*

Digitized by Google

conformis. Definitionem realem ex nominali deduximus. Quamobrem si una earum fuerit usui loquendi conformis, etiam altera eidem conformis esse debet, & si quis unam earum admittit, is alteram etiam admittere tenetur. *Cartesius* loc. cit. (§. 649) odium definit per affectum, qui oritur, si quid nobis repræsentatur ut malum respectu nostri. Hæc definitio, si consideretur ut propositio, non habet quod a veritate aberrat (§. 676): restrictio tamen cum non in omni casu obtineat (§. 674. 675), adæquata definitio non est, nisi dicas id, quod nobis displicet, vel quod ut malum nobis repræsentatur respectu ipsius subjecti, cui inest, vel aliorum hominum a nobis diversorum, repræsentari in eo tanquam nobis noxium, quod nobis simus conscii tædii ex eo percepti. Quodsi definitionem *Cartesii* hoc modo salves, quemadmodum salvari potest; nihil est quod in ea reprehendas, sed cum definitione reali, quam nos ex nominali deduximus, prorsus convenit (§. 677). Atque adeo definitio nostra nominalis odii non contrariatur significatui, quem vocabulo tribuit *Cartesius.* In superioribus evicimus (§. 653) definitionem nominalem amoris, quam dedimus, esse notioni amoris conformem, quam *Aristoteles* dedit. Quoniam notio odii notioni amoris opposita est, & nostra quoque hinc odii definitio nominalis definitioni odii nominali opposita (§. 653. 661); hæc quoque a mente *Aristotelis* aliena esse nequit. Amare *Aristoteli* est velle alicui, quæ bona arbitramur, illius, non sui causa. Quare odisse eidem idem esse debet ac velle alicui, quæ mala arbitramur, illius, non sui causa. Velle in affectuum doctrina denotat actum appetitus sensitivi, quemadmodum jam supra (§. 653) monuimus. Ex nostra odii definitione necessaria consequentia deduximus, quod, qui alterum odit, ejus tædium appetat (§. 669), eique tædium creare studeat (§. 670). Enimvero cum ea mala judicemus alteri, quæ tædium eidem creant (§. 613); nostræ definitioni odii conveniens est, ut ea appetamus, quæ mala alteri

alteri arbitramur, ipsius causa, eademque efficere studeamus. Notio igitur nostra odii cum notione *Aristotelica* consentit. Odii notionem non explicat *Goclenius* noster in Lexico: cum tamen amorem explicet per actum voluntatis, hoc est, appetitus sensitivi elicitum, quo alicui bonum volumus; odium ipsi esse debet actus voluntatis elicitus, quo alicui malum volumus. Notio *Gocleniana* convenit cum *Aristotelica*. Quoniam itaque ostendimus, *Aristotelicam* cum nostra consentire; hoc ipso palam est, quod etiam *Gocleniana* cum nostra consentire debeat (§. 223. *Ontol.*). Ceterum hic quoque mutatis mutandis repetenda sunt, quæ de restrictione *Cartesiana* in definitione amoris supra (§. 653) annotata sunt. Denique perinde ut supra (*loc. cit.*), ex eo quoque colligitur, definitionem odii esse notioni communi conformem, quod, quæ inde a priori deduximus, eadem sunt cum iis, quæ vulgo ex odio profecta agnoscunt omnes.

Non difficile foret cum iis, quæ a nobis demonstrata sunt, conciliare aliorum philosophorum definitiones: sed operæ pretium non existimamus tantum operæ impendere rei satis manifestæ.

§. 679.

Si in re inanimata, vel etiam in animantibus quidpiam deprehendimus, quod nobis tædium creat, seu unde tædium percipimus; rem istam. seu animal istud odimus pro gradu tædii percepti. Si enim in re sive inanimata, sive animata quid deprehendimus, quod nobis plurimum tædii affert; ea nobis multum displicet (§. 543). Enimvero cum affectus ex ideis confusis oriatur (§. 605), inter res inanimatas, quæ nullius infelicitatis capaces sunt, & animantia bruta, quæ ejusdem capacia apparent (§. 637), non distinguimus (§. 39) Quamobrem cum odium oriatur ex eo, quod quid in altero observamus, quod nobis displicet (§. 674); odium quoque oriri debet, si quid in re inanimata, vel in animali bruto observa- *Amor rerum inanimatarum & animalium.*

mus, quod nobis displicet, consequenter quod nobis tædio est (§. 543).

Quod vero odium majus, vel minus, sit pro diverso gradu tædii, quod ex re ista, vel animali percipimus, eodem prorsus modo ostenditur, quo idem de amore evicimus (§. 654), ut adeo non opus sit id denuo de odio demonstrari.

Idem etiam confirmatur a posteriori. Nos res inanimatas & animantia bruta odio prosequi, in confesso est apud omnes, nec facile erit quisquam, cui non exempla clarissima suggerat experientia domestica. Ponamus Titium inter strepitum non posse conservare attentionem & canem vicini esse ipsi latratu molestum. Quando eundem conspicit in platea, so ita eum odisse affirmat, ut sclopeto a quodam corpus ejus trajici vellet, ne amplius attentionem turbare posset. Similiter displicere deprehendimus nobis animal brutum propter formam ac inde odium adversus ipsum concipi, perinde ac adversus hominem, cujus forma displicet, siquidem formæ pulchritudinem in bonorum numerum, deformitatem in malorum numerum referimus. Quamobrem cavendum, ne ab uno objecto ad alterum argumentemur: neque enim omnibus eadem displicent, nec si qua displicent, in eodem displicent gradu.

Cartesius definitionem suam odii generaliter concepit, ut etiam ad res inanimatas applicari possit.

§. 680.

Effectus odii rei inanimatæ.

Si rem inanimatam odimus, ad ejus imperfectionem promovendum, immo ad ipsius quoque destructionem proni sumus. Si quem enim odimus, animum dispositum habemus ad tædium eidem creandum (§. 671), consequenter ad ipsum, vel statum ejus imperfectiorem reddendum (§. 518). Quamobrem si opinione ejus, quirem inanimatam odit, eadem imperfectionis cujusdam, aut saltem destructionis fuerit capax;

ad

ad eam promoventem pronus est, qui rem istam odio prosequitur.

Idem confirmatur a posteriori. Si nobis displicet imago propter dissimilitudinem, eam adeo odimus, ut ex conspectu nostro eam tolli jubeamus, immo ut nimio odio adducti arrepto cultro eam prorsus dissecemus, aut feralibus flammis tradamus. Germanis peculiaris phrasis est, qua hoc odium exprimunt & qua tam de rebus inanimatis, quam hominibus ac animantibus brutis utuntur. Dicimus enim: Ich bin dieser Sache / oder der Person / dem Thiere so gram / daß ich es nicht vor Augen leiden kan.

In genere notandum est, linguam nobis vernaculam vocabulis ac loquendi formulis abundare ut ad singula, quæ de anima nostra observantur apte ac perspicue exprimenda nunquam desit dictio. Quodsi quædam occurrunt vulgo non observata, quæ tamen pura dictione exprimi jubentur; terminos aptos componere licet ex vocabulis obviis, quæ juxta ipsas leges etymologicas significatum insinuant, ut nomina rebus suis conveniant. Patet id ex operibus nostris philosophicis Germanico idiomate editis, ubi terminos maxime barbaros Scholasticorum, quæ aures latinas maxime offendunt, dictione Germanica pura reddidimus, quæ nihil continet, quod nauseam moveat puritati linguæ Germanicæ adsuetis. Unde sæpius me monuisse memini, quod, si a lingua Græca discesseris, non sit inter linguas cæteras, quæ ad philosophandum adeo apta videtur, ac quæ nobis vernacula est. Et hinc accidit, ut homines illiterati scripta nostra legentes solidam philosophiæ doctrinam sibi comparent tanto quidem successu, ut in conflictu cum viris eruditis palmam reportent, eosque doceant, quæ ipsi perperam intelligunt.

§. 681.

Odii brutorum effectus.

Si animantia bruta odimus, ad eorum tædia ac imperfectionem promovendam; voluptatem vero impediendam proni sumus. Quoniam animantia bruta, si non omnia, saltem pleraque voluptatis ac tædii capacia judicamus, si vero alterum odio prosequimur, tædia eidem creare, ac præterea voluptate quominus perfundatur, impedire studemus (§. 671);

Digitized by Google

ubi animantia bruta odimus, iisdem quoque tædia creare, quæ opinione noſtra in ea cadunt, ac voluptatem, qua perfundi poſſe videntur, impedire debemus (§. 118. *Ontol.*). Quodſi animantia bruta inſtar rerum inanimatarum conſideremus, non attento tædio, nec attenta voluptate, quæ in eadem cadere videntur, odium eorum idem eſſe debet, quod rerum inanimatarum (§. 118. *Ontol.*). Enimvero ſi res inanimatas odimus, imperfectionem earum, quæ opinione noſtra in eas cadit, promovere ſtudemus, immo in earum deſtructionem ferimur (§. 689). Ergo ſi animantia bruta & res inanimatæ pari jure a nobis cenſentur, imperfectionem quoque illorum promovere ſtudemus, ac in eorum imperfectionem ferimur, ubi odio ea proſequimur. Idem etiam ſequitur ex priori. Etenim ſi animantia bruta, quæ odimus, tædii capacia ac doloris judicamus; eis tædia creare ſtudemus *per demonſtrata*. Enimvero cum nobis conſtet, tædium in ſenſu imperfectionis conſiſtere (§. 519); eorum quoque imperfectionem, quæ opinione noſtra in ea cadit, ſive intrinſeca fuerit, ſive extrinſeca, promovere ſtudemus.

Idem confirmatur a poſteriori. Exempla clariſſima omnium præbent canes, quorum ſi quis oſor fuerit, eos ferit, vel in eos invehitur quoties conſpicit, nec aliam reddit rationem niſi quod adeo oderit, ut conſpectum eorum fere non poſſit. Immo videas gaudio exultantes ac in cachinnum effuſos, ſi quis illis ægre facit quocunque modo, cumque inſtigantes, qui hoc facit. Ex adverſo ægre ferentes audies, quod quis de iis ornandis cogitet, vel cibos præbeat delicatos. Palam igitur eſt eos, qui animantia bruta oderunt, ipſis tædia creare, quæ opinione ſua in ea cadunt, ac eorum imperfectionem ſive extrinſecam, ſive intrinſecam promovere, ſi qua opinione eorum in ea cadit. Communiſſima vero ſunt exempla, quod odio adducti animantia quædam deſtruamus, ſi ea ideo oderimus, quod nobis noxia experiamur, vel ſaltem exiſtimemus.

Ex

Digitized by Google

Ex hactenus evictis deduci potest definitio odii rerum inanimatarum ac animalium brutorum, quam ideo subjungere lubet.

§. 682.

Odium rerum inanimatarum est dispositio animæ ad tædium ex iis percipiendum. *Quod si quis animantia bruta iisdem æquiparat*, quatenus scilicet considerat non tanquam tædii capacia, sed tanquam ea, unde tædium percipi potest; *odium eorum idem est, quod rerum inanimatarum:* id quod inde colligitur, quod res inanimatæ cum animantibus brutis in hoc casu sub eodem veluti genere comprehendantur, scilicet sub genere entium, quæ tædii nullius capacia sunt, ita tamen comparata, ut ex iis percipiatur tædium. *Quodsi* vero *eadem animantia bruta hominibus æquiparentur; amor eorum idem est, qui hominum:* quod denuo inde colligitur, quod homines & animantia bruta veluti sub eodem genere contineantur, scilicet sub genere entium, quæ tædii capacia sunt simulque ita comparata, ut ex iis tædium percipi possit.

Odii rerum inanimatarum ac animantium brutorum definitio.

Ex definitione præsente liquet, quænam differentia intercedat inter odium rerum inanimatarum, atque hominum. Nimirum ratione subjecti, cujus animus odio imbuitur, differentia foret nulla, nisi aliqua ratione objecti intercederet. Etenim si res inanimatæ tædii forent capaces, ut & ipsæmet eodem affici possent; odium rerum omnium idem foret, qui hominum, seu eodem odio prosequerentur res ceteras omnes, quo hominem nobis invisum prosequimur. Quoniam vero res inanimatæ tædii incapaces deprehenduntur, odium non tendere potest nisi ad statum destructionis, vel quod respectu ejus, qui odio in ipsas flagrat, æquipollet, ad statum absentiæ, seu remotionis e conspectu. Ex definitione hac odii rerum inanimatarum ratio redditur eorum omnium, quæ homines hoc odio impulsi faciunt.

§. 683.

Idem simul in uniusbominis animo amorem ac odium ejusdem objecti eodem tempore excitare nequit, seu impossibile est, ut idem objectum eodem tempore eademque causa simul amemus ac odio-

Amoris ac odii repugnantia.

oderimus. Si enim Titius amat objectum A, amor ex eo oritur, quod quid in eodem obſervat, quod ſibi placet (§. 649), ſeu unde voluptatem percipit (§. 657), veluti C. Quodſi idem objectum A, eadem de cauſa, ſimul eodem tempore odio proſequi debet; idem C, quod enti A ineſt, diſplicere eidem debet, & quidem eodem reſpectu, quo placet (§. 677). Enimvero impoſſibile eſt ut idem C eodem tempore eidem ſimul placeat & diſpliceat, hoc eſt, non placeat (§. 542). Ergo impoſſibile eſt ut idem objectum A eadem de cauſa ſimul animo Titii & amorem, & odium ingeneret.

In exemplis propoſitionis præſentis veritas manifeſtiſſima eſt. Si Titius Mevium amat ob fidelitatem ſingularem; impoſſibile eſt ut eum ſimul ob eandem fidelitatem odio proſequatur. Similiter ſi Tirius Sempronium oderit ob deformitatem; impoſſibile eſt ut eundem ſimul ob eandem amet. Ceterum determinationes, ob quas repugnantia odii & amoris in præſente propoſitione admittitur, probe notandæ ſunt, ne inſtantiæ afferantur ad rhombum non facientes.

§. 684.

Amoris in odii in oppoſitum mutatio.

Si quod antea nobis placebat in altero, nunc diſplicet, vel quod antea nobis in altero repræſentabamus tanquam bonum, nunc nobis tanquam malum repræſentamus; quem antea amabamus, nunc ex eadem cauſa odimus & contra. Si quid enim nobis placet in altero, vel ſi nobis quid in eo repræſentamus tanquam bonum; amorem erga eum concipimus (§. 649). Enimvero ſi idem nobis poſtea in altero diſplicet, vel ſi idem nobis repræſentamus tanquam malum; odium adverſus eum concipimus (§. 677). Patet igitur nos eum odiſſe, quem antea amabamus ex eadem cauſa, quia nunc diſplicet, quod antea placebat, vel quia nunc nobis tanquam malum repræſentamus, quod antea tanquam bonum repræſentabamus.

Eodem prorſus modo oſtenditur, nos ex eadem cauſa amare, quod antea oderamus, ſi quod antea nobis diſplicebat in

in altero, nunc placet, vel si quod antea nobis repræsentabamus tanquam malum, nunc tanquam bonum nobis repræsentatur.

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus Titium delectari studio critico & Sempronium eodem excellentem ipsi opem ferre plurimam ac ardorem ejus magis adhuc accendere, ut neglectis studiis aliis critico fere soli totus incumbat. Nemo non novit Titium eo in casu impense amare Sempronium tum ob excellentiam in hoc studiorum genere, tum ob opem, quam ipsi in eodem ferre solet. Ponamus vero porro Titium ex Academia reducem ineptum deprehendi ad munus ecclesiasticum, ob neglectum studii theologici ac critici, cui totum se dedit, inutilitatem experiri; consequenter diligentiam olim in eodem adhibitam damnare. Malum ergo judicabit, quod Sempronius ipsi hoc studiorum genus magis persuaserit ipsique in eodem manus auxiliatrices tulerit. Ecquis vero est, qui nesciat, Titium jam odisse Sempronium, quem antea tantopere amaverat. Ex eadem igitur causa odit Sempronium, ex qua eundem amaverat, quia nunc sibi repræsentat tanquam malum, quod antea sibi repræsentabat tanquam bonum. Similiter videas juvenes, qui amant puellas, quod ipsis sui potestatem faciant. Aſt ubi postea impræghantur, ut ex concubitu plurima nasceantur tædia; easdem odio prosequuntur, quod ipsis copiam sui fecerint tam facile. Facilitatem istam initio bonam judicabant; postea vero malam reputant. Sed initio inde amor; postea odium nascitur. Patet igitur ex eadem causa nasci amorem & odium diverso tempore, si quod antea bonum videbatur, nunc malum apparet.

Istiusmodi mutationes cui contingant, non est quod miremur. Amor enim ac odium sequuntur opinionem amantis ac odio flagrantis. Opiniones hominum mutabiles sunt ac haud infrequenter mutantur in contrarias. Quidni igitur & amor in odium, odium in amorem mutetur, manente causa amoris, quæ antea odii fuerat, vel odii, quæ antea fuerat amoris causa?

§. 685.

§. 685.

Amoris ac odii simultaneitas.

Si in altero observamus, quæ nobis placent, vel tanquam bona nobis repræsentamus: alia vero, quæ displicent, vel tanquam mala nobis repræsentantur: cum simul amamus, ac odimus, prouti ad causam vel amoris, vel odii attendimus. Si qua enim in altero observamus, quæ nobis placent, vel quæ tanquam bona nobis repræsentamus, amor oritur (§. 649); si qua vero in eodem observamus, quæ displicent, vel quæ tanquam mala nobis repræsentamus, odium oritur (§. 677). Quamobrem si ad causam amoris attendimus, cur eum amemus, nil obstat; si vero ad causam odii respiciamus, cur eum non oderimus, nil obstat. In casu igitur priori eum amamus, in posteriori odimus. Animus igitur simul dispositus esse debet ad amorem ac odium, ita ut vel actus amoris, vel odii sequatur, prouti vel illius, vel hujus causa ponitur.

Idem quoque confirmatur a posteriori. Audies enim haud raro eos, qui odio prosequuntur alios, affirmantes, quod ipsos alias ament, hac tamen de causa amare minime possint.

Maximi momenti est propositio præsens, siquidem actiones hominum, quæ sibi mutuo contrariari videntur, inter se conciliare, vel etiam easdem præsentire volueris.

§. 686.

Amor ac odium quando se mutuo extinguant.

Quodsi amor plurimum superet odium, vel odium plurimum superet amorem: in casu priori odium, in posteriori amor prorsus evanescit. Etenim si amor plurimum superet odium, multo vehementius tædium alterius aversamur (§. 651), quam appetimus (§. 669), consequenter aversatio tædii, amoris effectus (§. 686. *Ontol.*), prævalere debet. Quodsi ergo sæpius in conflictu prævalet amor, hujus in posterum memores ubi causa odii nobis occurrit (§. 117); ad eam non amplius attendimus, attentionem omnem causa amoris in se trahente (§. 238). Odium igitur tandem evanescit.

Simili

Digitized by Google

Simili prorsus modo ostenditur, amorem evanescere in eo casu, in quo odium amorem plurimum superat.

A posteriori idem patet in iis casibus, ubi alios initio amamus, vel odimus, postquam autem multa nobis cum ipsis consuetudo interceſſit, eos tandem odimus, vel amamus, odio adversus amorem, amore adversus odium prævalente. Ponamus Titium odisse Mevium ob deformitatem, ubi primo eundem conspicit: nunquam fieri poterit, ut ob eandem ipsum amet, cum deformitatem in malorum numerum referat formæ pulchritudine delectatus. Ponamus Mevium excellere arte poëtica & eadem mire delectari Titium. Impense Mevium a Titio amari debere palam est. Quoniam causa odii non magni momenti est, tali autem respectu Titii esse debet causa amoris; quin amor odium plurimum superet nemo non videt. Videmus vero Titium amare Sempronium ac odii posthac nullius sibi conscium esse. Evanescit igitur odium, dum ab amore plurimum superatur. Titium jam non mutasse sententiam suam, inde apparet, quod alios adhuc ob deformitatem oderit, & quæsitus cur Mevium non oderit respondeat, aliam hic subesse rationem, scilicet quod arte poëtica excellat. Dum itaque causam amoris tanquam odii absentis allegat, etsi hujus causa ponatur; haud obscure apparet amorem adversus odium prævalentem impedire, quo minus hic oriatur, eumque odium ante invasisset animum ejus, odium amore extinguitur, seu hoc continuo crescente continuo decrescit, donec tandem prorsus evanescat.

Fecundissimum hoc principium est in Moralibus, ubi de actionibus hominum ferendum est judicium: ac inprimis ad talia respiciendum est in Arte conjectandi hominum mores, siquidem ex actionibus externis statum animi internum hariolari volueris. Difficilis sane deprehenditur ars ista, quod theoria status interioris animæ humanæ ignoretur, ad quam hæc de affectibus theoremata pertinent.

§. 687.

Tristitia ex alterius infelicitate percepta dicitur *Commiseratio*

Commiseratio definitio.

seratio. Et quoniam tristitia in prædominio tædii insigni consistit (§. 619); tædium quoque quodcunque ex infelicitate alterius perceptum Commiserationis nomine venit.

Nihil in hoc obtinet singulare, quod etiam tædium affectu isto compreheudatur, qui in ejus prædominio insigni potissimum consistit. Etenim a quovis tædii gradu nascitur affectus, ut adeo exiguus quidam ejusdem gradus exprimat statum tædii nascentis. Ideo etiam idem observavimus in definitionibus amoris (§. 633) atque odii (§. 661).

§. 688.

Fons Commiserationis. Quoniam qui alterum amat, ex ejus tædio ipsemet tædium percipit, ac ideo contristatur, quod alter tristis sit (§. 641), consequenter tædium ex infelicitate alterius capit ac ob eam contristatur (§. 639): *Qui alterum amat, ejusdem quoque commiseratur* (§. 687).

Hinc etiam videas, commiserationem esse tanto majorem, quanto major fuerit amor: id quod ex ipsis amoris ac commiserationis notionibus facile ostenditur, nisi per se satis manifestum a nemine in dubium vocaretur.

§. 689.

Defectus commiserationis. *Si quis alterum non amat, nec ejusdem commiseratur.* Quodsi enim alterum non amas, nec animus dispositus est ad voluptatem ex alterius felicitate (§. 633), consequenter voluptate capiendam (§. 638). Igitur nec dispositus est ad percipiendum tædium ex ejus tædio (§. 641), adeoque nec tædium percipit ex ejusdem infelicitate (§. 639). Ejusdem igitur non commiseratur (§. 687).

Nihil sane frequentius est, quam ut indifferente animo vel ipsimet simus, vel alios esse experiamur in eos, qui miseri sunt, ut aliena miseria nos prorsus non tangat, vel alios. Quodsi in rationem hujus indifferentiæ inquisiveris, nullum in te affectum amoris in miseros istos deprehendes ac alii, qui eodem sunt animo, idem de se affirmare audies. Defectum hunc amoris indicaturi ajunt vulgo, se eos non odisse, cum nulla adsit

Digitized by Google

adſit odii cauſa. Malunt enim homines profiteri ſe ab odio, quam amore vacuum habere animum. Quodſi vero ulterius inſtas ac ex iis quæris, an non ament eum, quem miſerum intuentur; reſpondent ſeſe quidem affirmare non poſſe quod ſingularem quandam animi propenſionem erga ipſum in ſe ſentiant, ne minimi tamen odii adverſus eundem in animo ſuo alere. Hoc ipſo ſatis aperte defectum amoris confitentur, qui eundem defectu odii excuſare ſolent.

Propoſitionem hanc non poſſe converti, ex ſequente patet.

§. 690.

Si quis alterum odit, ejus non commiſeratur. Qui enim alterum odit, ex ejus tædio voluptatem percipit ac ideo gaudet, quod alter triſtitia afficitur (§. 664), immo tædia ipſi creanda appetit (§. 669), ac ipſemet tædia eidem creare ſtudet (§. 671). Quare cum impoſsibile ſit, ut ex alterius tædio eodem reſpectu ſimul & tædium, & voluptatem percipiamus (§. 511. 518); qui alterum odit, ex alterius tædio tædium percipere nequit, nec contriſtari poteſt, quod alter contriſtetur. Ejus adeo non commiſeratur (§. 687). *Defectus commiſerationis.*

Caſus præſens plurimum differt a præcedente, etſi utrobique idem ſit prædicatum. Etenim in præcedente abeſt ratio commiſerationis, ut ea non poſita nec ipſa poni poſsit: in præſente autem adeſt impedimentum, quod obſtat quo minus poni poſsit. Differentia hæc magnum momentum habet in praxi. Etenim ſi commiſeratio in priori caſu excitanda; ingenerandus animo eſt amor erga miſerum, cujus miſeriam, ſeu infelicitatem intuetur is, quem ad commiſerationem perducere volueris. At in caſu poſteriori non oritur commiſeratio, niſi & odium tollatur, & hoc ſublato amor gignatur. Facilius adeo in caſu priori ad commiſerationem perducitur, qui ab ea alienus eſt; quam in poſteriori.

§. 691.

Si quis alterius non commiſeratur, aut eum odit, aut non amat, etſi non oderit. Si quis enim alterius non commiſeratur, ex alterius infelicitate tædium nullum percipit, nec ideo con- *Signum odii ac amoris deficientis.*

contriſtatur, quod alter infelix ſit, ſeu miſer (§. 687), adeoque eum non amat (§. 642). Enimvero qui ex alterius infelicitate tædium nullum percipit, nec ideo contriſtatur, quod alter infelix ſit; ex ejusdem infelicitate voluptatem percipere, ac ideo gaudere poteſt, quod alter ſit infelix, ſeu miſer: id quod per ſe patet. Quodſi ergo hic caſus obtineat, eum, qui miſer eſt, odit (§. 665).

Patet ex demonſtratione propoſitionis præſentis, ſtatum animi differre in duobus ſubjectis, ſi commiſerationis defectus vel ex odio, vel ex defectu amoris proficiſcitur. Quodſi odium celatur intra pectus abſconditum latens, extus non ſemper apparet.

Amoris ſignum.

§. 692.

Si quis alterius commiſeratur, eum amat. Si quis enim alterius commiſeratur, ex ejus infelicitate (§. 687), conſequenter ex ejus tædio (§. 639) tædium ipſemet percipit, vel prorſus propterea contriſtatur. Eum igitur amat (§. 643.)

Eſt adeo commiſeratio ſignum infallibile amoris (§. 952. *Oſtol.*). Me autem non monente patet, commiſerationem eſſe debere ſinceram, non ſimulatam: id quod in omni caſu ſimili obſervandum.

Effectus commiſerationis.

§. 693.

Si quis alterius commiſeratur, is eum malo, quo affligitur, indignum judicat. Qui enim alterius commiſeratur, is eum amat (§. 692), conſequenter tædium ejus averſatur (§. 651) ac ab eo idem avertere ſtudet (§. 652). Eum igitur malo, quo affligitur, indignum judicare debet.

Confirmatur idem a poſteriori. Nihil enim communius eſt verbis commiſerantium, quibus afflictos tantum malum non promeruiſſe pronunciant, quo premuntur.

Commiſerationis cauſa.

§. 694.

Si quis alterum indignum exiſtimat malo, quo affligitur, ejusdem commiſeratur. Etenim ſi alterum indignum exiſtimat malo, quo affligitur; idem utique averſatur ac, ſi per ſe ſtaret, averteret, conſequenter bonum alterius appetit, adeoque & voluptatem (§. 612). Eum igitur amat (§. 650), adeoque & ejus commiſeratur (§. 688).

Expe-

Digitized by Google

Experimus idem in nobis, quoties afflicti commiseramur. Haud obscure enim observamus affectum commiserationis praecedere judicium de malo, quo affligitur alter, modo non ex consuetudine oriatur commiseratio, ut in tantillo temporis spatio quae contingant distinguere a se invicem non valeamus. Neque enim commiseramur alterius, nisi malo, quo affligitur, nobis perspecto. Malum vero alterius nos non tangit, nisi eo in casu, quo alterum tale quid non promeruisse existimamus: per se enim patet, quod commiserationi non sit locus in casu opposito, quando alterum dignum judicamus malo, quo afficitur. In tertio casu, quando scilicet alterum neque dignum, neque indignum judicamus malo, quo afficitur; nos indifferente esse animo nec aliena curare experimur.

Ex propositione praesente patet, quandonam commiseratio in nobis excitetur, modo ad eam dispositus sit animus. Disponitur autem ad eandem per amorem (§. 688. 692), quo absente commiserationi locus non est, nisi simulatae. Sed cum simulata nobis nihil negotii est.

§. 695.

Commiseratio oritur, si alterum indignum judicamus malo, quo affligitur. Patet definitionis veritas per propositiones praecedentes (§. 693. 694). *Commiserationis definitio realis.*

Quodsi forte desideres in definitione hac commiserationis reali non exprimi amorem, quo tamen absente eam oriri non posse modo pronunciavimus, scrupulus facile eximitur. Etenim fieri non potest, ut alterum indignum judices malo, quo affligitur, nisi eundem ames. Si enim alterum oderis, judicabis utique dignum malo, quo premitur: si nec ames, nec oderis, malum alterius attentione sua indignum existimabis, neque adeo judicium de eodem feres, sua scilicet sponte, sed idem suspendes. Inprimis autem tenendum est judicia hic non praesupponi, quae ex principiis rationis distincte colliguntur; sed quae ex notionibus confusis oriuntur (§. 605).

§. 696.

Definitio tam nominalis, quam realis commiserationis signi- *Significa-*

buli commiserationis num usui loquendi conformis,

ficatui recepto ac communi usui loquendi conformis. Quoniam definitio realis ex nominali deducta fuit, quemadmodum ex antecedentibus (§. 687. & sqq.) palam est, quod de una oftenditur, de altera etiam valet. Sunt qui vocabulo misericordiæ, quam commiserationis uti malunt. Nos autem vocabulo commiserationis utimur, quod hodie inter philosophos *Cartesianos* receptum, & quod vulgo hac voce utimur eademque reddimus vocabulum Germanicum Mitleiden, quod citra omnem controversiam affectum illum exprimit, cum quo nobis jam negotium est. Vocabulum *Misericordiæ* reservamus virtuti, cujus comes est affectus ille, quando appetitus sensitivus cum rationali conspirat. Atque id denuo conveniens est sermoni Germanico, in quo virtus illa Barmhertzigkeit appellatur: vocabulum autem hoc Germanicum per Latinum *misericordia* vertere solemus. Jam *Goclenius* in Lexico misericordiam definit per alienæ miseriæ in corde nostro sympathiam, qua utique, si possumus, subvenire compellimur. Per vocabulum sympathiæ clarissime indigitat, quod in hoc affectu idem sit animi status, qui est alterius miseria laborantis. Jam qui miseria affligitur, tristis est, aut minimum tædio afficitur. Ergo qui misericors est, seu nostra phrasi alterius commiseratur, tristis est, propterea quod alter contristatur, ac tædio afficitur, propterea quod alter eodem afficitur; tædium nempe percipit ex miseria alterius ac ob eandem, si ingens fuerit, contristatur. Definitio adeo misericordiæ *Gocleniana* convenit cum nostra nominali (§. 687), nisi quod addatur, quod hoc affectu impellamur subvenire alteri, si possumus: id quod ex definitione exulare atque demonstrari debet. Adducit idem *Goclenius* aliam ex *Damasceno* definitionem, quod scilicet misericordia, seu commiseratio sit tristitia in alienis malis: quam cum nostra prorsus eandem esse satis superque apparet. Immo quam porro subjicit *Goclenius*, quod sit ægritudo animi ob alienarum miseriarum sensum, ea non minus cum nostra definitione

Digitized by Google

tione nominali conſpirat. Ægritudo animi enim opponitur voluptati atque adeo tædii ſynonymon eſt, quod ubi prædominatur inſigniter, in triſtitiam abit (§. 619). Perinde igitur eſt ac ſi commiſeratio definiretur per triſtitiam, quæ ex alienis miſeriis oritur, vel per tædium, quod ex alienis miſeriis, quas nobis repræſentamus, percipimus. Quodſi quis hic non perſpiciat conſenſum cum definitione noſtra, in re manifeſta cœcutire debet. Miſeria non aliud hic denotat, quam quod nos infelicitatis nomine indigitamus, vocabulo miſeriæ diverſum parumper ſignificatum tribuentes, quem explicare non eſt hujus loci. *Carteſius* in Tractatu de paſſionibus animæ part. 2. art. 62. commiſerationem definit per affectum, quem excitat malum, ſi ejus alterum indignum exiſtimamus: id quod cum definitione reali, quam ex nominali collegimus, prorſus concidit (§. 695). Quod commiſerationem tribuamus ei, quem triſtem videmus ob miſeriam alterius, vel ægritudine animi laborare comperimur, quod alterum triſtem, vel miſeria laborantem experitur; in caſu autem oppoſito eandem denegemus ei, qui alterius miſeria non tangitur; nemo non novit. Abunde igitur conſtat, noſtram commiſerationis notionem eſſe & recepto inter philoſophos ſignificatui ac communi loquendi uſui conformem.

Operæ pretium eſt oſtendere, quod definitiones noſtræ affectuum ſignificatui inter philoſophos recepto, ac communi uſui loquendi ſint conformes, propterea quod doctrina affectuum utemur longe plurimum in Moralibus, non autem ignoramus eos, quibus imbecille eſt judicium, ſibi perſuadere a communi loquendi uſu recedi, ſiquidem diſtincta notione explicentur, quæ confuſæ ipſorum notioni inſunt, identitatem diſtinctæ atque confuſæ non perſpicientes. Experta loquimur citra ullius injuriam, nominato nemine, cum plures nominari poſſent, quorum non ignotum eſt in orbe erudito nomen.

§. 697.

Qui alterius commiſeratur, ad eius tædia, ac triſtitiam minu- *Effectus commiſerationis.*

minuendum pronus est. Etenim qui alterius commiseratur, eum amat (§. 692). Ergo tædium ejus aversatur (§. 651), immo ab eo avertere studet (§. 652), adeoque pronus esse debet ad tædia alterius, consequenter & tristitiam (§. 619), leniendum, seu imminuendum.

Patet idem experientia, qua docemur, nos consolari miseros, ubi eorum commiseramur, ut dolores, quibus affliguntur, reddamus tolerabiliores, ac ægritudinem animi, qua laborant, leniamus.

§. 698.

Effectus alius.

Quoniam proni sumus ad tædia ac tristitiam eorum minuendum, quorum commiseramur (§. 697.) nec est in nobis quod actum impediat, ubi idem in potestate nostra positum deprehendimus; *eos, quorum commiseramur, a malo, quod ipsis tædia creat ac tristitiam causatur, vel dolorem, liberare studemus, si possumus.* Patet idem a posteriori, quatenus constat nos misericordia compelli ad subveniendum miseris, si possumus, ut adeo *Goclenius*, quemadmodum paulo ante monuimus, (§. 696), hunc commiserationis effectum definitioni ejus adjecerit.

Propositio præsens respondet notioni communi, ut nemine repugnante definire Commiserationem liceat per affectum, quo compellimur subvenire miseris, si possumus, modo addatur, quod liberationem ex miseria, vel imminutionem tædii, tristitiæ atque doloris intendamus tanquam finem, seu quod agamus ipsius miseri gratia. Neque enim ignorant, qui in actionibus hominum scrutandis acuti sunt, posse nos quoque ambitione, vel odio in alios homines compelli ad miseris subveniendum, ut famæ nostræ consulamus laudem misericordiæ apperentes, vel ut aliis ægre faciamus, qui miserum hunc hominem ab omnibus destitui mallent auxiliis. Cæterum ex præsente quoque propositione patet, cur *Lipsius* hunc affectum compellet affectum liberantem, quod nempe tendit ad liberationem miseri a miseria, quo affligitur.

§. 699.

Effectus adhuc alius.

Qui alterius commiseratur, ab iis abstinet, quæ eidem tædia

dia creare, vel cum triſtitia afficere poterant. Qui alterius commiſeratur, ad ejus tædia ac triſtitiam minuendum pronus eſt (§. 697), immo a malo, quod tædia, triſtitiam atque dolorem cauſatur, ſi poteſt, liberare ſtudet (§. 698). Impoſſibile igitur eſt, ut ipſemet eidem ſciens ac volens tædia creet, vel eundem triſtitia afficiat (§. 28. *Ontol.*), conſequenter ab iis abſtinere debet; quæ eidem tædia creare, vel eundem triſtitia afficere poterant.

Idem clariſſime patet a poſteriori. Videmus enim homines celare eos, quorum commiſerantur, ea omnia, quæ tædia ipſis creare, eosque triſtitia afficere poterant, hanc reddentes rationem, quod eos triſtitia afficere nolint, vel ubi jam triſtes ſunt, quod ipſorum triſtitiam augere nolint. Immo ad iram concitati, ubi ad animum redeunt, & a malo alteri inferendo abſtinent, affirmant nolle ſeſe alteri inferre malum, quod ipſemet inde percipiant dolorem, vel contriſtentur.

Hinc *Lipſius* commiſerationem vocat affectum parcentem. An vero eadem, quod ille facit, definiri poſſit per affectum liberantem ac parcentem, altioris eſt indaginis, nec id ſine ambagibus oſtendi poteſt: demonſtrandum enim eſt, ex eo, quod compellamur liberare alterum ac eidem parcere, deduci poſſe definitionem noſtram ſive nominalem, ſive realem. Patebit autem id tum demum fieri poſſe, ubi ſumimur utrumque fieri ſolius miſeri gratia.

§. 709.

Qui ad alterius tædia ac triſtitiam minuendum pronus eſt, vel a malo, quod ipſi tædia creat, ac triſtitiam, vel dolorem cauſatur, ſi poteſt, liberare ſtudet, vel etiam ab iis abſtinet, quæ eidem tædia creare, vel triſtitiam cauſari poterant, alterius, non ſui, aut tertii gratia: is ejusdem commiſeratur. Etenim ſi ad alterius tædia ac triſtitiam minuendum pronus eſt alterius, non ſui, aut tertii cujusdam gratia; is tædia ac triſtitiam alterius averſatur, quatenus ſunt tædia alterius: quod per ſe patet. Ea igitur ſibi repræſentat tanquam mala (§. 586), conſequenter cum affectus ex confuſa mali repræſentatione *Signum commiſerationis.*

Digitized by Google

oriantur (§. 605), ex iis tanto majus tædium percipit, quanto majora existimantur tædia alterius (§. 613). Enimvero qui ex alterius infelicitate, consequenter ex tædiis alterius (§. 639), tædium percipit; is alterius commiseratur (§. 687). Quamobrem qui ad alterius tædia ac tristitiam minuendum pronus est; is ejusdem commiseratur, siquidem id fiat, ipsius, non sui, aut tertii gratia.

Quoniam vero jam porro patet, qui ad alterius tædia ac tristitiam minuendum pronus est, alterius, non sui, aut tertii gratia; eum quoque a malo, quod alteri tædium creat, ac tristitiam, vel dolorem causatur, si potest, liberare studet alterum, ipsius, non sui, aut tertii cujusdam gratia. Igitur hoc ipso evidens est, quod ejus quoque commiseretur, quem a malo, si potest, liberare studet, quod eidem tædia creat, vel tristitiam aut dolorem causatur, ipsius quidem, non sui, aut alterius gratia.

Non absimili modo liquet, quod etiam alterius commiseretur, qui ab iis abstinet, quæ eidem tædia creare, vel eundem tristitia afficere poterant, modo id fiat alterius, non sui, aut tertii cujusdam gratia.

Poterat quoque propositio præsens brevius ita ostendi. Qui ad alterius tædia ac tristitiam minuendam pronus est ipsius quidem, non sui, aut alterius gratia; is alterum indignum judicare debet tædiis ac tristitia, quibus affligitur: id quod per se patet. Ejusdem igitur commiseratur (§. 694).

Hinc vero porro fluit ut ante, commiserationi locum esse etiam in casibus ceteris propositionis præsentis.

A posteriori etiam veritas propositionis innotescit. Nemo enim non agnoscit, eum alterius commiserari, qui ad ipsum a malo, quo affligitur, liberandum tendit, si tristitia infucata prodit id fieri ipsius, non sui, aut tertii cujusdam gratia, propterea quod unusquisque in se affectum commiserationis experitur, ubi non sine tristitia misero succurrit. Si vero quis

animo

animo minime trifti ſuccurrit inopi ejusque miſeriam ſublevare ſtudet; tum ſaltem acutiores & qui a præcipitandis judiciis procul ſunt remoti inde colligunt, quod non ex commiſeratione procedant actiones ejusdem. Non tamen negandum eſt propoſitionem præſentem eſſe ex earum genere, quæ evidentius a priori agnoſcuntur, quam a poſteriori: propterea quod a poſteriori ob latentem quandam determinationem, veluti quod hic miſero ſuccurratur, ipſius miſeri gratia, dubitatur num idem valeat in omni caſu, an vero ſingulare quidpiam ſubſit cur in præſente ſuccedat. In confirmandis adeo iſtiusmodi propoſitionibus a poſteriori reſpiciendum ſimul eſt ad probationem a priori, ut ita nebula, ſi qua ſupereſt, dispellatur.

Ex iis, quæ modo diximus de propoſitione præſente aliisque ſimilibus a poſteriori confirmandis, apparet neceſſitas connubii rationis atque experientiæ, cum alias vix fieri poſſit, ut propoſitionem a poſteriori confirmandam rite determines, vel etiam ex iis, quæ obſervari poſſunt, alterum univerſalitatis convincas. Quamobrem ut iis, quæ a poſteriori de anima innoteſcunt, lucem affunderemus, quæque experientia magiſtra addiſcuntur, latius paterent, propoſitionum quoque rationes ex aliis anterioribus reddidimus, quæ in Pſychologia empirica a poſteriori hauriendæ ſunt.

§. 701.

Si animalia doloris capacia exiſtimamus atque triſtitiæ, eaque amamus; eorundem quoque commiſeramur. Etenim ſi animalia doloris ac triſtitiæ capacia exiſtimamus, ea hominibus quoad præſens negotium æquiparamus, cum nec hominem hic aliter nobis repræſentemus quam ſubjectum doloris ac triſtitiæ capax. Enimvero ſi hominem amemus, ejus commiſeramur (§. 688). Ergo etiam ſi animalia amamus, eorum commiſerari debemus, ubi ea tanquam doloris atque triſtitiæ capacia exiſtimamus. *Animalium quando commiſeramur.*

Idem a poſteriori patet, idque clariſſime omnium exemplo fœminarum, quæ catellos amant. Quodſi enim his vul-

nus quoddam infligatur, eorum perinde commiserantur, ac si homini, quem impense amant, id mali accidisset. Cum eos dolore affici existiment, contristantur verbisque affectum produnt, quo commoventur: immo ad opem iisdem ferendam pronæ sunt, nec ab iis abstinent, quæ ad dolores leniendos & vulnus sanandum faciunt. Immo qui animalia omnia, quæ hominibus noxia non sunt, amore quodam universali complectitur, qualis est eorum, qui omne humanum genus amore prosequuntur, ad benefaciendum singulis proni, ad nemini ægre faciendum apti, nisi ad iram ipsorum opinione justam provocati fuerint; illos tristitia commoveri videas, si quid mali ipsorum opinione acciderit animali cuicunque, quo ipsi tædium ac dolor creatur.

Non mirum, si animalium brutorum perinde ac hominum commiseremur, cum hominum non commiseremur quatenus homines sunt, sed quatenus dolore ac tristitia anguntur atque a nobis amantur: quod utrumque etiam in brutis communi saltem opinione locum habere constat, sit ita quod *Cartesiani* bruta in veras machinas convertentes aliter sentiant. Non obstat eorum theoria, ut, cum affectus ex confusis ideis oriantur, ipsimet exempli loco esse possint, ubi de propositione præsente confirmanda agitur.

§. 702.

Commiserationem locum habeat circa res inanimatas.

Si res inanimatæ, quas amamus, destruuntur vel quomodocunque deteriorantur; earum quasi commiseramur. Si enim res inanimatas amamus, animus dispositus est ad voluptatem ex ipsis percipiendam (§. 657), consequenter ex earum destructione ac deterioratione tædium percipiendum (§. 614), immo ad tristitiam ob utramque (§. 619). Quamobrem cum ejus commiseremur, ex cujus infelicitate tædium capimus, vel ob cujus infelicitatem tristitia afficimur (§. 687), infelicitatis autem loco in rebus inanimatis, in quas tædia ac tristitia non cadunt, loco fit earum destructio ac deterioratio (§. 637); rerum inanimatarum, quas amamus, quasi commiseramur, ubi destruuntur, vel quomodocunque deteriorantur.

Idem

Idem etiam fic oftenditur. Si rem inanimatam amamus, ex ea voluptatem percipimus (§. 657)), adeoque indignam quaſi judicamus, quæ deſtruatur, vel deterioretur, cum tunc non amplius voluptatem ex ea haurire queamus. Enimvero ſi quem indignum judicamus malo, quo affligitur, ejus commiſeramur (§. 695). Ergo ſi res inanimata, quam amamus, deſtruitur, aut quomodocunque deterioratur, ejus quaſi commiſeramur.

Confirmatur etiam propoſitio præſens a poſteriori. Ponamus enim aliquem amare imaginem, quæ eſt alterius, non ſua. Quodſi nævum quendam contrahat caſu quodam; perinde nos miſeret ejus ac ſi homini cuidam, quem amamus, mali quidpiam accidiſſet. Unde etiam audias affirmantes, quod tanta afficiantur triſtitia ob ſiniſtrum imaginis caſum, quanta non afficerentur, ſi vel filio ſuo mali quidpiam accidiſſet. Luget caſum ſiniſtrum imaginis eodem modo, quo fata amici ſiniſtra lugere ſolemus. Exempla etiam præbent vaſa aliena fragilia, quæ amamus ſive ob pulchritudinem, ſive ob raritatem, ubi franguntur. Pertinet huc, quod ſaepius homines ſuam erga res inanimatas commiſerationem iisdem verbis teſtentur, quibus utuntur, quando eandem erga homines exprimunt.

Affectus ex ideis confuſis oriuntur (§. 605), in quibus res animatas ab inanimatis non diſtinguimus quoad rationem commiſerationis, ut adeo, dum talia rebus inanimatis accidere obſervamus, quæ homini mala exiſtimamus, poni poſſit commiſerationis ratio ſufficiens, conſequenter & ipſa commiſeratio (§. 118. *Ontol.*). Adeſt nempe utrobique idea mali non noſtri, adeoque alieni; adeſt amor ejus rei, in qua nobis malum iſtud repræſentamus. Adeſt igitur commiſerationis ratio ſufficiens. (§. 688).

§. 703.

Ex dictis apparet, quo ſenſu *rerum inanimatarum commiſerari* dicamur. Eſt nempe *Commiſeratio*, quæ homini tribuitur, reſpectu rerum inanimatarum, triſtitia ob deſtructionem *Commiſeratio rerum inanimatarum.*

nem, vel deteriorationem rei, opinione noſtra deſtructionis, vel deteriorationis indignæ.

Commiſeratio oritur, ſi alterum indignum judicamus malo, quo affligitur (§. 695). Malum aliud rebus inanimatis accidere nequit, quam ſi deteriorentur, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad uſum, aut prorſus deſtruantur (§. 665): ſolenne nimirum eſt hominibus, quamdiu imaginationi litantur, de rebus inanimatis non ſecus judicare ac de animatis. Deteriorantur autem res quoad uſum, ſi ad viliorem transferuntur, cum nobiliori ab opifice deſtinentur. Quodſi ergo judicamus, res mereri ut conſerventur integræ, nec deteriorentur, ac indignum eſſe uſu ignobiliori, cui aliæ viliores adhiberi poſſunt: ea utique adſunt, quæ ad commiſerationem excitandam ſufficiunt.

§. 704.

Commiſeratio erga bruta.

Quodſi quis animantia bruta rebus inanimatis æquiparet, quatenus ſcilicet non conſiderantur tanquam tædii capacia, ſed tanquam ea, quibus mali quidpiam accidere poteſt, vel quod deteriorentur ſive quoad ſubſtantiam, ſive quoad uſum, vel quod prorſus deſtruantur; *commiſeratio erga ea eadem eſt, quæ erga res inanimatas ſeſe exerit*: id quod inde patet, quod tunc animalia bruta inſtar rerum inanimatarum nobis repræſentemus. *Quodſi* vero eadem *animantia bruta hominibus æquiparantur*, quatenus ſcilicet exiſtimamus ea perinde ac homines malo, quod ipſis accidit, affligi ac dolore torqueri; *commiſeratio eadem eſt qua erga homines utimur*, id quod denuo inde patet, quod tunc bruta animantia inſtar hominum nobis repræſentemus, quatenus ad hunc affectum ſufficit.

Singulis hiſce experientia conſentanea eſt, modo ad ea, quæ inter homines quotidie accidunt, attentionem afferas, nec indigna judices, quæ expendantur, generalibus, quæ iſtis inſunt, ſolerter abſtractis.

§. 705.

Invidiæ definitio.

Triſtitia ex alterius felicitate percepta dicitur *Invidia*. Et quoniam triſtitia in prædominio tædii inſigni conſiſtit (§. 613); tædi-

Digitized by Google

tædium quodcunque ex infelicitate alterius perceptum Invidiæ nomine venit.

Quæ supra ad definitionem commiserationis annotavimus, etiam huc trahenda sunt.

§. 706.

Si quis alterum odit, ei felicitatem invidet. Etenim si alterum odit, ex ejus voluptate (§. 660), consequenter felicitate (§. 638), tædium percipit, immo contristatur, quod alter gaudet (§. 667). Quare cum tristitia, vel tædium ex alterius felicitate perceptum sit invidia (§. 705); qui alterum odit, ei felicitatem invidet. *Fons invidiæ.*

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus enim Titium odio prosequi Mevium, ipsique narrari, quod is matrimonium cum virgine divite contraxerit. Ecquis est, qui nesciat hanc narrationem tædio fore Titio, immo eandem prorsus contristatum iri quod ejus opinione adeo felix sit Mevius. Tum vero invidet Mevio tantam felicitatem, atque adeo evidens est, Mevio invideri a Titio infelicitatem, quod eum odio prosequatur. Et sane videmus tanto majorem esse solere invidiam, quanto majus odium est, quod adversus alterum concepimus.

§. 707.

Qui alterum odit, ea, quæ bona existimat, alteri invidet. Qui enim alterum odit, is ei felicitatem invidet (§. 706), consequenter voluptatem omnem (§. 638). Quamobrem cum quid tanto majus bonum videatur, quanto major est voluptas, quæ ex eo percipitur (§. 612); qui alterum odit, ei bonum promiscue omne invidet, quod scilicet tale est opinione ejus, qui odio prosequitur alterum (§. 605). *Vlterius experditur.*

Quæ ad confirmandam propositionem præcedentem in medium adducta fuerunt, ad præsentem quoque trahenda sunt. Quod enim ad felicitatem alterius referimus, idem bonum esse opinione nostra nemo non novit. Et sane quis est, qui matrimonium cum

cum virgine divite non referat in numerum bonorum, si felicem existimat eum, qui istiusmodi matrimonium contrahit?

Affectus omnes sequuntur opinionem ejus, quem invadunt. Idem igitur in invidia quoque obtinere debet.

§. 708.

Defectus invidiæ.

Si quis alterum non odit, is nec eidem invidet, quæ bona existimat. Quodsi enim alterum non odit, nec animus ejus dispositus ad percipiendum tædium, seu tristitiam ex alterius voluptate (§. 667), adeoque nec tædium seu tristitiam percipit ex alterius felicitate (§. 638), neque etiam ex iis, quæ bona existimat (§. 612); consequenter ei non invidet, quæ bona existimat (§. 705).

Idem confirmatur a posteriori. Quodsi enim invidiam cuidam objicias, se excusat hoc nomine, quod nesciat, eccur alteri invidere debeat sua bona, cum nullo in ipsum odio laboret. Absentiæ adeo odii tribuit defectum invidiæ, propterea quod unusquisque in se experitur, ubi vacuum ab odio habuerit animum, eundem queque invidia nulla tangi, quam odii continuo comitem alias esse novit.

§. 709.

Absentia invidiæ.

Si quis alterum amat, is ei non invidet quæ existimat bona. Qui enim alterum amat, is ex ejus voluptate voluptatem percipit, ac ideo gaudet, quod gaudet alter, ubi idem fuerit de objecto gaudii judicium (§. 640), immo voluptatem ejus appetit (§. 651), eandemque eidem creare studet (§ 662). Quamobrem cum impossibile sit, ut ex alterius voluptate eodem respectu simul & tædium, & voluptas percipiatur (§. 511. 518); qui alterum amat, ex ejus voluptate, consequenter felicitate (§. 638), tædium percipere nequit, multo minus ob eandem tristitia afficitur (§. 619). Non igitur invidia laborat (§. 705), neque adeo invidet alteri, quæ bona existimat.

Differt casus præsens a præcedente. Etenim in præcedente tantummodo deficit invidiæ ratio sufficiens; in præsente adest impedimen-

Digitized by Google

mentum, quo minus invidia oriatur. Differentia hæc magnum momentum habet in praxi: id quod ex iis intelligitur, quæ paulo superius in casu simili (*ad* §. 690) annotata sunt.

§. 710.

Si quis alteri non invidet quæ existimat bona, is eum aut amat, aut non odit. Si quis enim alteri non invidet quæ existimat bona, ex ejus felicitate tædium nullum percipit, ac multo minus ob eandem contristatur (§. 705), consequenter nec tædium percipit ex voluptate alterius (§. 638), adeoque eum non odit (§. 667). *Signum amoris ac odii deficientis.*

Enimvero fieri potest ut, qui ex alterius felicitate tædium nullum percipit, ex eadem voluptatem percipiat. Quoniam igitur is, cui ita dispositus est animus, alterum amat (§. 633); si casus iste obtinet, quando quis alteri non invidet, quæ existimat bona, is eum amat.

Patet ex demonstratione propositionis præsentis statum indifferentiæ obtinere respectu invidiæ in eo casu, quo quis alterum non odit, nec tamen amat; in duobus autem subjectis differre statum animæ, si invidiæ absentia vel ex odii absentia, vel amoris præsentia oritur.

§. 711.

Si quis alteri invidet quæ bona existimat, eum odit. Si quis enim alteri invidet quæ bona existimat, is ex infelicitate alteritus (§. 705), consequenter ex voluptate ejusdem (§. 638), tædium percipit. Eum igitur odit (§. 668). *Odii signum.*

Est adeo odii signum invidia (§. 952. *Ontol.*), quam absque odio dari impossibile.

§. 712.

Si quis alteri invidet, quæ bona existimat, is eum bono, quo potitus est, indignum judicat. Qui enim alteri invidet quæ bona existimat, is eum odit (§. 711), adeoque voluptatem ejus aversatur (§. 670), ac quo minus ea perfundatur animus ejus impedire studet (§. 671). Eum igitur bono, quo potitus est, vel quod possidet, indignum judicat (§. 612). *Effectus invidiæ.*

Digitized by Google

Idem confirmatur a posteriori. Nihil enim communius est verbis hominum invidia erga alios laborantium, quibus alios bonum, quo potiti sunt, non promeruisse pronunciant, eos eodem indignos judicantes.

Sane si dignos judicarent bono alios, quod iisdem contigit, minime contristari possent ex eo, quod alteri bene sit.

§. 713.

Invidiæ causa.

Si quis alterum bono, quo potitus est, vel fruitur, indignum judicat: invidia oritur. Si quis enim alterum bono, quo potitus est, vel fruitur, indignum existimat, is omnino bonum, quatenus alterius est, aversatur, ac si per se staret averteret, consequenter malum alterius appetit, adeoque & tædium (§. 613) atque tristitiam (§. 619). Eum igitur odit (§. 669. 672), adeoque & invidet bona, quibus potitur, vel fruitur (§. 707).

Experimur idem in nobis, quoties invidia oritur. Haud obscure enim observamus, affectum invidiæ præcedere judicium de bono, quo potitur, vel fruitur alter, & neutiquam alterum indignum existimare bono isto. Sane non invidemus alteri bonum, quod non cognoscimus, vel non agnoscimus, nec expendimus, utrum eodem dignus sit, nec ne. Hinc audias verba, quæ invidia extorquet, hominem istum non esse dignum tanto bono. Immo si quis invidiam excusat, non aliam allegat rationem quam quod indignus sit bono, quo potitur, vel fruitur, atque hanc indignitatem probaturus bonum exaggerat, personam vero ejus, ad quam pertinet extenuat, immo vituperat. Haud obscure vero hinc simul liquet, quod invidiam præcedat odium. Etenim displicet nobis bonum in altero, non uno ex capite: id quod in præsente non inquirimus. Ergo ex eo, quod displicet, nascitur odium (§. 677). Hinc vero sequitur tristitia, vel tædium, quod ex alterius bono percipitur, adeoque odium gignit invidiam (§. 708), mediante quidem judicio de indignitate personæ. Nimirum odium

Digitized by Google

odium nos impellit ad aversandum bonum alterius, quatenus alterius est (§. 676), tanto magis, quanto majori voluptati hoc ipsi esse existimamus (§. 612.). Quoniam itaque ita compellimur ad judicium, quoad malum sit alterum potiri, vel frui hoc bono (§. 582), consequenter ad judicium de indignitate ipsius, neque enim malum existimamus alterum potiri, vel frui bono, nisi quatenus eum indignum judicamus, qui eodem potiatur, vel fruatur: ea singula in se experitur, qui in casu nascentis invidiæ animum ad semetipsum advertit, nec eo destituitur acumine, quod ad talia pervidenda requiritur.

Ex propositione præsente discimus, quandonam in nobis invidia oriatur, & quænam ad eam excitandam prærequirantur. Non persequimur jam ea, quæ hinc pendent, cum in Moralibus uberius de hisce futurus sit dicendi locus.

§. 714.

Invidia oritur, si alterum indignum judicamus bono, quo potitur, vel fruitur. Patet definitionis veritas per propositiones præcedentes (§. 712. 713). *Invidiæ definitio realis.*

Quodsi forte desideres in definitione hac invidiæ reali non exprimi odium, quod tamen veluti parens invidiæ est, quemadmodum ex iis clarissime perspicitur, quæ ad confirmandam propositionem præcedentem a posteriori in medium adduximus, principiis nostris in anterioribus stabilitis prorsus consentanea; scrupulus eodem modo eximitur, quo supra (*not.* §. 695) similem in casu simili eximimus. Nimirum ex iis ipsis, quæ ad propositionem præcedentem dicta sunt, patet fieri non posse ut alterum indignum judices bono, quo potitur, vel fruitur, nisi quatenus eum odit. Quodsi excipias fieri haud raro solere, ut etiam alteri invideamus bonum, quo potitur, vel fruitur, etsi eundem amemus; difficultas hæc, etsi primo intuitu haud levis videatur, facillime tamen tollitur. Constat enim nos eandem personam ex diversa causa amare posse, ac odisse, prout ea, cum quibus nobis negotii est, vel ad causam amoris, vel odii referuntur.

§. 715.

Definitio tam nominalis, quam realis invidiæ significatus *Significatus revocabuli*

Invidia num usui loquendi conformis.

recepto ac communi usui loquendi conformis. Definitionem realem deduximus ex nominali, quemadmodum & in theoria ceterorum affectuum factum est, ac in sequentibus a nobis fiet. Quamobrem & hic, & in sequentibus palam est, definitionem nominalem usui loquendi conformem esse debere, si realis eidem convenit & ex adverso realem abhorrere ab eadem non posse, si nominalis ipsi respondet. Id hic repetiisse sufficiat, ne praeter necessitatem repetendum sit, quod semel dictum vel aliquoties memoria retineri potest, ut ubivis nobis succurrat, quando ejusdem meminisse debemus. *Matthias Martinius* in Lexico philologico ex *Perotto* allegat, quod invidere proprie sit ex alicujus rebus secundis dolore affici. Facile apparet dolorem hic non sumi proprio in significatu, quo corpori tribuitur, nec animae competit nisi ejus respectu (*§.* 539); sed in sensu improprio, quatenus animae tribuitur independenter a damno quodam corpori illato. Nihil ergo aliud vocabulo isto denotari potest quam voluptatis oppositum, quod nos tædii nomine insignivimus (*not. §.* 518), & in cujus praedominio insigni tristitia consistit (*§.* 619). Perinde igitur est ac si *Perottus* asseret, quod invidiae proprie sit ex alicujus rebus secundis tadio ac tristitia affici. Atque hoc pacto invidia erit tristitia, vel tædium ex alterius rebus secundis perceptum. Enimvero quis est qui nesciat res secundas referri ad felicitatem hominis, cum eae dicantur, quae voluptatem homini creant & ex quibus gaudio afficitur, consequenter quae hominem vel felicem reddunt, vel saltem felicem reddere existimantur (*§.* 636)? Juxta *Perottum* itaque invidere proprie idem est ac ex alterius felicitate tristitia, vel tædio affici: id quod cum definitione nostra nominali prorsus consentit. Nec ab ea alienus est *Priscianus*, qui invidere idem esse affirmat ac non ferre alterum bene agentem videre. Bene agere nimirum, rebus secundis uti & felicem esse eundem hominis statum denotant. Qui vero ferre nequit, quod alterum rebus secun-

secundis uti, vel felicem esse videat, ita ut quasi ægre fiat oculis, si in felicitatem alterius convertantur; is utique ex eadem tædio, vel tristitia afficitur. *Cicero*, observante *Manutio* invidentiam appellat, quod nobis invidia est, eaque dolorem ex alienis bonis denotari idem *Manutius* monet: id quod cum nostra definitione nominali prorsus convenire per antecedentia manifestum. Autores isti, qui literas humaniores excoluere ac in eo studiorum genere celebritatem nominis sunt consecuti non alias habuere notiones, quam quæ communi usui loquendi respondent, & vi rationum etymologicarum significatum vocabulorum ad communem usum loquendi aptare solent. Quamobrem ex dictis abunde patet, definitionem nostram invidiæ nominalem communi usui loquendi apprime convenire. *Cartesius* in Tractatu de passionibus animæ part. 2. art. 62. definitionem realem invidiæ condit, quod scilicet oriatur ex eo, quod alterum indignum judicemus bono, quod ipsi præsens est, vel quod certo extiturum existimamus, ut veluti jam præsens nobis idem repræsentemus. Definitio igitur *Cartesii* realis eadem est cum ea, quam nos ex nominali nostra deduximus (*§.* 713). Quamobrem cum usu loquendi communi non minus, quam cum nobis consentit *Cartesius*.

Diximus *Ciceronem* affectum, de quo nobis sermo est, invidentiam appellare. Rationem reddit *Manutius*, quod in definiendis animi morbis (per quos affectus intelligit) anceps invidiæ vocabulum vitare voluerit, quippe quod designet non modo dolorem ex alienis bonis, verum etiam infamiam ex adversa fama & publicam pravitatis alicujus opinionem, ut adeo nonnulli invidiam quoque pro odio sumi existimaverint. Enimvero cum nos vocabulum invidiæ nunquam usuri simus nisi in eo significatu, quem ipsi vi definitionis vindicavimus, nobis ambiguitas vocabuli parum obstat. Quænam vero inter odium ac invidiam agnatio intercedat, ex antea demonstratis abunde patet.

§. 756.

Qui alteri bonum, quo fruitur, aut quod est conferendum, vidia. *Effectus in-*

dum, invidet, is pronus est ad eum bono illo privandum, aut quo minus hoc obtineat impediendum. Si quis enim alteri invidet bonum, quo fruitur; is eum eodem indignum judicat (§. 712), consequenter mallet eundem bono isto destitui. Quamobrem si potest lubens conferet, quod ad eum bono isto privandum facere potest, adeoque ad id pronus est.

Similiter si quis alteri invidet bonum, quod eidem conferendum; eum indignum judicat, cui id conferatur (§. 712), consequenter mavult, ut idem non obtineat. Quamobrem pronus est ad impediendum, si potest, quo minus id obtineat alter.

Confirmatur idem a posteriori. Ponamus Mevium invidere Titio sponsam divitem: ecquis nescit, eum convitia congerere in Titium ac propalare famæ ipsius adversa, quæcunque noverit, immo quæ de ipso novit in malam partem vertere, ne quicquam eorum prætermittat, quæ ad sponsalia disolvenda facere posse videntur? Quicquid sit, si vel maxime inanis sit omnis ejus conatus, ab eo tamen non abstinet, ne desit voluntas, etsi desint vires. Atque hoc ipso omnium clarissime perspicitur, quomodo invidia nos efficiat pronos ad privandum alios bono, quo fruuntur, vel quo potiti sunt. Ponamus Titium sponsalia nondum celebrasse, sed demum ambire. Quodsi Mevius invideat eidem sponsam, quam ambit, perinde ac in casu anteriori sparget rumores Titio adversos, ut sæpissime nec a calumniis sibi temperet, præsertim ubi difficulter impediri posse existimat, ne sponsa petita Titio maneat. Exempla, quibus propositionis præsentis veritas confirmatur, notiora sunt, quam ut plura coacervari opus sit. Id tantummodo notandum venit, variari nocendi studium pro diversitate hominum, ita ut nunc majus, nunc minus ex invidia procedat: cujus quidem differentiæ ratio in casu singulari haud difficulter datur, modo præter affectuum theoriam habitus quoque morales fuerint perspecti.

Ha-

Digitized by Google

Habitus istos morales explicabimus suo tempore in Ethica. Et theoria verioris Ethicæ cum Psychologia empirica conjungenda, ubi rationem reddere volueris diversitatis, quæ in hominum opinionibus & appetitibus circa idem objectum obtinet.

§. 717.

Signum odii ac invidiæ.

Qui alterum bono, quo fruitur, privare studet, vel impedire conatur, quo minus bono quodam fruatur, ipsius quidem, non sui aut tertii cujusdam gratia; is alterum aut odit, aut ei bona quæ existimat invidet. Qui enim alterum privare studet bono, quo fruitur, ipsius quidem, non sui, aut tertii cujusdam gratia, is id vel ideo facit, quod ferre nequeat voluptatem, quam inde percipit qui eodem fruitur, vel quod novit, eum ex jactura boni tædium, immo tristitiam percepturum, utque hoc fiat, maxime velit. Quodsi voluptatem ferre nequit, quam ex bono, quo fruitur, percipit alter; is sibi repræsentare debet tanquam malum, quod alter voluptate fruatur, vel prorsus gaudeat (§. 583), consequenter ex voluptate ejusdem tædium tanto majus percipere debet, quanto magis sibi videtur malum, quod alter voluptate fruatur, vel gaudeat. Quoniam igitur ex alterius felicitate tædium, vel tristitiam percipit (§. 638); quæ bona existimat ei invidet (§. 705). Quodsi quis maxime velit, ut alter ex jactura boni, quo fruitur, tædium, vel tristitiam percipiat, is sibi repræsentare debet tanquam bonum, quod alter tædio, vel tristitia affligatur (§. 579), consequenter ex tædio ac tristitia alterius tanto majorem percipere debet voluptatem, quanto magis sibi videtur bonum, ut alter tædio ac tristitia afficiatur (§. 612). Quoniam igitur ex alterius infelicitate voluptatem percipit (§. 639); eum odit (§. 661). Patet igitur, qui alterum bono, quo fruitur, privare studet, eum vel odisse alterum, vel eidem invidere quæ existimat bona.

Quodsi quis impedire conetur, quo minus alter potiatur bono, quod consequi studet, vel quo mactandus videtur; eodem prorsus, quo ante, modo ostenditur, quod alterum vel oderit, vel ei quæ bona existimat invideat.

His

Hos duos casus cum non satis vulgo distinguant ex notionibus confusis de rebus judicantes, invidiæ tribuere solent, quod odio erat tribuendum, immo ex adverso subinde odio tribuunt, quod invidiæ tribui debebat. Non igitur inconsultum est, ut eadem accuratius distinguamus.

§ 718.

Invidiæ signum.

Qui alterum bono, quo fruitur, privare studet, vel impedire conatur, quo minus bono quodam potiatur, quod ferre non possit voluptatem, quam alter inde percipit, is alteri invidet quæ bona existimat. Demonstratio jam actu continetur in ea præcedentis.

Confirmatur idem a posteriori. Ponamus enim Mevium sponsalia celebrare cum virgine divite ac Titium omnem movere lapidem, ut ea impediat, hanc reddens rationem, quod Mevius indignus sit tantis divitiis, & exaggerans vitæ futuræ rationem, tanquam inconvenientem istiusmodi personæ, qualis sit Mevius. Nemo non inde colligit invidiam Titii adversus Mevium, citra omnem hæsitationem affirmans, insidias a Titio strui Mevio ex mera invidia.

Probe notandum, dum propositiones a posteriori confirmamus, nos sæpius non aliud intendere quam ut ostendamus, eas esse notionibus communibus consentientes, adeoque in iisdem distincte explicari, quæ vulgo confuse percipiuntur, ut amplior ac certior notionum communium evadat usus.

§. 719.

Odii signum.

Si quis alterum bono, quo fruitur, privare, vel quo minus eodem potiatur, impedire studet, ut ipsi ægre fiat; is eum odit. Demonstratio propositionis præsentis jam actu continetur in demonstratione anterioris (§. 717).

Confirmatur eadem a posteriori. Ponamus eundem casum, quo ad propositionem præcedentem illustrandum ac confirmandum usi sumus, scilicet quod Mevius cum virgine divite sponsalia contrahere intendat. Ponamus porro Titium id quovis modo impedire conari ac hunc exultantem prædicere

Digitized by Google

cere tædia in Mevium ex eo redundatura, quod consilia sua irrita experiatur. Evidens omnino est, eum satis palam prodere animum ad voluptatem ex alterius tædio ac tristitia percipiendam dispositum, consequenter odium, quo adversus Mevium flagrat (§. 672). Nemo non exinde odium Titii adversus Mevium colligit, hanc urgens rationem, quod non alia intentione felicitati alterius obicem ponat, quam ut eidem ægre fiat. Ideo sane affirmant unanimiter omnes, Titium ex mero odio fortunas Mevii evertere studere.

Eædem actiones hominum ex diversis fontibus profluere possunt. Ex motivis autem agnoscitur, ex quonam fonte propullulent: id quod in Moralibus inprimis attendendum venit.

§. 720.

Si quis alterum dignum judicat bono, quo fruitur, aut quo potiri debet: is de eo gaudet. Quodsi enim quis alterum dignum judicat bono quo fruitur, aut quo potiri debet; is bonum judicare debet, quod alter bono isto fruatur, vel eodem potiri debeat (§. 579). Ex hoc igitur bono tanto majorem percipere debet voluptatem, quanto magis ipsi videtur bonum, ut alter illo fruatur, vel potiatur (§. 612). Quamobrem cum prædominium insigne voluptatum gaudium sit (§. 614); ubi plurimum voluptatis percipit (qui casus in doctrina affectuum supponitur), prorsus gaudet. Qui igitur alterum dignum judicat bono, quo fruitur, aut quo potiri debet; ex eodem gaudio afficitur. *Gaudii causa.*

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus Mevio collatum esse munus, quod ornare potest. Si eum dignum judicamus, quod ad hoc munus fuerit evectus; non alium affectum, si quis oritur, oriri experimur, quam gaudium: id quod his verbis exprimere solemus, quod nobis tanto gaudio id sit, ac si ipsimet ad dignitatem aliquam evecti fuissemus, vel ipsimet ad munus istud promoti essemus.

Nullus igitur peculiaris affectus gignitur ex eo, quod alterum dignum judicamus bono, quod ipsi est; quemadmodum peculiaris qui-

quidam affectus oritur ex eo, quod alterum indignum judicamus bono, quo gaudet, scilicet invidia (§. 713).

§. 721.

Signum amoris. *Si quis alterum dignum judicat bono, quo fruitur, vel quo potiri debet, is eum amat.* Quodsi enim quis alterum dignum judicat bono, quo fruitur, aut quo potiri debet, is ideo gaudet (§. 701), consequenter gaudet, quod alteri sit materia gaudendi (§. 624). Eum igitur amat (§. 641).

Liquet idem a posteriori. Ponamus enim Mevium sponsalia celebrare cum virgine divite & Titium eum impense amare. Gaudebit Titius insigniter, non secus ac si sibi ingens quoddam bonum oblatum fuisset. Quodsi quæsiveris, cur tantopere gaudeat, hanc inprimis reddet rationem, quod dignum judicet Mevium, cui tanta obtingat felicitas, nimius in recensendis argumentis, quibus id adstruat. Constat vero quod eundem amet ex ipsa amoris definitione (§. 633). Ergo a posteriori quoque colligitur, quod is alterum amet, qui eum dignum judicat bono, quo fruitur, aut quo potiri debet.

Probe notandum est, quando alterum dignum judicamus bono, quo fruitur, vel quo potitur, non ex rei veritate procedere judicia; sed ea magis consistere in approbatione ejus, quod fit. Probamus in casu dato, quod fortuna faveat Mevio in sponsalibus celebrandis ac Mevium eum esse judicamus, cui favere debeat. Rationes, quæ nobis idem persuadent, eædem sunt, ob quas amorem oriri supra ostendimus (§. 645. & seqq.).

§. 722.

Causa gaudii. *Si quis alterum dignum judicat malo, quo affligitur, vel quod ipsi imminet; is ideo gaudet, in eo scilicet casu, quo affectus quidam oritur.* Si quis enim alterum dignum judicat malo, quo affligitur, vel quod ipsi imminet, is bonum judicat, quod alter malo affligatur (§. 579), consequenter ex eo, quod alter malo affligitur, vel quod ipsi malum quoddam imminet, tanto majorem voluptatem capit, quo magis bonum judi-

Digitized by Google

judicat, ut alter eodem affligatur (§. 612), consequenter in eo casu, quo affectus oritur, gaudet (§. 614).

A posteriori idem confirmatur inde quod, quando quis gaudio afficitur ex eo, quod alteri adversi quid accidat, quæsitus cur gaudeat respondere soleat, mereri alterum, qui magis adhuc affligatur, recensens rationes quibus sibi persuadet ac alteri se persuadere posse existimat, quod idem mereatur. Exempla quotidie obvia sunt, ut ad eadem attentionem excitasse sufficiat. Haud difficulter quod ad præcedentem propositionem attulimus ita immutatur, ut ad præsentem quadret.

Non igitur peculiaris quidam affectus oritur ex eo, quod alterum dignum judicemus malo, quo affligitur, cum gaudium istud ad odium pertineat (§. 663): id quod ex propositione sequente luculentius constat.

§. 723.

Si quis alterum dignum judicat malo, quo affligitur, vel quod ipsi imminet, is eum odit. Quodsi enim alterum dignum judicat malo, quo affligitur, vel quod ipsi imminet; ideo gaudet (§. 722), consequenter gaudet, quod alter habeat, cur tristitia afficiatur (§. 623). Eum igitur odit (§. 625). *Signum odii.*

Si quis alterum indignum judicat bono, quo fruitur, vel quo potitur, is eum aut amat, aut odit, aut nec amat, nec odit. Ponamus, quod eum amet. Eidem igitur voluptatem creare ac tædium ab eo avertere studebit (§. 652), consequenter ei opem feret, ut bono, quod gaudendi materiam præbet (§. 624), potiatur, nec præsente privetur (§. 612). Impossibile igitur est, ut maxime velit eum bono, quo fruitur, privari nec eundem bono, quod consequi studet, potiri, consequenter ut eum indignum judicet bono, quo fruitur, vel quo potiri conatur (§. 28. *Ontol.*). Patet igitur, quod alterum amare nequeat, qui eum indignum judicat bono, quo fruitur, vel quo potitur.

Digitized by Google

Ponamus jam porro, eum, qui alterum indignum judicat bono, quo fruitur, vel quo potitur, ipsum nec amare, nec odisse. Quoniam alterum nec amat, nec odit, nec ex alterius felicitate, consequenter voluptate (§. 638), adeoque eo, quod bonum alteri existimat (§. 612), voluptatem capit, (§. 633), nec ex infelicitate, consequenter tædio (§. 639), adeoque eo, quod malum alteri existimat (§. 613), voluptate afficitur (§. 661). Animo igitur indifferente est erga alterum, nec bonum judicans, ut ipsi bene sit, nec bonum existimans, ut eidem ægre sit (§. 612). Eum adeo indignum judicare nequit bono, quo fruitur, vel quo potitur. Atque ita patet, qui alterum nec odit, nec amat, eum indignum bono, quo fruitur, vel quo potitur, judicare non posse.

Quoniam itaque fieri nequit, ut, qui alterum indignum judicat bono, quo fruitur, vel quo potitur, eum amet, aut nec amet, nec oderit; necesse est ut eundem oderit.

Demonstrationem posteriorem prolixiorem priori evidentiæ gratia addidimus, cujus in rebus psychologicis & moralibus maxime habenda ratio est, ut hoc nomine prolixiores sæpius præferendæ sint brevioribus.

§. 724.

Invidia ac odium cur se mutuo comitentur.

Quoniam invidia oritur, si quis alterum bono, quo fruitur, vel quo potitur, indignum judicat (§. 713); alterum vero is quoque odit (§. 723); *invidia ac odium individui comites sunt.*

Patet idem jam ex superioribus (§. 711), quod alterum oderit, qui ipsi invidet quæ bona existimat.

§. 725.

Invidia adversus animalia bruta.

Si quis animalis cujusdam bruti statum meliorem suo existimat; is ei eundem invidet. Etenim qui statum bruti comparat cum statu suo, ac illum bonum, hunc malum existimat, adeoque illum appetit, hunc aversatur (§. 579. 581), ut adeo sibi potius convenire istiusmodi statum judicet, qui est animalis bruti; is utique tædium percipiet ex statu animalis tanto majus,

Digitized by Google

jus, quanto magis malum judicat, quod bruto conveniat iſte ſtatus, ipſe vero eodem privetur (§. 613). Tædium adeo percipit ex voluptate, quam bruto tribuit, conſequenter ex ejus felicitate (§ 638), adeoque eandem ipſi invidet (§. 705).

Probatur idem a poſteriori. Ponamus enim homini inopi denegari eleemoſynam ab eo, qui canibus cibos devorandos objicit, quos ille cupediarum loco haberet. Nemo non novit, illum invidere canibus ſortem ſuam, ac invidiam iisdem verbis teſtari, quibus eam erga homines prodere ſolemus.

Nemo ſtatum bruti ſuo meliorem judicat, niſi qui ſuo minime contentus eſt. Unde exempla, quibus præſens illuſtratur propoſitio, ab iis præſertim perſonis petuntur, quæ ſe miſeros exiſtimant. Per ſe autem patet, ſtatum bruti eum eſſe debere ut non impoſſibile quis judicet ſe in eodem collocari, vel idem ſaltem tacite ſupponat. Et hic non ſemper reſpicimus ad ſtatum iſtum in ſingulari, ſed ſæpiſſime tantummodo in univerſali, ita ut ſimilem ſtatum, mutatis mutandis ſuum eſſe vellet, qualem alicui bruto convenire exiſtimat.

§. 716.

Si quis brutum aliquod indignum judicat bono, quo opinione ſua fruitur; invidia adverſus ipſum oritur. Si quis enim brutum indignum judicat bono, quo opinione ſua fruitur; is maxime vult, ut eodem, ſi fieri poteſt, privaretur, ſaltem maller idem eodem carere. Malum igitur judicat, quod brutum eodem gaudeat (§. 581), conſequenter ex eo tanto majore tædio afficitur, quanto magis malum judicat, quod brutum eodem gaudeat (§. 612). Tædium adeo percipit ex felicitate, quam bruto tribuit (§. 638), conſequenter invidia adverſus ipſum corripitur (§. 705). *Invidia adverſus bruta cauſa.*

Idem oſtenditur hoc modo. Si hominem indignum judicamus bono, quo fruitur, vel potitur, invidia adverſus ipſum oritur (§. 713). Enimvero tum hominem non conſideramus tanquam hominem, hoc eſt, eum nobis non repræſentamus tanquam ens ratione præditum, qua maxime differt a bruto; ſed tanquam ens, quod fruitur, vel potitur eo, quod noſtra opi-

Digitized by Google

nione ipsi bonum est, sed quo tamen idem indignum existimamus. Quamobrem cum id, quod bruto est, bonum existimamus ac idem eodem indignum judicamus; brutum eodem modo nobis repræsensamus, quo in casu nascentis invidiæ hominem nobis repræsentare solemus. Invidia igitur adversus brutum nasci debet (§. 118. *Ontol.*).

Confirmatur etiam a posteriori. Obvia inprimis sunt exempla in canibus, qui si lautis cibis pascantur, iisdem indigni judicantur a nonnullis. Qui vero ita sentiunt, invidiam adversus ipsos flagrantem in se experiuntur. Exempla alia in medium non adducimus, cum satis obvia sint.

§. 727.

Quasi invidia in res inanimatas.

Si quis in re inanimata quid deprehendit, quo eandem indignum existimat, id eidem quasi invidet. Quodsi enim quid in re inanimata deprehendimus, quo eandem indignam existimamus; nostra quidem opinione malum est, quod id eidem conveniat, consequenter exinde tædium tanto majus percipimus, quo magis malum existimatur, quod eidem ipsi insit (§. 613). Quoniam igitur ex eo, quod bonum existimat, idem tædium percipit, quia alteri inest; idem ei quasi invidet (§. 705).

Hanc quasi invidiam cadere in homines experientia loquitur. Fluit ex eodem studium privandi eo rem inanimatam, quo eam indignam judicamus, vel ubi id fieri non potest, saltem privandi voluntas: in quo quasi invidia convenit cum vera invidia (§. 716).

§. 728.

Invidia erga res inanimatas.

Ex dictis apparet, quomodo invidia erga res inanimatas oriatur, & quo sensu homini ea tribuatur. Est nempe *Invidia* quæ homini tribuitur, erga res inanimatas tristitia, vel saltem tædium ex eo, quod ipsius opinione iis bonum inexistit, perceptum. Oritur autem *Invidia in res inanimatas*, si eas indignas judicamus bono, quod nostra opinione iisdem inexistit.

Defi-

Digitized by Google

Definitio realis invidiæ erga res inanimatas coincidit cum definitione reali erga homines (*ſ.* 714), atque hinc intelligitur, non abſonum eſſe tribuere homini invidiam in res inanimatas, etſi facile oſtendi poſſit eam eſſe a ratione alienam: id quod vero in omni affectuum genere multis modis obtinet. Naſcuntur affectus ex confuſis perceptionibus (§. 605). Ecquis vero requiſiverit opiniones hominum ex confuſis perceptionibus ortas rationi ſemper conſentaneas eſſe? Definitio nominalis invidiæ in res inanimatas transfert ad eas ex definitione nominali invidiæ erga perſonas, quæ ſalva earum natura in iisdem locum habere poſſunt (§. 705). Quoniam enim res inanimatæ voluptatis capaces non ſunt, utpote quas ſui conſcias eſſe repugnat (§. 511); nec felicitas in eas cadit (§. 636). Quoniam tamen bona ea ſunt, quæ hominem felicem reddunt, quemadmodum ex notionibus boni, voluptatis ac felicitatis facile oſtendi poterat & ſuo loco in philoſophia practica univerſali a nobis oſtendetur; igitur in re inanimata non datur, quod invidiam excitare poſſet, niſi bonum eidem opinione invidentis inexiſtens. Et quoniam confuſis perceptionibus tori immergimur, dum invidia nos tangit; bonum in rebus inanimatis obvium utrum eas felices reddat, nec ne, non diſtinguimus, ut adeo facile ideæ boni accedant, quæ alias, quando cum hominibus nobis eſt negotium, eidem conjuncta eſſe ſolent. Si quis quæ confuſa ſunt in perceptionibus noſtris, acute a ſe invicem ſeparare noverit; ei palam erit, quam ſint perceptiones noſtræ fallaces, ubi affectus gignunt.

§. 729.

Invidia erga bruta.

Quodſi quis animalia bruta rebus inanimatis æquiparet, quatenus ſcilicet tantummodo conſiderantur tanquam ſubjectum boni cujusdam ſepoſita attentione ad voluptatem, quæ inde a nobis percipitur, ubi ejusdem compotes ſumus; *invidia erga ea eadem eſt, quæ erga res inanimatas ſeſe exerit:* id quod inde patet quod tuno bruta nobis eodem modo, quo res inanimatas in caſu naſcentis invidiæ repræſentamus. *Quodſi vero animantia bruta hominibus æquiparantur*, quatenus nempe felicitatem in ea cadere poſſe opinamur; *invidia erga ea eadem eſt, qua erga homines flagramus:* id quod denuo hinc elucet, quod bruta nobis tunc repræſentemus eodem modo,

modo, quo nobis homines in casu nascentis invidiæ repræsentamus.

Qui ad ea attendere voluerit, quæ inter homines quotidie accidunt, notiones invidiæ adversus res inanimatas atque bruta lucidas consequetur: id quod in aliis quoque casibus similibus notandum.

§. 730.

Irrisionis definitio. Gaudium ex eo perceptum, quod opinione nostra alteri vitio verti potest, vel famam ejus quomodocunque lædit, dicitur *Irrisio*.

Ponamus e. gr. Titium spe sua excidisse, quam munus quoddam ambiens conceperat. Quodsi quis ideo gaudet, quod existimet repulsam fore ipsi ignominiosam; affectus inisionis nomine venit.

§. 731.

Irrisio ob corporis defectus. *Quodsi* ergo *quis existimet, corporis defectus naturales, vel etiam casu sinistro contractos esse alteri ignominiæ; ob eosdem eum irridet* (§. 730). Nihil fere frequentius in humano genere observare licet exemplis, quibus corollarii præsentis veritas confirmatur. Ponamus Titium claudicare. Quodsi id vitio eidem vertit Mevius atque idem animum disposítum habet ad voluptatem ex iis percipiendam, quæ alteri vitio verti posse existimat; eum utique claudicantem irridebit.

§. 732.

Irrisio ob damnum vel fortunam adversam. Similiter *si quis existimat damnum, quod alter incurrit, vel fortunam, qua utitur, adversam eidem ignominiæ esse; ob damnum, quod incurrit, vel fortunam adversam eum irridet* (§. 730). Confirmatur hujus quoque corollarii veritas a posteriori. Ponamus Titium jacturam facere mille thalerorum, propterea quod debitor non est solvendo. Quodsi Mevius hinc Titium imprudentiæ argui posse existimat, & animum disposítum habet ad voluptatem ex iis percipiendam, quæ alteri vitio verti possunt, ipsum utique irridebit. Ponamus porro Sempronium in dignitate constitutum non habere, unde vitam dignitati suæ convenienter toleret. Quodsi Mevii animus fuerit disposítus ad

Digitized by Google

ad voluptatem percipiendam ex iis, quæ Sempronio ignominiosa existimat; eum utique irridebit.

Nimirum & in præsente, & in præcedente corollario supponimus, quod quis ad alterum irridendum sit dispositus, neque aliud intendimus quam recensere irrisionis causas, quæ eam determinant in subjecto habili. Absit enim ut quis sibi persuadeat, omnem omnino hominem alterum ob defectus corporis naturales, damnum quod incurrit atque fortunam adversam, qua utitur, irridere debere. Possent aliæ irrisionis causæ speciales adhuc complures recenseri; sed supervacaneum existimamus ea coacervare, quæ unusquisque per se levi attentione assequi potest, ubi sibi in memoriam revocat, quæ ex communi experientia hausit.

§. 733.

Si quis alteri quid invidet, id ei bonum esse existimat. Ponamus Mevium invidere divitias Titio, dico eum divitias in numerum bonorum referre & tanquam bonum Titio præsens considerare. Quodsi enim Titio invidet divitias, seu ex iisdem tædium capit, vel prorsus tristitia afficitur (§. 705); eas ad felicitatem ipsius refert (§. 705), adeoque in eorum numerum, quæ eidem voluptatem creant (§. 638), consequenter bonum Titio præsens existimat (§. 612). *Qualia sint ea, quæ aliis invidemus.*

Nemo invidet alteri, quod ipsemet habere nolit; sed ea invidet, quæ ipse habere mallet, aut ex quibus, si ipsemet ea possidet, voluptatem percipit, vel gaudio afficitur. Sed nemo appetit, nisi quæ bona existimat (§. 579), & ea, ex quibus voluptatem capit, in bonorum numerum refert (§. 612), adeoque multo magis ea, ex quibus prorsus gaudio afficitur (§. 614).

§. 734.

Si quis alteri invidet, famam: ad eum irridendum pronus est. Si quis enim alteri invidet famam, eam in numerum bonorum refert (§. 733), consequenter ad status humani perfectionem eandem pertinere judicat (§. 554). Infamiam itaque, aut quicquid famæ adversatur ad status imperfectionem, consequenter in numerum malorum refert (§. 555). Quoniam itaque ex fama alterius, adeoque ex eo, quod opinione sua *Undenam ad irrisionem pronis simus.*

Digitized by Google

alteri bonum eſt *per demonſtrata*, conſequenter quod ei voluptatem creat (§. 612), tædium percipit ac triſtitia afficitur (§. 705); ex tædio, conſequenter malo ejusdem (§. 613), voluptatem percipere debet (§ 666). Voluptatem adeo percipit, qui alteri famam invidet, ex infamia ejusdem, atque iis, quæ famæ ejusdem adverſa ſunt *per demonſtrata*. Enimvero qui gaudio afficitur, adeoque & qui voluptatem percipit (§. 614), ex infamia alterius atque iis, quæ famæ ejus adverſa ſunt; is eum irridet (§. 730). Patet itaque eum, qui alteri famam invidet, habere animum ad irridendum eundem diſpoſitum, ſeu, quod perinde eſt, ad eum irridendum pronum eſſe.

Confirmatur idem a poſteriori. Luculenta admodum exempla inter eruditos occurrunt, qui invidia in alios ducti ſæpiſſime alios ſe longe meliores aliis deridendos proponunt, eosque irrident, quoties quid famæ ipſorum adverſum ſibi obſervaſſe videntur. Evolvenda hic ſunt ſcripta illorum, qui alios impugnando famam conſequi ſtudent. Horum in numero ſunt pietatis pompoſæ doctores, qui ambitionem cum ignorantia conjungentes magni videri volunt, inimici doctrinæ ſolidæ, quæ fucum non fert.

Equidem non ignoro fore aliquos, qui exempla doctorum pietatis pompoſæ perperam hic allegari exiſtimaturi ſunt, quod humilitatis ſtudioſi a fama acquirenda procul remoti ſunt. Enimvero hi erunt, qui prætextu ſibi imponi patiuntur. Noſtris principiis philoſophicis, præſertim pſychologicis & moralibus, tinctus fucum ſibi facere non finit: quæ ratio eſt cur hominibus, qui toti in eo ſunt, ut fucum faciant aliis, Pſychologia cum philoſophia morali ſudes in oculo ſit.

§. 735.

Quando quis alterum actu irrideat.

Si quis alteri famam invidet ac in eo quid ſibi obſervare videtur ſuæ opinioni famæ ipſius adverſum; eum actu irridet. Etenim ſi alteri famam invidet, ad eum irridendum pronus eſt (§. 734). Quare ſi quid in altero obſervat famæ ipſius adverſum, ſaltem opinione ſua, ratio adeſt ſufficiens, cur alterum

Digitized by Google

terum actu irrideat (§. 730. Psychol. & §. 56. Ontol.), consequenter eum actu irridere solet (§. 118. Ontol.).

Quæ ad confirmandum propositionem præcedentem allegata sunt, ea ad præsentem quoque corroborandam spectant, cum ex actuali irrisione, de qua præsens loquitur propositio, pronitatem ad irridendum alios, de qua in præcedente sermo est, colligamus.

§. 736.

Si quis alterum irridet, is ei famam invidet. Si quis enim alterum irridet, ex iis, quæ famæ ejus adversa sunt, gaudio (§. 730), consequenter voluptate afficitur (§. 614). Quoniam vero ea, quæ famæ adversantur, mala sunt (§. 565) ac omnium opinione pro malis habentur; animus ejus dispositus est ad voluptatem percipiendam ex eo, quod alteri malum est, consequenter ex quo is tædio ac tristitia afficitur (§. 613). Quare cum & dispositus esse debeat animus ad tristitiam ex ejus voluptate (§. 666), consequenter felicitate percipiendam (§. 638); invidia adversus ipsum laborat (§. 705). Patet autem ex demonstratis, quod tædio, immo tristitia affici debeat ex aliorum fama. Famam igitur alteri invidere debet. *Irrisionis effectus.*

Apparet idem a posteriori ex eo, quod, si quis alterum irridens narrari audit, quæ eidem laudi sunt ac famam ejus loquuntur, ea quovis modo extenuare, vel prorsus negare, aut, si in dubium vocare non possit, in malam partem interpretari conetur. Quoniam enim sic satis prodit, se ferre non posse laudes ac famam alterius; haud obscure significat, se alterum laude ac fama indignum judicare, consequenter ei laudes ac famam invidet (§. 714).

Hinc videas potissimum eos irridere alios, qui soli laudari mallent, nec quenquam laudari ferre possunt. Et quibus istiusmodi est animus, illi de nemine bene, de omnibus male loquuntur, omniaque in malam, nihil in bonam partem vertunt. Sed de his uberior dicendi locus erit in Moralibus, ubi diversi hominum characteres ex

ſuis fontibus derivabuntur: id quod vi principiorum pſychologicorum præſtare licet.

§. 737.

Effectus irriſionis.

Si quis alterum irridet, is eum fama indignum judicat. Qui enim alterum irridet, is ei famam invidet (§. 336). Enimvero ſi quis alteri, quæ bona exiſtimat, invidet, is eum bono, quo potitus eſt, indignum judicat (§. 712). Ergo qui alterum irridet, is eum fama indignum judicare debet.

Quæ ad præcedentem propoſitionem confirmandam in medium adduximus, ea ad præſentem quoque trahi poſſunt. Etenim ex iis, quæ de irridente alios obſervantur, deduximus, quod fama ac iis, quæ ad eundem ſpectant, alterum indignum judicare debeat.

§. 738.

Irriſionis Signum.

Si quis alterum fama indignum exiſtimat, is ad eum irridendum pronus eſt ac ſi famæ adverſi quid obſervat, actu irridet. Qui enim alterum fama indignum exiſtimat, is eandem ipſi invidet (§. 713). Enimvero ſi quis alteri invidet famam, is ad eum irridendum pronus eſt (§. 734). Ergo qui alterum fama indignum judicat, ad eum irridendum pronus eſt (§. 735), adeoque ſi in eo obſervare ſibi quid videtur opinione ſua famæ ejus adverſum, eum actu irridet.

Elucet hoc a poſteriori inprimis exinde, quod alterum irridentes hac ratione irriſionem tueantur, quod eadem dignus ſit. Qui vero dignus irriſione judicatur, is dignus fama judicari nequit, adeoque ea potius indignus exiſtimatur. Patet igitur, quod eum ideo irrideat, quia eundem fama indignum judicat.

Cavendum eſt, ne pro ſynonymis habeamus alterum indignum fama exiſtimare & judicare quod famam non mereatur. Fieri enim poteſt, ut quis agnoſcat alterum mereri famam, quam habet, & hoc tamen non obſtante eadem alia de cauſa indignum pronuncíet, quatenus opinione ſua malum eſt, quod alteri ſit iſtiusmodi fama. Non hic nobis res eſt cum veritate, ſed cum opinionibus hominum, quæ a veri-

a veritate sæpissime dissident & absurda continent. Judicia hominum, a quibus affectus pendent, haud raro ex aliis affectibus propullulant: id quod evidenter perspicitur, ubi nexum affectuum inter se cognoverimus, qui partim ex Psychologia innotescit, partim ex philosophia morali agnoscitur.

§. 739.

Si quis alterum irridet, is eum iis dignum judicat, quæ Irrisionis famæ ejus adversa sunt. Si quis enim alterum irridet, is ex iis, *ratio.* quæ famæ ejus adversa sunt, voluptatem percipit, vel prorsus gaudio afficitur (§. 730), adeoque tanto magis bonum judicat, quod alterius famæ macula inusta sit, quanto major est voluptas, quam inde percipit (§. 612). Quoniam itaque quam maxime probat, quod fama alterius lædatur; eum utique dignum iis existimare debet, quæ famæ ejus adversa sunt.

A posteriori patet veritas propositionis, ubi attendimus ad verba alios irridentium, quibus approbant ea, quæ famæ aliorum adversa sunt, quatenus eidem adversa sunt. Ingeminare enim solent: bene, bene se res habet, quod istiusmodi quid patraverit alter, vel tale quid eidem acciderit. Immo ipsa verba, quibus irrisionem testamur, aut, si mavis, quæ affectus irrisionis protrudit, aperte loquuntur, quod alterum iis dignum existimamus, ob quæ ipsum irridemus.

Sane ideo gaudemus, quod famæ alterius macula adspergatur, quod ex voto id eveniat nostro, consequenter quod alterum dignum existimemus hoc malo.

§ 740.

Si quis alterum dignum iis existimat, quæ opinione sua famæ ipsius adversantur; irrisio oritur. Etenim si alterum di- *Ortus irrisionis.*
gnum iis existimat, quæ opinione sua famæ ipsius adversantur, cum ea in malorum numero sint (§. 565); ideo gaudet (§. 722), consequenter irrisio oritur (§. 730).

A posteriori confirmatur propositio præsens ex eo, quod irrisionem conjunctam experiamur cum approbatione, quod talia eveniant, quæ famam alterius lædunt. Omnium autem

Digitized by Google

optime id unusquisque experiri potest in seipso, si sibimetipsi attendit, quando irridet alterum. Clarissime enim perspiciet, quod probet, hoc est, quod bonum judicet alterum fecisse, quæ famæ ipsius adversa sunt, quatenus volupe nobis est videre, quod alter famæ suæ noceat, vel ea ab aliis lædatur.

Eo ipso nimirum, dum nobis conscii sumus, volupe nobis esse quod fama alterius lacessatur, intelligimus nos approbare, quod tale quid eveniat, adeoque dignum judicare alterum, cujus fama lacessatur.

§. 741.

Definitio irrisionis realis.

Fluit ex hactenus dictis definitio irrisionis realis. Est nimirum *Irrisio* affectus, qui oritur ex eo, quod alterum iis dignum existimamus, quæ opinione nostra famam ejus lædunt, aut ei quomodocunque adversantur.

Definitionis hujus realitas a posteriori quoque agnoscitur, quatenus eandem attentione in nos conversa in nobis ipsis observamus: id quod de omni omnino affectuum genere notandum. Facilius autem geneses affectuum in nobis observamus, quam in aliis, quod in aliis ex actionibus & mutationibus corporis externis aliisque quæ contingunt, demum colligi debeat, cum in nobis intuitiva propemodum ratione agnoscamus eandem, modo in distinguendis iis, quæ ideis confusis insunt, satis fuerimus acuti. Mirifice tamen juvat acumen theoria, quam proponimus, cum ex ea constet, in quænam dirigenda sit attentio. Quamobrem ejusdem applicatione acquiritur successive acumen ideas eorum, quæ animæ insunt, confusas evolvendi: id quod alias, quemadmodum ipsimet experti sumus, non adeo facile acquiritur, ut potius plerique ab eo arcerentur.

§. 742.

Definitio irrisionis num usui loquendi conformis.

Definitio tam nominalis, quam realis irrisionis significatui recepto ac communi usui loquendi conformis. Equidem irrisio vulgo non pro affectu, sed pro actione quadam externa sumitur, ad quam & vultus mutatio, & gestus peculiares referuntur: quodsi tamen eandem attente consideres, omnes actiones simplices, quæ ad irrisionem spectant, unanimi omnium ju-

judicio, ex illo animi ſtatu interno procedunt, eundemque ſupponunt, ita ut actum externum ex veritate nemini tribuere poſſis absque ſtatu illo animi interno. Quamobrem cum nobis in Pſychologia explicanda ſint ea, quæ ad animam ſpectant, & ſingulos ejus ſtatus ex actionibus ac mutationibus corporis obſervabiles a ſe invicem diſtinguere atque ad notiones diſtinctas revocare teneamur; omnino nobis explicandum eſt, quinam ſtatus internus animæ huic, vel iſti ſtatui corporis reſpondeat. Neque a communi loquendi uſu recedimus, ſi ad ſignificandum eum animæ ſtatum transferimus vocabula, quæ ad denotandum corporis ſtatum vulgo adhibentur, qui ſine iſto dari nequit & quem pro vero non admittimus, ſed pro ſimulato habemus, ubi a ſtatu illo animæ ſejungitur. Etenim quod ſtatus iſte internus ſimul vocabulo iſto denotetur, ex hoc ipſo colligitur, quod externum corporis ſtatum non dicamus verum, ubi cum interno animæ non conjungitur. Quemadmodum itaque jam olim *Ariſtoteles* ad animum retulit ſenſationes & mentem videre, mentem audire pronunciavit, ac nos in ſuperioribus non repugnante communi uſu loquendi explicavimus, quid ſinguli ſenſus in anima denotent; ita quoque a communi uſu loquendi minime recedimus, dum animæ ſtatum internum explicamus, ſine quo irriſioni nemo locum concedit. Enimvero quod irridens alterum gaudio afficiatur ex iis, quæ opinione ſua alterius famæ nocent; nemo non obſervat, qui vel ſibimetipſi attendit, ubi in eo ſtatu conſtituitur, vel ad alios attendit, ubi irrident alios. Etenim affectus, quo verba irridentis protunduntur, vultus ac geſtus ipſaque vox mutatur, eſt id, quo irriſionem veram a ſimulata, vel affectata diſtinguunt omnes. *Carteſius* in Tractatu de paſſionibus animæ part. 2. art. 62. irriſionem facit comitem lætitiæ, aut, ſi mavis, gaudii ex malo alterius venientis; adeoque ipſum illud gaudium pro irriſione non habet. Sed id quidem inde eſt, quod irriſionis vocabulum reſtringat ad actus exter-

externos, quibus significamus, nos alterum dignum existimare malo, quod eidem accidit, nec expendit gaudium istud singulari ratione esse modificatum, ut eodem jure pro peculiari affectu haberi possit, quo ipsemet invidiam ac commiserationem pro peculiaribus affectibus habet, etsi utrumque tristitiæ speciem esse ultro agnoscat. Ecce enim tristitiæ species pro peculiaribus affectibus habet? Sane non alia de causa, quam quod tristitia hic diversimode modificetur, ut a simplici tristitia differat. Eadem vero de causa etiam irrisio pro peculiari affectu habetur, quod gaudium, cui in ea locus est, peculiari modo modificatur. Præterea *Cartesius* irrisionem extendit ad lætitiam ex omni malo ortam, quatenus alterum eodem dignum censemus: enimvero ostendimus jam superius, irrideri quoque alios ob damna, quæ ipsis inferuntur, & fortunam quamlibet adversam (§. 732); ex demonstratione autem apparet, id fieri nonnisi in eo casu, quo quis talia alterius famæ adversa existimat. Insidiantur irrisores continuo famæ alterius: id quod nemo non observare potest. Non igitur est, quod dubites, significatum vocabuli irrisionis in doctrina affectuum, non invito usu communi loquendi a nobis constitutum esse.

Latent in probatione propositionis præsentis principia generalia, quæ utiliter ad alios quoque usus adhibentur; sed sufficit ad ea excitari attentionem.

§. 743.

Risus definitio. **Risus nascitur ex iis, quæ nostra opinione absurda sunt.**

Quoniam in irrisione risui quoque locus est, de eo ut hic agamus res ipsa postulat. Damus autem definitionem realem, cum nominalis haud facile dari possit, atque illa inprimis satisfaciat scopo, quem intendimus, scilicet ut sit nobis principium, ex quo de iis, quæ ad risum pertinent, feratur sententia. Veritatem definitionis a posteriori confirmamus. Ponamus enim Luciliam esse rei œconomicæ admodum peritam. Ponamus porro Mevium de re œconomica narrare, quæ ipsius opinione absurda sunt, seu contraria ratione esse habere

Digitized by Google

habere debebant. Nemo non novit fore ut Lucilia rideat. Memini Dn. de *Tschirnhausen* aliquando feminam nobilem hoc facto ad risum commoviſſe, quam nunquam ridere poſſe conſtabat, ita ut præſentium judicio pro impoſſibili haberetur eam ad riſum commovere. Utebatur hoc exemplo ad perſuadendam aliis utilitatem definitionum realium, quas nominalibus multum præferebat.

§. 744.

Si irridens alterum id, quod alterius famæ adverſum exiſtimat, in ſe conſideratum pro abſurdo habet; riſus cum irriſione conjungitur. Riſus enim oritur ex iis, quæ ridentis opinione abſurda ſunt (§. 743). Quamobrem ſi, quod irridens alterius famæ adverſum exiſtimat, pro abſurdo habet, riſum utique cum irriſione conjungere ſolet. *Riſus quando cum irriſione conjungatur.*

Exempla inter eruditos obvia ſunt. Si Mevius exiſtimat, Titium erraſſe & id famæ ipſius adverſum judicat, ac eundem dignum cenſet hac macula, quam famæ ſuæ adſpergit; eum irridet ac errorem, quem ipſi imputat, iis verbis exaggerat, quibus gaudium inde perceptum ſatis ſuperque prodit. Quodſi porro errorem iſtum pro maxime abſurdo habet, una ridet, immo Titium dignum eſſe, qui rideatur, non refutetur, audacter pronunciat, ac ſeſe ſibi a riſu temperare non potuiſſe ultro fatetur. Si exemplum ſpeciale deſideres, ad ſimilitudinem planetarum cum Tellure & incolas planetarum provoco. Etenim hodie adhuc dantur bene multi inter eruditos, quibus iſta doctrina adeo abſurda videtur, ut ſibi a riſu temperare non poſſint, ubi aliquem ſerio iſtud ſtatuere audiunt. Quamobrem ubi in tales incideris, qui ad alios irridendos proni ſunt, dum Aſtronomos & Phyſicos modernos irrident, ſimul rident.

Ex propoſitione præſente liquet non ſemper riſum cum irriſione conjungi, quamvis ſæpiſſime conjungatur, unde eo affectui a riſu nomen impoſitum fuerit.

§. 745.

Si quis exiſtimat ea, quæ fecit alter, dignitati, aut perſonæ ejus repugnare; ad riſum commovetur. Etenim ſi judicat, quod fecit *Quando ridemus ob facta alterius.*

fecit alter, id dignitati, aut perſonæ ejus repugnare; idem pro abſurdo habet, ſeu in eorum numerum refert, quæ abſona habentur. Ad riſum igitur commoveri debet. (§. 743).

Confirmatur quoque propoſitio a poſteriori. Ponamus Titium in dignitate eccleſiaſtica conſtitutum magnæ autoritatis eſſe. Ponamus porro eum in convivio vino inebriatum virginem oſculari. Ridebit Mevius, qui hoc videt. Quodſi quæſiveris, cur ideo rideat; non aliam reddet rationem, quam quod id parum conveniat gravitati, quæ cum dignitate eccleſiaſtica conjungi debet. Ad riſum adeo commovetur, quod vino inebriari ac virgines oſculari repugnet dignitati eccleſiaſticæ, in qua quis conſtituitur, conſequenter ideo, quod exiſtimat ea, quæ alter facit, dignitati ac perſonæ ejus repugnare.

Fieri etiam poteſt, ut quidam ad indignationem provocentur, ubi rident alii: ſed quænam hic cauſa ſubſit, docebitur inferius. Abſit autem ut in iſtiusmodi exempla incidens theoriam noſtram in dubium vocet! Ubi enim de riſu agimus, non nobis res eſt cum impedimentis, quæ obſtant, quo minus cauſa producat effectum alias producendum, ſi minime impediretur.

§. 746.

Irriſionis ſummus gradus.

Irriſionis ſummus gradus eſt, ſi quis gaudio afficitur ex infelicitate alterius præter ullam, ut apparet, rationem. Homines quosdam, ut videtur, præter omnem rationem ſæpius lætari atque in cachinnum reſolvi, ubi aliis damnum quoddam accidere experiuntur, utut iidem ipſis ſint prorſus ignoti, neque adeo appareat ratio ulla, cur id faciant, vel nulla adſit odii ac invidiæ cauſa; experientia clariſſime loquitur. Germanis peculiare nomen eſt, quod iſtiusmodi hominibus imponunt. Vocant enim eos Schadenfrohe: quod vocabulum vi originis ſignificat eum, qui damnis gaudet. Sed vocabulum Latinum non reperio, quo idem ſignificetur.

Lingua Germanica inſtar Græcæ felix eſt in vocabulis componendis, quæ apte exprimunt, quod exprimere debent.

§. 747.

Digitized by Google

§. 747.

Si quis absque omni ratione infelicitate, seu damnis alienis gaudet; ratio tantummodo latet, non abest. Quoniam enim nihil est sine ratione sufficiente, cur potius fit, quam non fit (§. 70. *Ontol.*); necesse est, ut etiam detur ratio, cur quis gaudeat damnis quibuscunque alienis, aut infelicitate promiscue omnium. Quamobrem cum istiusmodi ratio nulla apparet; tantummodo latere, minime autem abesse potest. *An praeter rationem damnis alienis gaudere quis debeat.*

Confirmatur idem a posteriori. Etenim in casibus specialibus acutiores rationem latentem facile vident eamque in conspectum omnium producunt, modo pertinaciter oculos occludere nolint. Perspecta mihi sunt exempla; sed ut aliorum attentionem excitem, lubet sequentem subjicere propositionem.

In aliis quoque affectibus saepius rationes latent, ut nulla prorsus adesse videatur. Exemplum jam habuimus de amore atque odio. Et de hoc valet illud Poëtae:

Non amo te, Volusi, nec possum dicere quare:
Hoc tantum possum dicere: non amo te.

Etsi autem Poëta rationem reperire odii, aut amoris deficientis, minime potuerit; non tamen inde colligi potest, quod nulla ipsi fuerit. Si philosophus acutus interiora mentis ipsius perspexisset, quemadmodum ipsi aditus ad ea patebat; eandem dubio procul reperisset.

§. 748.

Si quis supra omnes eminere velit; is damnis alienis promiscue gaudet. Si quis enim supra omnes eminere velit, is nec parem ferre, nec superiorem valet, consequenter ipsi displiceat, si quid alteri boni adesse videt, quod sibi vel adest, vel deest, atque adeo odium quoddam occultum oritur (§. 677), indeque porro invidia serpit (§. 707). Animus igitur ejus dispositus est ad voluptatem ex alienis damnis promiscue percipiendam (§. 661), immo ad gaudendum iisdem (§. 663). Cumque praterea idem dispositus sit ad tristitiam, vel taedium ex alie- *Quinam damnis alienis promiscue gaudeat.*

nis bonis percipiendum (§. 705); hac ipsa dispositione prior magis corroboratur ac sustentatur, aut, si mavis, alitur. Quamobrem ubi damna aliena cognoscit, iis promiscue gaudet.

Confirmatur idem a posteriori. Videmus enim homines, qui ambitione ducti supra omnes eminere volunt, voluptate affici ex damnis alienis, immo gaudere vel illorum damnis, quos amant, si qua in re eos vel pares, vel superiores experiantur. Immo si quos vides alienis damnis gaudere solitos, eos esse facta inquisitione reperies, qui neminem sibi parem, omnibus se superiorem esse mallent. Inest ad id naturalis dispositio, quæ sese a prima statim infantia exerit ac deinde adulta ætate diversis de bonis opinionibus diversimode fovetur: quæ aliquando ex philosophia nostra morali clarius elucescent.

Ex hac ipsa propositione elucescit, cur mala aliena, quibus gaudemus, semper ad famam aliorum referamus. Etenim qui malis alienis gaudet, ideo bonum judicat alterum malo affligi, quod sic eum qua in re se inferiorem agnoscat, vel si ipsemet eodem laboret, sibi parem reperiat. Acumine tamen opus est, ubi affectus alii irrisioni se socios præbent, vel etiam plures affectus concurrentes agnatum irrisioni affectum mentiuntur. In appetitibus hominum plurima plerumque confunduntur, quæ a se invicem non separabit, nisi qui singulorum in se consideratorum theoriam animo comprehensam tenet. Hanc theoriam tradimus in Psychologia & philosophia morali. Ceterum ex hac propositione intelligitur, quod non desit gaudii ex alienis malis orti ratio, etsi ea non cuivis statim appareat, adeoque patet id, cujus gratia eandem præcedenti subjunximus.

§. 749.

Acquiescentia in seipso definitio.

Si quis iis, quæ bene a se facta opinatur, gaudet, *in se acquiescere* dicitur. Est adeo *Acquiescentia in seipso* gaudium ob bonum, quod patravimus.

Peculiarem affectus speciem constituimus gaudium ob bonum a nobis patratum, quod singulari ratione modificetur, ut a reliquo gaudio ipso sensu interno, seu quatenus ejus nobis conscii sumus, distingui possit.

§. 750.

§. 750.

Si quis a se facta bene facta opinatur, iis gaudet, vel ex iis voluptatem percipit. Dum enim nobis repræsentamus bonum, quod patravimus, perfectionis noſtræ ſtatusque noſtri, vel etiam perfectionis alienæ, quam promovimus, nobis conſcii ſumus (§. 554): inprimis etiam nobis conſcii ſumus perfectionis noſtræ, vi cujus ad id, quod opinione noſtra bonum eſt, faciendum apti nobis videmur. Quare cum voluptas in intuitiva cognitione perfectionis cujuscunque ſive veræ, ſive apparentis conſiſtat (§. 511); ſi quis a ſe facta bene facta opinatur, ex iis voluptatem percipere, immo gaudere debet (§. 614). *Realitas definitionis ipſius evicta.*

A poſteriori propoſitionis præſentis veritas ſatis manifeſta eſt. Exempla inter eruditos maxime obvia. Etenim ſi Poëta poëma, quod fecit, legibus artis conforme exiſtimat, gaudio extollitur: nec idem evaneſcit, ſi vel maxime ab aliis virgula cenſoria notatur, ubi cenſuras iniquas experitur ſibi probe conſcius ſalvis regulis artis poëma ſuum reprehendi non poſſe. Similiter ſi quis actiones morales ad examen revocans eas legi divinæ conformes deprehendit; intimo afficitur gaudio, ut ideo dudum agnoverint philoſophi antiquiſſimi ex habitu virtutis agentem non ſine gaudio facere quod bonum, quod juſtum, quod laude dignum eſt. Neque tollitur gaudium, etiamſi quis, quod bene faciat, cenſuras aliorum iniquas, immo vexas incurrat.

Gaudium hoc, quod ex bene factis percipitur, in eo caſu, quo aliorum cenſuris iniquis ac vexis expoſiti ſumus, *ſolamen conſcientiæ* vulgo appellari ſolet. Sed ea de re ſuo loco in Moralibus ex inſtituto dicemus, quando de conſcientia acturi ſumus.

§. 751.

Eſt adeo *Acquieſcentia in ſe ipſo* affectus, qui oritur, ſi facta noſtra nobis repræſentamus tanquam bona, nec ultra judicium hoc quicquam præterea attenditur. *Acquieſcentia in ſeipſo definitio realis.*

Definitio realis probe conſideranda eſt, ne affectum hunc cum alio agnato, quem Gloriam poſthac dicemus, confundamus, cum *lis.*

Digitized by Google

ab eo plurimum differat, etsi fieri possit, ut uterque conjungatur. Gaudium in utroque diversa prorsus ratione modificatur, etsi ita modificetur, ut non repugnet utramque modificationem simul fieri in utroque subjecto. Effectus quoque utriusque affectus non iidem sunt: id quod clarius patebit, ubi utriusque notionem inter se contulerimus ac utrumque in nobis sigillatim experti fuerimus. Virandæ confusionis gratia addidimus, ultra judicium de actione ad regulam relata nil quicquam attendendum esse.

§. 752.

Gaudium ex bene factis aliorum percepturn.

Si quis alterum impense amat, eorum bene factis gaudet, vel voluptatem ex iis percipit. Si quis enim alterum impense amat, is eum confiderat tanquam seipsum (§. 659), consequenter quæ ab aliis bene facta sunt sibi repræsentat tanquam a se ipso facta, ea nimirum ita approbans, ut ipsemet in iisdem circumstantiis constitutus idem prorsus facturum sese fuisse judicet. Enimvero si quis a se facta bene facta opinetur, iis gaudet, vel voluptatem ex iis percipit (§. 750). Ergo & factis alienis gaudere, vel voluptatem ex iis percipere debet, ubi alterum impense amat.

Parentes impense amant liberos. Ecquis vero est, qui nesciat, eos factis liberorum gaudere, quæ opinione ipsorum bona sunt, non secus ac si ipsimet fecissent, quæ ab iis facta sunt. Gaudium hoc esse effectum amoris nemo dubitat. Quamobrem respectus ille, qui est inter parentes & liberos attendendus minime venit: neque enim hic quæritur, quænam sit causa amoris, sed quinam sit effectus ejusdem. Exemplum hoc cum sit admodum luculentum, ad propositionem præsentem a posteriori confirmandam abunde sufficit.

Probe notandum est impensum requiri amorem, ne propositionis veritatem in dubium vocemus, si ex amore quocunque gaudium istiusmodi non procedere animadvertimus. Notandum præterea gaudium hoc non confundi debere cum eo, quod ex iis, quæ ab aliis bene facta sunt, ideo percipitur, quia ipsis inde materiam gaudendi esse agnoscimus, cum in eo amor consistat (§. 640). Sane gaudium, cum quo nobis hic negotium est, locum habet, etiamsi noverimus, alte-

Digitized by Google

alterum ad ea, quæ bene ac rite fecit, non afferre animum adeo attentum, ut iis gaudere possit.

§. 753.

Acquiescentia in seipso est affectus jucundissimus. Qui enim in seipso acquiescit, is facta sua sibi repræsentat tanquam bona (§. 751), adeoque sibi conscius est perfectionis suæ, ob quam bonum patrare potuit; conscius sibi est perfectionis suæ, vel alienæ, quam facto suo promovit (§. 554), vel perfectionis operis sui. Immo conscius sibi est facta sua, vel opus suum ab alio cum ratione reprehendi minime posse. Voluptatem adeo multiplicem una percipit (§. 511), cumque bene a se factis gaudeat, qui in seipso acquiescit (§. 749), voluptas multiplex prædominatur (§. 614), consequenter tanta est, ut tædium, si quod adfuerit, non percipiatur (§. 523). Immo quia voluptatem etiam inde percipimus, quod nemo cum ratione facta nostra reprehendere possit, *per demonstrata*; gaudium ita comparatum est, ut nemo idem a nobis auferre possit. Est itaque affectus jucundissimus acquiescentia in seipso (§. 603). *Acquiescentia in seipso qualis sit affectus.*

A posteriori innotescit propositionis veritas omnium clarissime, si quis experimentum in seipso sumit. Quamobrem hic provocandum est ad testimonia eorum, quibus experimentum in se sumere licuit. Non urgeo domesticum. Sed ad testimonium *Cartesii* provoco, qui ideo in Tract. de passionibus animæ part. 2. art. 63. acquiescentiam in seipso omnium aliarum passionum dulcissimam esse affirmat.

Nemo miretur, quod in iis stabiliendis, quæ a posteriori nobis innotescunt, ad testimonia aliorum provocemus. Agitur enim de eo, quod unusquisque in se experitur, modo attentione sufficiente uti didicerit ac acumine suo distinguere possit, quæ in anima cum sint diversa facile tamen pro iisdem habentur. Ideo ad testimonium *Cartesii* provocavimus, quem ad istiusmodi experimentum instituendum aptum fuisse nemo dubitare potest. Multa ab ipso præclare facta sunt, id quod cum non ignorasse tum ex dissertatione de methodo, tum ex

ex variis epistolis satis intelligitur. Fuit praeterea attentione profunda ac acumine sublimi praeditus. Nihil adeo eorum ipsi defuit, quod hic desiderari possit. Ceterum probe notandum est, si quis omnes affectus jucundos inter se conferre voluerit, haud difficulter apparitorum, quod acquiescentia in se ipso sit affectuum omnium jucundorum jucundissimus. Sed nostrum non est ad ambages istas descendere, quas ingredi tenetur, qui id evidenter ostendere voluerit.

§. 754.

Num vocabulum Acquiescentia in seipso habeat significatum receptum,

Definitio acquiescentiæ in seipso non contrariatur notionibus communibus sumiturque vocabulum in significatu a Cartesio in philosophiam introducto. Nos gaudere iis, quæ bene ac recte a nobis facta existimamus, a posteriori probavimus, provocando ad experientias communes (§. 750), & obviis quoque experientiis stabilivimus, affectum hunc esse jucundissimum (§. 753), immo monuimus, si quis omnes affectus, quos jucundos experitur, inter se conferre voluerit, acquiescentiæ in se ipso facile palmam adjudicaturum. Rem adeo nemo negare potest, nisi forte sit qui sibi inexperta concedere nolit, vel quod bene & recte factorum nunquam sibi fuerit conscius, vel quod ad gaudium hinc ortum non attenderit. De nomine igitur solo est disputatio. Nos destitui nomine isti affectui proprio in communi sermone, vel inde colligitur, quod non minus in sermone nobis vernaculo, quam in Latino vocabulo destituamur, quo is significatur, ut adeo circuitu quodam opus sit ad eundem denotandum. Enimvero in apricо posita est vocabuli deficientis ratio. Gaudium hoc non distinguitur ab alio, quod intus subsistat, nec per actus quosdam externos foras procedat, quos ab aliis facile distinguere liceret, atque ideo de peculiari nomine vulgo nemo cogitavit. Quoniam vero diversa prorsus ratione modificatur, ut eodem jure pro peculiari affectu haberi debeat, quo in aliis casibus gaudium singulari ratione modificatum pro diverso affectu habetur; philosophi est non ita inhærere communi usui loquendi ac eidem respondentibus communibus notionibus

Digitized by Google

nibus, ut inde præjudicium naſcatur veritati. Mox apparebit, affectum gaudio huic oppoſitum pro peculiari ab omnibus haberi & peculiari quoque nomine inſigniri, etſi triſtitiæ quædam ſpecies ſit. Eccur igitur non eodem jure gaudium ex eo ortum, quod bene, aut recte a nobis factum exiſtimamus, pro peculiari affectu habeamus, præſertim cum in Moralibus ſæpiſſime ejus injicienda ſit mentio, ut ipſa neceſſitas nomen peculiare eidem imponi poſtulet? Quoniam itaque *Carteſius* in Tractatu de paſſionibus animæ part. 2. artic. 63. termino acquieſcentiæ uſus fuit ad affectum hunc exprimendum; eundem ut retineamus ratio ſuadet (§. 147. *Diſc. prælim.*). *Carteſium* vero loqui de gaudio ex eo percepto, quod bene aut recte a nobis factum exiſtimamus; clariſſime liquet. Bonum enim, inquit, a nobis ipſis præſtitum dat nobis acquieſcentiam interiorem, quæ omnium aliarum paſſionum dulciſſima eſt: id quod cum definitione noſtra reali ex nominali deducta convenit (§. 751), atque palam loquitur, quod acquieſcentiam in ſeipſo pro affectu peculiari habuerit.

Apprime neceſſarium eſt, ut acquieſcentia in ſeipſo a ceteris affectibus diſtinguatur, cum dignus ſit ut omnium attentio ad eundem provocetur. Etenim haud poſtrema felicitatis humanæ pars hoc affectu continetur: id quod ſuo loco expreſſius docebitur.

§. 755.

Pœnitentia eſt triſtitia ex eo, quod a nobis male, vel minus recte factum exiſtimamus, ortum, vel ſaltem tædium inde perceptum. *Pœnitentia definitio.*

Affectus hic notiſſimus eſt, non autem confundi debet cum officii nomine, quod pœnitentiæ nomine inſignitur in Theologia revelata. Quamvis enim negari non poſſit, affectum iſtum, cum quo nobis jam negotium eſt, ab officio illo hominis chriſtiani non eſſe alienum; plura tamen ad idem referri ſolent, quam quæ illius notionem ingrediuntur. Pœnitebat *Judam*, quod Chriſtum prodidiſſet, in ſenſu philoſophico, quatenus nempe affectu moleſtiſſimo hoc angebatur, cum factum infectum reddere non poſſet; ſed non pœnitenti-

am agebat in ſenſu theologico, cum deſperabundus ſibimet ipſe manus violentas inferret.

§. 756.

Realitas ejus aſſerti.

Si quis, quæ a ſe facta ſunt, male, vel minus recte facta judicat, aut malum a ſe factum ſibi repræſentat; triſtitia, vel tædio afficitur. Si quis enim facta ſua ſibi repræſentat tanquam mala, vel etiam opus ſuum tanquam regulis artis contrarium; is & imperfectionis propriæ, qua ad male agendum, vel opus non rite perficiendum perductus fuit, ac præterea imperfectionis male factis ſibi, vel aliis acquiſitæ, aut imperfectionis operis proprii ſibi conſcius eſt (§. 566. *Pſychol.* & §. 504. *Ontol.*), adeoque multiplici tædio affici debet (§. 518), quod ubi prædominatur in triſtitiam degenerat (§. 619). Patet adeo nos ex iis triſtitia, vel tædio affici debere, quod, quæ a nobis facta ſunt, tanquam male, aut minus recte facta nobis repræſentemus.

A poſteriori veritas propoſitionis manifeſtiſſima eſt. Ponamus enim Mevium condidiſſe poëma ac, ubi publici juris factum fuerit, deprehendere nævos complures, quibus obnoxium eſt, atque adeo ſibi probe conſcium eſſe quod regulis artis contrarietur. Nemo non novit, quod tædio inde afficiatur. Quivis etiam optime novit, tædium hoc eſſe diverſum ab aliis tædiis, quod magis anxium reddat animum ac inquietum: id quod proxime in Pſychologia rationali clarius patebit. Similiter ſi ponamus Sempronium propalaſſe conſilia, quæ animo agitabat, idque ſibi noxium deprehendere. Quantis inde tædiis obruatur animus, & quam inquietum reddant tædia iſta animum ejus nemo non novit. Cum haud raro agant homines, cujus ipſosmet poſtea pœniteat; experimentum veritatis propoſitionis præſentis in ſe capiendi frequens admodum occaſio eſt, ut adeo plura eam in rem addi ſupervacaneum merito exiſtimemus.

Vulgo autores pœnitentiam tantummodo reſtringere videntur ad actiones morales, quatenus eas malas agnoſcimus; at non invita expe-

Digitized by Google

experientia extendenda quoque est ad ea, quæ in se moralitatem habere non existimantur, artis nempe opera.

§ 757.

Si quis alterum impense amat, eorum pœnitet, quæ ab eo vel male, vel minus recte facta existimat. Si quis enim alterum impense amat, is eum considerat tanquam seipsum (§. 659), consequenter quæ ab eo facta sunt, ea tanquam a se facta spectat. Enimvero si quæ a se facta sunt male, aut minus recte facta existimat, eorum pœnitet (§. 755). Ergo etiam illorum pœnitere debet, quæ ab altero male, vel minus recte facta sunt, quem impense amat. *Facti alieni quando pœniteamur.*

Patet propositionis præsentis veritas etiam a posteriori. Provocare hic denuo licet ad exemplum parentum liberos impense amantium. Quodsi enim agnoscant, quæ ab iis facta sunt, mala esse, seu iisdem noxia (§. 565); tristitia afficiuntur, consequenter eorum ipsos pœnitet (§. 755). Pœnitentiam haud obscure indicant hæc verba ingeminantes: utinam filius meus hoc non fecisset! Mallem jacturam facere vel mille thalerorum, si factum infectum fieri posset. Quodsi amor non influit in judicium de factis liberorum; iisdem indignantur. Sed de indignatione hac dicemus deinceps. Exempli loco esse etiam potest amicus, quo admodum familiariter utimur, & quem tanto amore complectimur, ut, quæ ipsius sunt, ea ad nos pertinere existimemus.

Amor sincerus rarior est, eo præsertim gradu, quo animi duorum ita conjunguntur, ut omnia sibi communia existiment. Præterea quoque alii affectus in plerisque casibus eidem accedunt; ut, quæ inde oriri debebat, pœnitentia vel prorsus non oriatur, vel cum aliis affectibus confusa, non agnoscatur. Quamobrem difficile experimentum pœnitentiæ eorum, quæ ab aliis male facta sunt. Ac idem tenendum est de acquiescentia in aliis, tanquam in seipso (§. 752).

§. 758.

Pœnitentia est affectus molestissimus. Qui enim pœnitet eorum, quæ fecit, is tristitia afficitur ex eo, quod male, vel minus *Pœnitentia qualis sit affectus.*

minus recte a se factum existimat (§. 756). Quamobrem sibi non modo repræsentat suam ipsius imperfectionem, ob quam male, vel minus recte quid fecit; verum etiam imperfectionem, in quam vi facti sui incidit, vel alios adduxit (§. 565), aut imperfectionem operis sui intuetur. Multiplicis adeo imperfectionis sibi conscius multiplici tædio perfunditur (§. 518), consequenter ubi prædominatur, tristitia multiplici afficitur (§. 619). Quamobrem pœnitentia affectus molestissimus esse debet (§. 609).

A posteriori idem confirmatur ex eo, quod videamus eos, quos a se factorum pœnitet, plurimum angi, & animos eorum adeo inquietos reddi, ut mortem appetant, ac sæpius desperabundi manus violentas sibimetipsis injiciant: quemadmodum impetu hujus affectus abreptus fecit Judas, cum Christum prodidisset.

Dici ex vero potest, pœnitentiam esse affectum omnium molestissimum. Enimvero cum difficilis sit demonstratio a priori; ambagibus istis nos immergere noluimus.

§. 759.

Definitio realis pœnitentiæ.

Pœnitentia est affectus, qui oritur, si ea, quæ fecimus, nobis repræsentamus tanquam male, aut minus recte facta, seu qui oritur ex perceptione mali a nobis patrati.

Definitio realis jam includitur in nominali, quam dedimus (§. 755).

§. 760.

Definitio pœnitentiæ nostro usui loquendi conformis.

Definitio pœnitentiæ tam realis, quam nominalis communi usui loquendi ac recepto significatui conformis. Pœnitere, inquit *Goclenius* in Lexico, dicimur, cum quæ fecimus nobis displicere incipiunt & molesta sunt. Displicent nobis facta nostra, si ex iis tædium percipimus (§. 542). Quare quando pœnitentia animum nostrum subit, tædium ex iis, quæ fecimus, percipimus. Et quoniam ea, quæ fecimus, nobis molesta sunt, quatenus nos statumque nostrum imperfectiorem reddunt; ea

nobis

Digitized by Google

nobis tanquam mala repræsentamus (§. 565), consequenter ex factis nostris tædio, adeoque si ingens fuerit, tristitia afficimur (§. 619), quod ea mala deprehendimus. Est adeo juxta *Goclenium* ponitentia tristitiæ, aut tædii quædam species, quæ oritur ex eo, quod, quæ fecimus, mala experiamur, seu facta nostra præterita tanquam mala nobis repræsentemus; quod cum definitione nostra nominali atque reali prorsus convenit (§. 755. 759). Nil obstat, quo minus molestias, quæ nobis creant facta præterita, ad mentem quoque referamus, quatenus eorum memoria nobis molesta est. Tum vero patet, facta præterita non aliter nobis molesta esse posse, nisi quatenus tædia atque tristitia animum anxium & inquietum reddunt: id quod cum eo convenit, quod affectum molestissimum pœnitentiam ostenderimus (§. 758). Immo illa inquietudo atque anxietas animi fovetur atque augetur, dum damna, quæ incurrimus & pericula, quibus nos, vel alios exposuimus, nobis repræsentamus. *Perottus* significatum pœnitentiæ ex *Gellii* lib. 17. c. 1. repetens: Pœnitere, inquit, dicimus, cum, quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis postea incipiunt displicere, sententiamque in iis nostram demutamus. Hæc non abhorrent ab iis, quæ dixerat *Goclenius*, adeoque cum nostris quoque definitionibus conspirant *per demonstrata*. Porro *Martinius* in Lexico: Pœnitere, inquit, simpliciter est doleo ob factum meum, quod admissum nollem. Dolor hic, quod per se patet, ad animum refertur, adeoque tædium & in gradu exquisitiori tristitiam denotat. Est adeo Philologo summo pœnitentia tædii aut tristitiæ quædam species orta ex eo, quod facta nostra infecta esse mallemus: id quod notioni pœnitentiæ, quæ nobis est, convenire, partim ex definitione nominali (§. 755), partim ex propositione sequente (§. 761) intelligitur. Idem etiam clarissime perspicitur ex ingeniosa, quam subjicit, etymologia. Pœniteo, inquit, est a pœna, quatenus est dolor &, quem pœ-

nitet, is dolendo a se quasi pœnam suæ temeritatis exigit. Consentanea his est definitio pœnitentiæ, quam tradit *Augustinus*: Pœnitentia, inquiens est, quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse. *Cartesius* in Tract. de passionibus animæ part. 2. art. 63 definitionem realem pœnitentiæ dedit, quod scilicet malum excitet pœnitentiam, quatenus nos consideramus tanquam causam ejusdem: quæ cum nostra definitione reali eadem est (§. 759). Etenim si sumus causa mali, ea, quæ fecimus, mala sunt (§. 886. *Ontol.*), consequenter ex eo oritur pœnitentia, quod, quæ fecimus, mala nobis videantur.

In stabiliendo communi ac recepto significatu vocabuli pœnitentiæ ad etymologiam quoque provocavimus, quem eidem vindicat *Martinius*, ipso *Augustino* præeunte. In genere itaque tenendum est, in significatu communi vindicando ideo ab etymologiis, quas tradunt Autores, argumenta peti posse, quod rationes a rebus desumere soleant, cum nescio quam voluptatem ex eo percipiant, quod nomina rebus suis convenire observemus. Prosunt etymologiæ etiam contortæ ac falsæ, modo rationes a re petitæ sint tales, quæ eidem conveniunt. Etenim convenientiam nominis cum re evicturi sibi quid repetisse videntur, quod ad persuadendam aliis veritatem etymologiæ suæ conducit, ubi rationes convenientiæ in re deprehendunt, si eorum etymologia admittitur. Exempli loco nobis esse potest ipse *Martinius*, qui vocabulum Germanicum Reue, quo pœnitentiam significamus, quatenus pro affectu sumitur, a vocabulo Latino *reus* deducit, quod reuen seu pœnitere idem sit ac dolere se reum peragere. Etenim qui se reum peragit, is quod fecit male a se factum esse fatetur, ac dolor animi sive tristitia nos reos peragens non alia est, quam quæ ex eo percipitur, quod quæ fecimus male a nobis facta existimamus. Hic ex falsa etymologia deducitur, *Martinio* eundem vocabuli fuisse significatum, quem nos eidem tribuimus. Obiter monemus, ex dictis manifestum esse etymologiarum ab Autoribus allatarum quendam usum in communi vocabulorum significatu stabiliendo: qui tanto certior, quo magis certum est Criticos ea in re ultra vulgus non sapere potuisse, consequenter notiones communes, quibus communis vocabulorum significatus constat (§. 159. *Log.*), habuisse

§. 761.

§. 761.

Quem pœnitet, is factum infectum reddere mallet. Quem enim pœnitet, is quod fecit malum esse existimat (§. 755), adeoque idem aversatur (§. 581), consequenter non faceret nisi id factum jam esset. Et quoniam tristitia inde afficitur (§. 755) qua animum vacuum habere mallet; factum utique infectum esse, consequenter si per ipsum staret infectum reddere mallet. Sunt adhuc rationes aliæ, unde nascitur cupiditas reddendi factum infectum, si fieri posset, veluti pericula, quæ nobis ex facto nostro imminent, vel etiam damna, quæ incurrimus & a quibus nos liberos esse cupimus. *Pœnitentis desiderium.*

Propositionis præsentis veritas a posteriori adeo manifesta est, ut Critici in reddendis rationibus etymologiæ vocabuli ad eam recurrerint, quemadmodum paulo ante a nobis annotatum est (§. 760). Idem unusquisque in se experitur, quotiescunque pœnitet eum jam factorum. Ponamus virum quendam eruditum conscripsisse aliquem librum de Quadratura circuli & postquam eundem publici juris fecerat, reperire a veritate aberrare, quam sibi invenisse visus fuerat, circuli Quadraturam. Nemo dubitat quod eum pœniteat, inventum suum a se publici juris fuisse factum, antequam virorum eruditorum judicium expiscatus fuerat. Dum igitur mallet librum a se conscriptum nondum publici juris fuisse factum; ecquis non videt, dum eum pœnitet publicationis, quod factum infectum reddere mallet. Ponamus similiter aliquem evulgasse consilia, quæ animo agitabat, ac ideo scopo suo excidisse. Dum damnum sentientem pœnitet, quod intempestive aliis dixerit, quæ reticere debebat, ingeminare solet: utinam hæc nemini dixissem! manifesto sane indicio, quod factum infectum reddere mallet, siquidem per se staret.

Probe notanda est propositio præsens, quod ejus multus sit usus in Moralibus, ubi nobis cum pœnitentia plurimum negotii erit. Mox etiam patebit, quantum conferat ad inquietudinem animi hæc cogitatio,

tatio, quod præstaret si factum infectum reddi posset, & quod inde potissimum pendeat differentia pœnitentiæ ab aliis tristitiæ speciebus.

§. 762.

Pœnitentia affectus qualis.

Pœnitentia animum admodum inquietum reddit. Si quem enim pœnitet ejus, quod fecit, is ideo, quod fecit, tristitia, aut tædio afficitur (§. 755). Idem vero mallet factum esse infectum (§. 761). Enimvero cum factum infectum fieri non posse agnoscit, causam quoque, consequenter rationem tristitiæ, vel tædii sui, tolli non posse agnoscit (§. 883. *Ontol.*), consequenter se a tristitia ista, vel tædio liberari non posse certus sibi videtur (§. 118. *Ontol.*). Quoniam igitur malum reputare debet, quod tristitia, & tædiis conficiatur (§. 613), inde quoque tristitia afficitur, (§. *cit.*), atque adeo animus ejus inquietus est.

Hanc inquietudinem unusquisque in se ipso experitur, quando eum facti sui pœnitet. Clarissime quoque percipimus, inquietudinem esse ex eo, quod factum infectum fieri haud quaquam possit. Quoties enim ipsimet damnamus, quod fecimus, toties anxietas novum quasi impetum in animum nostrum facit. Et iterati isti insultus inquietudinem animi constituunt. Sed præstat ea observari, quam verbis prolixis describi. Sufficit abunde attentionem excitasse ad ea, quæ observari debent.

Quam molesta sit pœnitentia, ut probe agnoscamus, plurimum refert. Ingens enim adversus vitium præsidium est ejus memoria. Ceterum hinc quoque intelligitur, cur affectus molestissimus esse debeat pœnitentia, quia animus angitur tristitia atque tædio, quod a nobis auferri non potest, nisi diuturnitate temporis, subinde autem vix ac ne vix quidem unquam evanescit. Hortamur itaque serio omnes, ut, si eos facti pœnitet, ad singula probe attendant, quæ omni acumine suo distinguere valent, ne negligant illud, cujus maxime habenda est ratio, ubi vitam felicem ac tranquillam degere voluerimus, nos vero temere infelices reddere noluerimus.

§. 763.

Digitized by Google

§. 763.

Si quis in ſeipſo acquieſcit, ea, quæ jam fecit, facta eſſe mavult, quam infecta, ita ut, ſi occaſio ea agendi denuo ſeſe offerret, eadem denuo faceret. Qui enim in ſeipſo acquieſcit, is quæ fecit bene ac rite facta eſſe judicat, iisdemque gaudet (§. 749), conſequenter inſigni prorſus voluptate inde afficitur (§. 614). Quamobrem ea, quæ fecit, adhuc appetit (§. 589), tanto quidem magis, quanto major eſt voluptas, qua inde afficitur (§. 595). Enimvero ea, quæ appetimus, facimus, ſi quidem faciendi occaſio ſeſe offert, nec quicquam actionem impedit. Quamobrem ſi ea, quæ fecit in ſeipſo acquieſcens, denuo faciendi occaſio ſeſe offerret, cum nihil actioni obſtet, ſed potius gaudium, quo inde afficitur, ingens admodum ſtimulus ſit ad faciendum (§. 603); idem denuo faceret, adeoque fieri non poteſt ut ea, quæ fecit, infecta potius, quam facta mallet. Ea igitur facta mavult, quam infecta. *Qualis ſit acquieſcentia in ſeipſo.*

Experientia idem confirmat omnium clariſſime in eo caſu, quo ex iis, quæ bene ac rite facta ſunt, anſam nobis nocendi ac tædia creandi capiunt invidi ac malitioſi. Quodſi enim in nobismet ipſis acquieſcimus, factis noſtris ad trutinam rationis appenſis, ultro fatemur, nos idem denuo facturos, quod fecimus, ſi quidem id faciendi occaſio denuo offeratur. Immo ultro fatemur, nos idem facturos fuiſſe, etiamſi vexas ac tædia nobis ideo creanda prævidiſſemus. Non ſimulata eſſe hæc verba in aliis ex eo intelligitur, quod inter medias vexas, ac inter mille tædia, quæ ipſis creantur, læti ſint ac contento animo. Exemplo nobis ſunt Apoſtoli, ob evangelium de Chriſto prædicatum vexis diriſſimis obnoxii, ſed medias inter calumnias lætiſſimi. Si quis vero in ſeipſo acquieſcens experimentum in ſe capit, is ſinceritatem judicii ipſo ſenſu interno percipit, ut de ea dubitare haud quaquam poſſit.

Non obſtat acquieſcentiæ in ſeipſo, quod quis malitiæ illorum indignetur, qui ipſi vexas creant ob ea, quæ bene ac recte facta

sunt: neque enim ea illi contrariatur, sed penes eam subsistere potest, quemadmodum ex sequentibus clarius elucescit. Quemadmodum vero pœnitentia id præcipui habet, quod factum infectum malit; ita acquiescentiæ in seipso non minus peculiare est, quod factum potius factum, quam infectum mavult. Sicuti igitur porro *Martinius* pœnitentiam definit per dolorem ob factum meum, quod admissum nollem; ita e contrario acquiescentia in seipso vi propositionis præsentis definiri poterat per gaudium, seu voluptatem ob factum meum, quod admissum volo. Atque ita quid sit acquiescentia in seipso ex pœnitentia rectius intelligitur, oppositis juxta se positis magis elucescentibus: id quod etiam in aliis casibus obtinet, veluti dum sanitas ex morbo clarius innotescit.

§. 764.

Acquiescentia in seipso effectus.

Acquiescentia in seipso animum reddit quietum. Qui enim in seipso acquiescit, ob factum suum gaudet (§. 749) & ea, quæ vult, facta esse mavult, quam infecta (§. 163), consequenter adhuc appetit, quæ appetierat ante, minime autem aversatur, quæ ante appetierat. Quare cum contrariis appetitibus & aversationibus vacuam habeat mentem, nec adsit quod eum a sententia sua dimovere possit, quin potius gaudium, seu voluptas, qua fruitur, stimulo ipsi sit ut in eadem sententia firmiter perstistat; animus ejus quietus est, qui in seipso acquiescit. Inprimis ea clarissime percipitur, ubi inter mille tædia, quæ nobis creantur ab invidis ac malitiosis hominibus, immo inter nefandas ac abominandas quascunque vexas caput veluti suum extollit acquiescentia in seipso. Sunt quædam hujus quietudinis aut, si vox communior magis placet, quietis animi in aliis indicia, unde haud obscure colligitur. Sed de his suo tempore in Moralibus agendi locus erit, ubi cum patientia nobis erit negotium.

Hæc ipsa quies, quæ gaudium singulari quadam ratione modificat, hanc gaudii speciem ab alio quocunque gaudio distingui facit, ut ideo jure merito pro peculiari affectu habeatur. Ab ea est illa affectus hujus dulcedo, quam tantopere prædicat *Cartesius*, & qua

semel

semel degustata non exiguam felicitatis humanæ, immo præcipuam ejus partem, in acquiescentia hac interiore reponimus.

§. 765.

Gloria est gaudium, quod percipitur ex aliorum de nobis nostrisque benigno judicio. Si gaudium nascens fuerit, ejus loco voluptas percipitur in minori gradu, quam qui ad prædominium, in quo gaudium consistit (§. 614), sufficit. Dicitur autem *judicium* aliorum de nobis aliisque *benignum*, si ea, quæ fecimus, bene ac recte a nobis facta esse, quæque nobis sunt, ea bona esse judicant. *Gloria definitio.*

Dari istiusmodi gaudium per propositionem subsequentem patet, quam ideo ad evincendam definitionis hujus realitatem subjungimus, quemadmodum jam in aliis casibus a nobis factum fuit.

§. 766.

Si quis benignum aliorum de se suisque judicium sibi repræsentat, gaudio afficitur, seu quod perinde est, *ex opinione benigni aliorum de nobis nostrisque judicii multoque magis ex ipso judicio voluptate, vel gaudio afficitur.* Si quis enim sibi benignum aliorum de se suisque judicium repræsentat; is vel novit alios judicare, vel existimat alios judicaturos esse, quod quæ fecit, bene ac recte fecerit, quodque ea bona sint, quæ ipsi sunt (§. 765). Quamobrem & perfectionis sui ipsius ac operis sui, vel perfectionis aliorum, quam sibi promovisse videtur, conscius est, sive illa vera fuerit, sive apparens (§. 554. 557), adeoque voluptate multiplici (§. 511), vel prorsus gaudio afficitur (§. 614). *Realitas definitionis gloriæ adstructa.*

Idem confirmatur a posteriori. Exempla inter eruditos maxime obvia sunt. Ponamus Geometram quendam conscripsisse Tractatum de novo quodam curvarum genere, hactenus Geometris ignoto, ac novis usum esse artificiis analyticis in symptomatibus earum investigandis. Quodsi jam hoc scriptum suum ad opinionem Geometrarum refert sibique persuadet,

ſuadet, quod plurimum ſint ejus judicio ac ingenio tributuris opusque ſuum maximi facturi; gaudio prorſus ſingulari perfunditur, quo veluti extra ſe rapi videtur, & nil magis in votis habet, quam ut judicia Geometrarum peritorum actu percipiat. Quodſi contingat Geometram quendam primi ordinis laudare opus ipſius; gaudium ejus multo intenſius redditur: quod in cauſa eſt ut aliis narret judicia aliorum de ſuo opere, monſtrans literas, in quibus ea ad ipſum perſcripta ſunt, vel locum librorum, in quibus elogia operis ſui leguntur. Enimvero gaudium iſtiusmodi non tantummodo in Geometra; ſed in aliis quoque viris doctis obſervare licet, ſive Theologi fuerint, ſive JCti, ſive Medici, ſive Mathematici, ſive Philoſophi, ſive Literatores, ſeu quocunque demum nomine veniant. Immo cum neceſſe non ſit, ut, qui benigna aliorum judicia de opere ſuo ſibi promittit, iſtiusmodi judicia mereatur, vel certam ſpem foveat, opinione fallaci ad affectuum geneſin ſufficiente; gaudium eximium in iis promiſcue obſervare datur, ubi opera ſua, vel inventa, quæ ſibi eſſe opinantur, ad aliorum opinionem referunt. Notus mihi fuit ante annos complures Medicus quidam haud incelebris, qui cum eſſet principiorum aſtronomicorum prorſus ignarus, & in elementis Geometriæ adeo hoſpes, ut tres in triangulo rectilineo angulos duobus rectis æquales eſſe ignoraret, in elementis Arithmeticæ adeo rudis, ut ne quidem abacum Pythagoricum perſpiceret, multo minus multiplicatione ac diviſione conſueta defungi poſſet, audacia tamen vix credibili omnem Aſtronomiam reformare & calculum aſtronomicum, præſertim eclipſium, facilitare volebat. Nemo non me vel tacente intelligit, quam pueriliter a vero aberrare debuerit, ubi nova ſibi inveniſſe viſus eſt. Hoc tamen non obſtante cum inventa ſua Caſſinianis, Hevelianis, Keplerianis longe præſtantiora exiſtimaret orbemque ea viſurum in ſummam admirationem abreptum iri ſibi perſuaderet, tanto gaudio efferebatur, quanto nunquam elatum vide-

viderim alium. Exempla cumulare licet, si quis vulgus eruditorum adire velit, quod felix est errore suo. Suppeditant quoque exempla artifices opera sua, quibus perficiendis incumbunt, ad aliorum judicia referentes. Praeterea attendendum est ad actiones morales; quas qui ad aliorum opinionem referunt, gaudere deprehenderis ubi eas laudari audiunt, vel easdem laudatum iri sibi persuadent.

Gaudium hoc prorsus differt ab eo, in quo acquiescentia in seipso consistit. Ipso sensu interno utrumque a se invicem discernere licet. In eandem inquiremus sollicitius in Psychologia rationali. Ingens autem differentia effectum unum ab altero tanquam duas diversas gaudii species distingui jubet. Utiliter uterque conjungitur: sed de eo dicendum erit in philosophia Morali, ubi varios affectuum usus atque abusus exposituri sumus, ut eos in rem nostram vertamus, ab his vero nobis caveamus.

§. 767.

Si quis gloria commovetur, is quae fecit, vel sibi sunt, ab aliis bona existimari opinatur. Gaudium enim percipit ex benigno aliorum de se suisque judicio (§. 765). Quamobrem cum aliorum de nobis nostrisque, adeoque iis, quae fecimus, vel quae nobis sunt, judicium tunc benignum experiamur, si ea, quae fecimus, vel quae nobis sunt, ab aliis bona existimantur (§. *cit.*); qui gloria commovetur, is ea quae fecit, vel quae sibi sunt, ab aliis bona existimari experitur. Enimvero affectus etiam oriuntur si tantummodo nobis sit boni, vel mali opinio, cum sufficiat ejusdem confusa repraesentatio (§. 605), adeoque gloriae quoque affectus animum ejus invadere debet, si quae fecit, vel sibi sunt, ab aliis bona existimari, aut ubi nondum aliis innotuere, bona judicatum iri opinatur. *Quando quis gloria commovetur.*

Propositio haec convertenda a nobis est in usum definitionis realis. Conversam igitur eidem subjicimus.

§. 768.

Si quis ea, quae fecit, vel quae sibi sunt, ab aliis bona existimari opinatur, gloria commovetur, ubi animum ejus affectus in- *Idem ulterius expenditur.*

invadit. Etenim si opinatur, quæ fecit, vel sibi sunt, ab aliis bona existimari; benignum sibi promittit de se suisque judicium aliorum (§. 765). Enimvero si benignum sibi aliorum de se suisque judicium repræsentat gaudio afficitur (§. 766), in casu scilicet affectus orientis, ubi quis bonum existimat aliorum de se suisque benigna esse judicia. Quamobrem cum gaudium istud gloria sit (§. 765); gloria commovetur, ubi affectus animum ejus invadit.

Non sine ratione prædicato adjecimus restrictionem, propterea quod dantur homines, qui ad aliorum de se suisque judicia parum attendunt, adeoque nec gaudio afficiuntur, ubi benigna sunt. Affectus adeo in istiusmodi subjectis, quorum ad gloriam non dispositus animus est, nullus oritur. In simili autem casu semper tacite supponimus affectum quendam oriri, nobisque tantummodo animus est inquirendi in affectus istius speciem.

§. 769.

Gloriæ definitio realis.

Gloria est affectus, qui oritur si ea, quæ fecimus, vel nostra sunt, ab aliis bona existimari opinamur.

E. gr. ponamus Poëtam sibi repræsentare elogia ab aliis in carmen suum conferenda, vel legere in scriptis aliorum encomia, quibus ipsum ob poëma a se conditum ornant; singulari quadam specie gaudii animum ejus commoveri res omnibus explorata est. Hanc vero gaudii speciem gloriam appellari monuimus (§. 765). Gloria igitur commovetur animus Poëtæ. Dedimus exempla alia definitionem gloriæ nominalem illustraturi, quæ etiam ad definitionem realem illustrandam trahi possunt. Immo definitio realis ex nominali sine ambagibus exsculpi poterat, quod scilicet sit affectus ex opinione benigni aliorum de se suisque judicii ortus, nisi subinde consultius esset ipsum judicium, quale sit, statim exprimi, ut citra ambages procedat applicatio.

§. 770.

Definitiones gloriæ significatui recepto conformes.

Definitio gloriæ tam realis, quam nominalis notionibus communibus & significatui in philosophiam introducto conformis. Negari non potest, gloriam vulgo non pro affectu sumi, sed pro causa affectus. Affectui enim nullum peculiare imponi-

ponitur nomen, propterea quod vulgo gaudium casus præsentis non distingvitur a gaudio alio, differentia tantummodo obscure percepta. Vocabuli significatum exponunt *Goclenius* & *Martinius* in Lexicis. Varias ille affert aliorum definitiones, quæ in eo conspirant omnes, quod benignum aliorum de iis, quæ bene ac recte a nobis facta sunt, judicium sit id, quod gloria appellatur. Hoc vero judicium, quatenus nobis in mente idem repræsentamus, esse causam affectus, patet (§. 169. *Psychol.* & §. 881. *Ontol.*). *Albertus Magnus* gloriam esse ait claram cum laude notitiam, ejus scilicet, cui gloria tribuitur. Requirit adeo, ut is, cui gloria esse dicitur, aliis sit notus, & quod eundem laudent, quodque hæc laus non sit communis, sed eximii gradus: ideo enim clara appellatur. Jam vero, non male definiente *Goclenio*, laus est significatio expressa boni, quod est in qualibet re, adeoque ab aliis quis laudatur, quatenus recensentur bona, quæ ipsi sunt, ac inprimis quæ bene ac recte fecit, consequenter cum laus eximii gradus ad gloriam requiratur, bona, quæ de altero commemorantur, gradus eximii ac facta præclara esse debent. Patet igitur *Albertum Magnum* studiose, quod gloria consistat in judicio aliorum de bono haud vulgari, quod nobis inest, & de iis, quæ a nobis præclare facta sunt, nimirum ut ea ipsis & perspecta sint, & ab iisdem candide significentur. Ecquis non videt causam affectus, quem gloriam dicimus, ab *Alberto Magno* fuisse gloriam dictam (§. 169)? *Boëtius* gloriam definit per illustrem & pervulgatam recte factorum & magnorum vel in suos cives, vel in Remp. vel in omne genus hominum meritorum famam. Ad famam denuo requiruntur duo, scilicet recte factorum & magnorum meritorum in alios notitia, atque expressa eorundem significatio in vulgus disseminata, aut minimum inter eos pervulgata, quorum de iis judicium suspiciendum. Quamobrem & *Boëtius* gloriam denuo reducit ad judicia aliorum de nobis, quod eximiis bonis ornati simus & præclara fecerimus,

con-

conſequenter gloriæ nomen cauſæ illius affectus tribuit, quæ a nobis gloria appellatur. Omnium vero clariſſime *Auguſtinus* gloriam per affectus noſtri cauſam definit, dum eam eſſe dicit judicium hominum bene de hominibus opinantium. *Martinius* vagum vulgo cenſet vocabuli ſignificatum, adeoque diverſos exponit, quos obtinet. Primo loco commemorat actionem celebrantis, quæ gloriæ nomine inſignitur; & hunc potiorem ſignificatum exiſtimat, dum gloriam per frequentem famam cum laude, ſeu claram notitiam cum laude explicat. Per laudem idem intelligit commemorationem boni, quod eſt in aliquo, vel ab aliquo. Atque adeo mens *Martinio* eadem fuit, quæ *Boëtio*. Oſtendimus vero *Boëtium* cauſam affectus, de quo nobis jam ſermo eſt, gloriam appellaſſe. Ergo patet *Martinio* quoque cauſam ejusdem affectus gloriæ nomine venire. *Carteſius* in Tract. de paſs. animæ part. 2. art. 66. gloriam in numerum affectuum retulit & dum hanc ejus dedit definitionem realem, quod bonum, quod eſt, vel quod fuit in nobis, ſi referatur ad opinionem, quam alii de eo concipere poſſunt, eum excitet; haud obſcure ſignificat ad gloriæ affectum excitandum ſufficere repræſentationem judicii aliorum de eo, quod nobis ineſt, vel quod fecimus, etſi nunquam ita judicaturi ſint alii, vel aliter jam judicent alii. Atque hæc conſentanea ſunt definitioni reali, quam dedimus (§. 170). Quoniam igitur tanto philoſopho præeunte gloria in numerum affectuum tanquam ſingularis eorundem ſpecies relata fuit, & ab ejus parte ſtat veritas, quemadmodum ex anterioribus abunde liquet; veritas non modo eandem in numerum affectuum a nobis referri; verum etiam nomen, a *Carteſio* eidem impoſitum retineri juſſit ratio (§. 142. *Diſc. prælim.*).

In lingva vernacula non opus eſt, ut nomen cauſæ affectui imponamus; ſed peculiare proſtat nomen, quod eum a cauſa diſtingvit. Etenim cum gloria nobis idem ſit quod Ruhm; ſi communi more pro cauſa affectus ſumitur; affectum ipſum Ruhm-Begierde appellamus quaſi gloriæ cupiditatem. Abſit autem ut quis affectum hunc

hunc cum ambitione confundat, quod vitium in exceſſu eſſe ſuo loco in Moralibus oſtendemus, cum affectus, de quo jam loquimur, non ſemper malus ſit, etſi abuſu ejusdem ambitio gignatur. Poſſet is etiam Germanice dici Ruhm-Liebe, quaſi amor gloriæ; ſed malui tamen vocabulum prius huic poſteriori præferre, propterea quod illud rei convenientius eſt, utpote impetum iſtum exprimens, quo, qui gloria ducitur, in eundem fertur.

§. 771.

Gloria ſtimulus eſt ad præclara præſtanda absque ulla ſpe lucri. Si quis enim gloria ducitur, is ea, quæ facere debet, ad aliorum opinionem refert, atque gaudet, quamprimum exiſtimat, alios de iis judicaturos, quod præclare facta ſint (§. 765). Quoniam itaque ex eo voluptatem percipit, quod alii præclare a ſe factum ſint agnituri (§. 614); id quidem tanto melius judicat, quanto major voluptas eſt quæ inde percipitur (§. 612), conſequenter quod faciendum eſt ideo appetit (§. 579). Gloria igitur ſtimulus eſt ad præclara agenda. Enimvero quoniam qui gloria ducitur ideo præclare facienda appetit, quod alios agnitutos eſſe confidit, ſe rem bene ac recte feciſſe; per ſe patet, quod absque ſpe lucri idem faciat, ſeu quod idem faciat, etiamſi nullum inde lucrum ſperet. *Gloriæ effectus.*

A poſteriori idem luculenris admodum teſtimoniis confirmari poteſt. Suppeditant nobis inprimis talia Aſtronomi, quæ omni exceptione majora eſſe nemo non agnoſcere debet. Quantos, quæſo, ſumtus Aſtronomiæ perficiendæ gratia fecit *Joannes Hevelius?* Quantum operæ conſumſit in obſervationibus cœleſtibus venandis, quarum theſaurum nobis inprimis altero Tomo Machinæ cœleſtis exhibuit? Cum ſelenographiam accuratam conficere vellet, ipſemet objecta accurate in charta delineare ac delineata æri incidere didicerat, ne veritatem & accurationem obſervationum negligentia artificum corrumperet dubiamque horum fidem experiri cogeretur? Ex ſcriptis vero ejusdem ſatis ſuperque apparet, ipſum non alia de cauſa tantopere ſollicitum fuiſſe, ut omnia bene ac recte fierent, quæ

Aſtronomiæ perficiendæ gratia moliebatur, quam ut Aſtronomi periti agnoſcerent, ipſum omnes Aſtronomi partes ex aſſe adimpleviſſe. Nullum vero inde lucrum ſperare poterat. Etenim inter modos acquirendi nemo refert ſumtus in Aſtronomiam perficiendam faciendos, quos multis modis aliis utiliter impendere licebat. Non igitur opus eſt ut prolixe oſtendatur, *Hevelium* nulla ſpe lucri ad Aſtronomiam excolendam adductum fuiſſe. *Joannes Keplerus* ſtupendam induſtriam collocavit in theoria planetarum indaganda, cum maxima ingenii vi leges poli ac veras orbitas planetarum in apricum produceret. Quod vero non alius ipſi ſtimulus fuerit quam gloria, ex Dedicatione ad *Rudolphum* II. Imperatorem, quam Commentariis de motibus ſtellæ Martis præmiſit, ſatis ſuperque elucet. Provocare etiam poteram ad Tabularum non modo aſtronomicarum, verum etiam trigonometricarum, inprimis logarithmicarum conditores, quorum exemplum vel ideo dignum, quod hic commemoretur, quia periti ſatis ſuperque intelligunt ipſos tot calculi tædia non alio fine devoraſſe, quam ut bene meriti de genere humano dici poſſent. Enimvero proſtant quoque inter eruditos ceteros exempla longe plurima, quæ veluti ſponte ſua unicuique ſeſe offerunt, modo levi attentione uti velit. *Ovidius* ipſemet de ſe fatetur, quod ſtimulum ſibi dederit gloria ad arduum opus perficiendum. Ita enim canit:

Magnum opus aggredior, ſed dat mihi gloria vires.

Vires nimirum dat gloria, quatenus gaudio perfuſi novo quaſi impetu accepto ad perficienda ea ferimur, quorum executio tædiis plena, ut a propoſito quaſi declinemur. Sed non opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt. Nihil enim præclari unquam in orbe terrarum factum, quod ex gloria tanquam fonte non manaverit. Et ubi accuratius inquiſiveris, nonniſi eos qui gloria ducti fuere, feciſſe præclara ac de genere humano bene meruiſſe deprehendes.

Pro-

Digitized by Google

Propositio præsens non satis commendari potest, quæ mente continuo volvatur revolvaturque. Utilitatis maximæ est in omni praxi morali & qui gloria uti noverit, haud postremum felicitatis suæ partem eidem tribuit. Recte si eadem utaris, affectui huic socium sese præbet jucundissimus ille, quem acquiescentiam in seipso appellavimus. Cavendus vero est abusus ambitionis fomes, cui pœnitentia se comitem præbet cum aliis affectibus molestis. Sed de his disserere non est hujus loci. Dabimus suo loco in philosophia morali, quæ conducunt.

§. 772.

Qui gloria ducitur, ei benigna aliorum de se suisque judicia placent. Qui enim gloria ducitur, is gaudio afficitur ex benigno aliorum de se suisque judicio (§. 765). Quamobrem cum ea nobis placeant, ex quibus voluptatem percipimus (§. 542); ex iis vero voluptatem percipiamus, unde gaudio afficimur (§. 614): qui gloria ducitur, ei benigna aliorum de se suisque judicia placent. *Quorum placeant ei, qui gloria ducitur.*

Idem a posteriori confirmatur ex iis, quæ ad confirmandum gaudium ex repræsentatione benigni aliorum de se suisque judicii ortum in medium adduximus (§. 766). Cur enim Geometra aliorum de inventis suis judicia benigna aliis commemorat? Non alia sane de causa, quam quod inde voluptatem percipiat, consequenter quod judicia ista eidem placeant. Enimvero a posteriori propositionis præsentis veritas adeo manifesta est, ut nemo ideo eam in dubium revocaverit.

§. 773.

Si cui benigna aliorum & quidem perito peritorum judicia de se suisque placent: is gloria ducitur, seu animum habet ad gloriam dispositum. Etenim si cui judicia aliorum de se suisque placent, is ex iis voluptatem percipit (§. 542), adeoque pro re nata prorsus gaudio afficitur (§. 614). Enimvero qui ex aliorum de se suisque benignis judiciis voluptatem percipit, vel gaudio prorsus afficitur, is gloria ducitur (§. 765), seu animum ad gloriam dispositum habet. Quamobrem cui be- *Signum gloriæ.*

Digitized by Google

nigna aliorum de se suisque judicia placent, is gloria ducitur. Quoniam vero periti satis superque perspectum habent, nonnisi peritos de se suisque judicia veritati consentanea ferre posse; ideo quoque nonnisi ipsorum judicia ipsis placent, consequenter si peritis peritorum judicia benigna de se suisque placent, eosdem gloria duci inde manifestum est.

Ad confirmandam propositionem præsentem a posteriori eadem faciunt, quibus præcedens confirmatur. Ipsa autem experientia loquitur peritis non placere nisi peritorum judicia & quo quem magis norunt rei, de qua judicium ferri debet, peritum, eo magis judicium placere; at imperitorum judicia licet benignissima non commovere peritos. Ita Geometræ primi ordinis insuper habent judicia eorum, qui cum ultra elementa non sapiant, de inventis ipsorum judicium ferre nequeunt: aut iidem delectantur judiciis aliorum sibi similium. Philosophum non movent judicia aliorum, qui philosophi videri volunt, non sunt; aut eorum demum judicia placent, quibus de rebus philosophicis judicare datum est. Ut ad exempla specialia descendamus, *Copernicum* testem appellamus, qui Astronomorum peritorum judiciis contentus ceterorum Astronomiæ imperitorum judicia contemnebat, quemadmodum ex Dedicatione operis de Revolutionibus orbium cœlestium constat. Hinc videas peritos non captare auram vulgi, quemadmodum vulgus eruditorum facit, nec magni facere elogia, quæ in verbis elegantiam habent, nihil autem ejus significant, quod laudem constituit; sed commemorationem meritorum iis placere, quæ laudem absolvit. Atque ideo porro moris est, ut periti alios laudaturi in factis recensendis ac describendis tori sint, a verbis autem pomposis, quæ vulgi pabulum sunt, prorsus abstinent. Atque ita abunde patet, si de peritis judicandum, utrum ad gloriam dispositum habeant animum, nec ne; quomodo ad peritorum judicia sese habeant respiciendum esse.

Habe-

Digitized by Google

Habemus hic signum non modo gloriæ, verum etiam peritos ab imperitis distinguendi. Quod utinam notarent, qui vanæ gloriæ studiosi sunt, ut suæ inde imperitiæ convincerentur, quam alias ob imperitiam agnoscere minime valent. Sed plura eam in rem dicemus in Moralibus. Imperitus ille astrophilus, de quo supra diximus (§. 766), mirifice delectabatur judiciis hominum astronomiæ omnis expertium, veluti si inventa, quæ jactabat & de quibus ipsi nihil intelligebant, luce publica digna pronunciabant fidem habentes magnificis laudibus, quibus inventor inventa sua ipsemet extollebat.

§. 774.

Pudor est tristitia, quæ percipitur ex sinistro aliorum de nobis nostrisque judicio. Si tristitia nascens fuerit, ejus loco tædium percipitur, in minori gradu quam qui ad prædominium sufficit, in quo tristitia consistit (§. 619). Dicitur autem *judicium* aliorum de nobis aliisque *sinistrum*, si ea, quæ fecimus, ea minus recte a nobis facta esse, quæque nobis sunt, ea mala esse judicant. *Pudoris definitio.*

Dari istiusmodi tristitiam ac tædium per propositionem subsequentem patet, quam ideo ad evincendam hujus definitionis realitatem subjungimus, quemadmodum in superioribus factum. Quemadmodum vero in affectu gloriæ supponitur, quod affectui indulgens judicium aliorum benignum verum esse reputet, cum inde sit, quod peritus imperitorum judicia non curet (§. 723); ita quoque in affectu pudoris supponi debet, eum, quem pudet, judicium aliorum de se suisque sinistrum pro vero habere debere. Id vero ex subsequente propositione patebit.

§. 775.

Si quis sinistrum aliorum de se suisque judicium sibi repræsentet, idemque pro vero habeat: tædio, vel tristitia afficitur, seu quod perinde est, ex opinione sinistri aliorum de nobis nostrisque judicii, meritoque magis ex ipso judicio, quod verum esse, vel etiam pro vero ab aliis haberi agnoscimus, tristitia, vel tædio afficimur. Etenim si quis sinistrum aliorum de se suisque judicium sibi repræsentat, idemque pro vero habet, is sibi conscius est alios judicare, vel judicaturos esse, quod ea, *Realitas definitionis pudoris adstructa.*

Digitized by Google

quæ fecit, male ac minus recte a ſe facta ſint, vel quod ea, quæ ſibi ſunt, mala ſint (§. 774), immo ipſemet judicat ea, quæ fecit, male ac minus recte a ſe facta eſſe, vel ea, quæ ſibi ſunt, mala eſſe (§. 505. *Log.*). Imperfectionis igitur ſuæ ſibi conſcius eſt, quatenus mala a ſe patrata, vel patranda, vel mala, quæ ipſi ſunt, intuetur (§. 565): Imperfectionis ſtatus ſui ſibi conſcius eſt, quatenus aliorum ſiniſtra judicia intuetur (§. 567). Ex utraque igitur cauſa tædio afficitur (§. 518), vel prorſus triſtitia animus corripitur (§. 619).

Idem confirmatur a poſteriori. Exempla inter eruditos obvia ſunt. Si quis eruditus in libro, quem publici juris fecit, errores a ſe admiſſos animadvertit ſibique repræſentat judicia aliorum de ſe ſuoque libro ſiniſtra; nemo non novit animum ejus tædio, immo triſtitia perturbari. Atque tum pudet eum erroris a ſe admiſſi. Enimvero cum ſimul ipſum pœniteat, quod librum ediderit, antequam curis poſterioribus eundem ſubjicere potuerit; uterque autem affectus triſtitiæ quædam ſpecies ſit (§. 755. 774); attentione opus eſt, ut, quæ ad pœnitentiam ſpectant, ſeparentur ab iis, quæ ſunt pudoris. In ſe unusquisque haud difficulter diſtingvit ea, quæ ſunt pœnitentiæ, ab iis quæ ſunt pudoris, neque enim alia re opus eſt, quam ut attendamus, utrum nobis jam conſcii ſimus noſtri, an alieni de factis noſtris judicii. In caſu enim primo pœnitentiæ (§. 755); in poſteriori pudori locus eſt (§. 774). Sunt vero etiam ſigna externa, per quæ pœnitentiam a pudore diſtingvere licet. Pudorem enim nemo non agnoſcit ex rubore faciei, averſione vultus ac demiſſione oculorum: pœnitentiam vero ex planctu de actionibus commiſſis, vel omiſſis. Uterque autem affectus verbis non ſimulatis ſeſe prodit. Sed hæc ſatis obvia ſunt, ut ad ſpecialia deſcendere non ſit opus.

Triſtitiam, quæ pudorem abſolvit, prorſus differre ab ea, quæ pœnitentiam conſtituit, ipſo ſenſu interno percipimus. Noſtrum vero demum

demum erit in istam differentiam inquirere in Psychologia rationali. Multam quoque lucem differentiae huic affundet philosophia moralis.

§. 776.

Si quem pudet eorum, quae fecit, vel quae sibi sunt, is ea ab aliis ignorari mallet. Si quem enim pudet eorum, quae fecit, vel quae sibi sunt, is ex eo tædium percipit, vel tristitia afficitur, quod sibi persuadet, alios de se suisque finistre judicaturos (§. 774). Quoniam igitur finistra aliorum de se suisque judicia tanto majus malum videntur, quanto majus tædium est quod inde percipitur (§. 613); illa quoque judicia aversatur (§. 590), consequenter mallet ea impossibilia esse. Quare cum alii de nobis nostrisque judicare nequeant, si quae fecimus, quaeque nobis sunt ignorant; is utique, quem pudet eorum, quae fecit, vel quae sibi sunt, ab aliis ignorari mallet. *Pudoris effectus.*

Patet idem clarissime a posteriori. Etenim si quis in dignitate constitutus parentes habet vilioris conditionis ac pauperes, eumque eorum pudet, quod sibi metuit a contemtu aliorum ob vilem conditionem ac egestatem parentum; is de parentibus suis nunquam loquitur, immo sollicite cavet, ne quis resciat quinam sint, vel fuerint parentes sui, manifesto indicio malle sese ut alii ignorent, quinam parentes sui sint, vel fuerint. Similiter si quis fecit ea, quorum ipsum pudet; is ea, quae fecit, studiose celare solet, manifesto utique indicio, malle ipsum ab aliis ignorari quae fecit. Immo si noverit, constare aliis de facto suo, in conspectum eorum vix prodire audet, nec ferre potest, ut quis ipsum intueatur, immo nec ipse quenquam intueri valet: id quod denuo manifesto indicio est, malle sese ignorari ab aliis, quae fecit, aut id in votis habere, ut ne alii de ipso cogitent. Nimirum multa fluunt ex propositione praesente, quae sensui maxime obvia sunt, adeoque indicia praebent ejus, quod in propositione praesente affirmatur.

Pro-

Digitized by Google

Propoſitio præſens plurimum utilitatis nobis afferet in moralibus, ubi eadem tanquam principio in caſibus bene multis utemur.

§. 777.

Quales ſint, qui ad pudorem pronus eſt.

Qui ad pudorem pronus eſt, is malum exiſtimat alios noſſe, quæ a ſe male, vel minus recte facta ſunt, aut quæ ſibi mala ſunt. Si vis enim ad pudorem pronus eſt, is ex eo tædium percipit, immo triſtitia afficitur, quod alii norint ea, quæ a ſe male, vel minus recte facta ſunt, aut quæ ſibi mala adſunt (§. 774). Quamobrem eum id malum tanto majus judicemus, quo majus tædium eſt quod inde percipitur (§. 613); qui ad pudorem pronus eſt, is malum exiſtimare debet alios noſſe, quæ a ſe male, vel minus recte facta ſunt, & quæ ſibi mala ad ſunt.

A poſteriori propoſitio confirmatur, quod videamus eos, quos pudore corripi obſervamus, ſtudioſe celare, quæ a ſe male facta ſunt, & unde famam detrimentum capere poſſe exiſtimant. Jam vero ea averſamur, quæ noſtra opinione mala ſunt (§. 579). Satis igitur certo inde colligitur, quod ad pudorem pronus malum reputet ea, quæ in ſe reprehenſione, vel cenſura aliorum digna ſunt, aliis innoteſcere.

Quoniam dantur gradus pudoris, ita ut unum magis pudeat ejusdem, quam alterum, etſi idem ſit utriusque de eodem judicium; unus quoque magis malum judicat, quam alter, ſi mala de ſe aliis innoteſcant. Quamobrem ubi propoſitionem a poſteriori confirmare voluerîs, ad ea inprimis exempla reſpiciendum eſt, quæ pudorem gradus excelſi loquuntur. Ceterum id, unde propoſitio a poſteriori confirmatur, per modum corollarii fluit ex propoſitione præſente, quemadmodum ex ſequente articulo apparet.

§. 778.

Effectus pudoris.

Quoniam is, qui ad pudorem pronus eſt, malum exiſtimat alios noſſe, quæ a ſe male, vel minus recte facta ſunt, aut quæ ſibi mala ſunt (§. 777); quamprimum vero aliquid malum judicamus, idem averſamur (§. 590), conſequenter ne fiat omni malo impedire ſtudeamus; *Qui ad pudorem pronus eſt.*

Digitized by Google

est, studiose cavet, ne quæ mala sunt opinione sua, vel communi hominum opinione, aliis de se innotescant.

§. 779.

Pudor est affectus, qui oritur, si mala, quæ fecimus, vel nobis sunt, aliis innotescere ac ab iis agnosci nobis repræsentamus, vel, ex opinione censuræ aliorum, quam ob malum a nobis perpetratum, vel quod nobis est, incurremus. *Definitio pudoris realis.*

E. gr. Ponamus Poëtam admisisse errorem in quantitate syllabæ cujusdam. Quodsi eodem animadverso cogitet, quomodo alii eundem in detrimentum laudis ad minuendam famam ipsius sint interpretaturi; pudore suffunditur. Ponamus aliquem, cui cum homine consuetudo intercedit, qui morbo gallico laborat, contagio affici. Quodsi jam cogitet, quam siniſtra futura sint aliorum de se judicia, quam hæc futura sint famæ suæ nocua, ubi præsentem intuetur, qui morbum sibi infestum noverit, pudore suffunditur. In hæc vero casu distinguenda est tristitia simplex ex fortunæ adversæ opinione orta, quæ nos immeritos in censuram aliorum adduxit, a tristitiæ specie, quæ ad pudorem spectat.

§ 780.

Definitio pudoris tam realis, quam nominalis usui communi loquendi ac recepto in philosophia significatui conformis. Pudorem nemo non colligit ex rubore, quo suffunditur subito facies, ubi v. g. narrantur male a nobis facta, quemadmodum jam supra notatum est (§. 755). Quoniam rubor iste motus extraordinarii sanguinis indicium est; pudorem ab omnibus in numerum affectuum referri palam est (§. 611). Porro nemo non fatetur, quod nos pudeat male factorum, quatenus nobis conscii sumus nos ob ea aliorum censuram incurrere. Quamobrem abunde patet ex communi usu loquendi pudorem designare affectum, qui in nobis oritur, si quæ fecimus talia sunt, ut ab aliis recte improbentur nobismet ipsis judicibus, vel si aliorum judicium famæ nostræ adversum fore certo persuasi sumus, quod ea, quæ fecimus, communi omnium opinione mala reputentur. Vocabulum adeo pudoris vulgo sumitur *Definitio nes pudoris nominalis usui loquendi conformes*

mitur in eodem prorsus significatu, quem nos eidem tribuimus (§. 719). *Aristoteles* pudorem definit per timorem justæ reprehensionis. Reprehensio consistit in judicio aliorum de nobis nostrisque factis finistro, quod scilicet malum reputetur, nos talia fecisse, vel talia nobis adesse. Reprehensionem justam censemus, si idem sit nostrum judicium, ut ab altero nobis judicio suo injuriam fieri minime arbitremur. Timemus istam reprehensionem, quando suspicamur fore ut aliis innotescant, quæ reprehensione digna commisimus, vel ut alii, ubi jam innotuere, in malam partem eadem vertant. Pudor igitur oritur juxta *Aristotelem* ex eo, quod existimemus alios nos reprehensuros ob ea, quæ ipsimet reprehensione digna judicamus, seu, quod perinde est, alios judicaturos malum esse, quod hoc, vel istud fecerimus, quod hoc, vel istud nobis sit, vel acciderit, nostroque assensu ipsorum judicium confirmare teneamur. Ecquis vero non videt hæc cum definitione nostra reali optime consentire (§. 779)? Non est quod dicas *Aristotelem* pudorem definire per timorem, cum nos eundem definiverimus per tristitiam. *Aristoteles* enim non explicat, in quonam pudor consistat; sed quomodo oriatur, seu qua de causa oriatur. Sane si pudor in timore consisteret, nunquam nos puderet mali a nobis perpetrati, ubi censuram alterius actu incurrimus, seu nos ab eodem ideo reprehendi audimus. Nemo autem est, qui nesciat pudori utique etiam in hoc casu esse locum. Præterea ipse quoque metus tristitia quædam species est, quemadmodum deinceps ostendemus, ut adeo, qui pudorem metus quandam speciem facit, non neget eundem esse speciem quandam tristitiæ. *Carteſius* in Tract. de passionibus animæ part. 2. artic 66. hanc tradit pudoris definitionem realem, quod malum, quod est, vel quod fuit in nobis, si referatur ad opinionem, quam alii de eo concipere possent, pudorem excitet. Eam non differre a definitione reali, quam dedimus (§. 779), ex utriusque collatione patet. Non igitur immu-

immutavimus vocabuli receptum in philosophia significatum; sed eum retinuimus, qui & veteri, & recentiori philosophiæ prorsus conformis.

Pudor res notissima est, & in eorum affectuum numero, quos facillime agnoscunt & inter se distingvunt vulgo omnes. Quamobrem facillime eorum, quæ de hoc affectu dicuntur, experimentum capi potest, modo attentione uti didiceris, ut advertas, quæ vel in sensum externum incurrunt, vel in anima appercipiuntur, atque eos a se invicem distingvas casus, in quibus pudor solus invadit animum & in quibus alios socios habet.

§. 781.

Qui ad gloriam pronus est, idem ad puderem pronus est. Etenim qui ad gloriam pronus est, is voluptatem, vel gaudium percipit ex eo, quod alii bona esse judicant quæ ipse fecit quæque ipsi sunt, & quæ ipsemet talia agnoscit (§. 765), consequenter tanto magis bonum existimat, quod alii ita judicent, quanto major voluptas est, quæ inde percipitur (§. 612). Quoniam igitur malum judicare debet, quod alii ab ipso facta mala judicent ac quæ ipsemet mala esse agnoscit, cum malum bono contrarium sit (§. 554. 565); tædium, vel tristitiam ex eo percipere debet, quod, quæ a se male facta agnoscit, eadem improbent alii (§. 613). Ad pudorem adeo pronus (§. 774). *Gloria & pudoris cognatio.*

A posteriori quoque idem satis superque patet. Ecquis enim ignorat neminem magis pudore suffundi quam eos, qui gloriæ dulcedine capiuntur? Hinc videas eruditos, qui ad nominis gloriam contendunt, pudere erroris. Ac ideo invaluit mos, ut vulgus eruditorum, quod evidentiæ sensu destitutum, errores suos palliare ac defendere soleat, ne a sui similibus erraſſe videatur. Et ex adverso periti errores a se admissos emendant ac speciminibus præclaris edendis operam navant, ut ne alii periti errorem in vitium vertant.

Cognatio affectuum, qua palam fit, quinam alii ex aliis nascuntur, & quinam simul in idem subjectum cadere possunt, maximæ

utilitatis est in moralibus, tum in conjectandis hominum moribus, tum in difficili, sed perutili argumento de appetitu sensitivo in concordiam cum rationali reducendo.

§. 782.

Signum gloriæ.

Qui ad pudorem pronus est, ad gloriam quoque pronus est. Qui enim ad pudorem pronus est, is ex eo tristitia afficitur, vel tædium percipit, quod malum judicet, alios nosse, quæ a se male, vel minus recte facta sunt, & quod eadem mala esse judicent (§. 774. 777). Quoniam igitur mala judicat, quæ famæ suæ adversa, adeoque statum externum imperfectiorem reddunt (§. 565); ex adverso bonum judicabit, quæ famæ consulunt, adeoque statum ejus externum perficiunt (§. 554). Quoniam igitur ad famam conducit, si quæ a nobis bene ac recte facta sunt, ab aliis agnoscantur & approbentur; hoc aliorum de se factisque suis judicium bonum utique judicare, consequenter ex eo voluptatem tanto majorem percipere, adeoque & tristitia affici (§. 619) debet, quanto magis bonum judicat aliorum istud de se judicium (§. 612). Ad gloriam adeo pronus est (§. 769).

A posteriori confirmatur propositionis præsentis veritas, quatenus vulgo pudor boni animi indicium præbere existimatur, nimirum quod famæ ac existimationis suæ rationem habet, quæ male ac minus recte factorum pudet, immo quia pudore suffunditur, ubi aliis persuasum est, quasi feciſſet quæ famam labefactant. Ecquis vero non videt, neminem non agnoscere pudorem esse signum gloriæ (§. 769)? Propositio itaque præsens adeo clara est, si experientiam consulis, ut inter notiones communes referri possit.

Probe autem notandum est, pudorem, quatenus affectus est, non esse confundendum cum abstinentia ab imprudentia, quæ in numero vitiorum est, & de qua in Moralibus agendum.

§. 783.

Pœnitentia pudoris comes.

Si quem pudet eorum, quæ fecit, eum eorundem quoque pœnitet. Si quem enim pudet eorum, quæ fecit, is sibi re-

præ-

Digitized by Google

præsentat siniſtrum aliorum de factis ſuis judicium, idemque pro vero habet (§. 774. 775), consequenter malum a ſe factum ſibi repræſentat. Quoniam igitur ex iis quæ fecit, tædium percipit, vel triſtitia afficitur (§. 756); eorum, quæ fecit, ipſum pœnitet (§. 755).

Pœnitentiam ex pudore naſci aut, ſi mavis, hujus comitem eſſe, vel exinde a poſteriori patet, quod, quos pudet eorum, quæ fecerunt, ingeminare audias: utinam hæc non feciſſem! Immo non minus liquet ex eo, quod iis, quos pœnitet eorum, quæ fecere, ultro confiteantur ſe quod hæc fecerint non audere in conſpectum aliorum prodire.

Propoſitio præſens non poteſt converti, neque enim in omni caſu, quo quem eorum, quæ fecit, pœnitet, pudori locus eſt: etenim ſi quem pœnitet, quod patronum offenderit, ob damnum, quod incurrit, non ideo pudore ſuffunditur.

§. 784.

Amor benefactoris ob beneficia dicitur *Gratitudo*, aut, ſi mavis, *Animus gratus*. *Gratitudinis definitio.*

Gratitudo etiam in virtutum numero eſt, quatenus ad habitus morales refertur. Sed hoc reſpectu ad philoſophiam moralem pertinet. Hic eam non conſideramus niſi quatenus affectus eſt, amoris quædam ſpecies, quod amor ſingulari quadam ratione modificetur: id quod in ſe unusquisque experitur, qui affectus hujus ſingulari dulcedine capitur.

§. 785.

Quoniam qui alterum amat, ei animus diſpoſitus eſt ad voluptatem ex ejus felicitate percipiendam (§. 633) & ubi felicitatem ejus cognoſcit, ex ea actu voluptatem percipit (§. 634); *Qui gratum animum habet, ex felicitate benefactoris voluptatem percipit, atque animum ad eam inde percipiendam ſemper diſpoſitum habet.* *In quonam ea conſistat.*

Ponamus Mevium mutuo accepiſſe a Titio pecuniam, ut ſumtus neceſſarios facere potuerit, quos nuptiarum cauſa poſtulabat. Ubi is habuerit gratum in Titium animum, inſigni voluptate perfundetur, quamprimum audiverit, ipſum evectum eſſe ad dignita-

Digitized by Google

tem in civitate eminentem. Atque hinc corollarium illustratur & confirmatur.

§. 786.

Effectus animi grati.

Qui gratum habet animum, is ex voluptate benefactoris voluptatem, ex tædio ejus tædium percipit, ac gaudet ideo, quia benefactor gaudet, contristatur ideo, quod benefactor tristis est. Qui enim gratum habet animum, is benefactorem amat (§. 784). Quoniam igitur qui alterum amat, ex ejus voluptate voluptatem percipit, ac ideo gaudet, quod alter gaudet (§. 640); ex ejusdem tædio vero ipsemet tædium percipit, ac ideo contristatur, quod is tristis est (§. 641); qui gratum habet animum, ex voluptate benefactoris voluptatem, ex tædio ejus tædium percipit, ac ideo gaudet, quod benefactor gaudet, & ideo contristatur, quod is tristis est.

A posteriori idem colligitur ex eo, quod audientes eum, a quo beneficiis affecti sunt, cum voluptate vitam transigere, vel eidem materiam gaudendi esse, voluptate perfusi gaudiove elati, non modo verbis significent, quam gratum sibi sit talia audire, verum simul rationem hanc addant, quod multa ab eo in se profecta sint beneficia, vel factum quoddam singulare commemorantes, quod maximi beneficii loco reponunt. Similiter in casu opposito quando siniſtra fata ejus narrantur, a quo beneficia quis accepit, haud raro audies tristem in hæc erumpere verba: doleo vicem viri optimi, meliore sorte digni, multa enim in me beneficia contulit, vel id mei gratia fecit, cujus tenacem ad cineres usque memoriam servabo. Ecquis vero est, qui in utroque casu non agnoscat animum gratum? Grati adeo animi esse ipso facto constat, ex voluptate benefactoris voluptatem, ex tædio ejus tædium percipi ab eo, qui animum gratum habet.

Patent hæc nuda applicatione eorum, quæ de amore in genere demonstrata sunt, ut adeo nihil difficultatis habeant, ubi superiora animo comprehenderis.

§. 787.

Digitized by Google

§. 787.

Qui gratum habet animum, is voluptatem benefactori creare, tædium vero ab eodem avertere ſtudet. Qui enim animum gratum habet benefactorem amat (§. 734). Enimvero qui alterum amat, is voluptatem eidem creare, tædium vero ab eo avertere ſtudet (§. 651). Ergo qui gratum habet animum, is voluptatem eidem creare, tædium vero ab eodem avertere ſtudet. *Effectus alius.*

A poſteriori propoſitionis veritas ſatis ſuperque elucet ex caſibus obviis. Ponamus enim Titium ob beneficia a benefactore in ſe collata eidem quid donaturum affirmare, ſe id non alio fine facere, quam quod noverit, ipſum inde voluptatem percepturum, vel quod animi grati indicium ſit, vel quod res, quæ donatur talis ſit, ut placeat alteri, etſi pretii levis æſtimetur. Neque enim res ſolo pretio æſtimantur communi, ſed affectionis pretium, quod hic conſiderandum venit, alias prorſus rationes, quam quæ a lucro ortum trahunt, agnoſcit. Similiter in caſu adverſo audies, Mevium hoc vel iſtud facere nolle, quod Titio diſpliceat. Quodſi Sempronius exceperit, parum referre utrum ei placeat, an vero diſpliceat; Mevium hanc rationem reddere percipies, ſe facere nolle, quæ Titio ſint tædio, propterea quod hæc, vel iſta beneficia ab eo acceperit.

Etſi propoſitiones, cum quibus jam nobis negotium eſt, ex ſuperioribus facillime colligantur, non tamen ideo prætermittendæ ſunt, cum iisdem in hoc caſu ſpeciali opus habituri ſimus, quando in Moralibus de animo grato & ingrato acturi ſumus, quatenus illa in virtutum numero eſt. Ecquis vero methodi gnarus ignorat demonſtrationes fieri prolixiores, ſi principiis remotioribus uramur, quam ubi propiora adſunt. Sunt, autem propiora, quæ ad caſus ſpeciales pertinent; remotiora, quæ generalia ſunt. Ad demonſtrationes igitur contrahendas propiora non ſunt negligenda.

§. 788.

Si beneficia qua talia nobis placent, aut, ſi mavis ſtudium *Animi gratitudinis cauſa.*

um benefaciendi in altero nobis placet, vel saltem actus, quem nos experti sumus; animus gratus efficitur. Observamus enim in benefactore, quod nobis placet *per hypoth.* adeoque eum amamus (§. 645), consequenter animus efficitur gratus.

A posteriori manifesta est propositionis praesentis veritas. Etenim nemo non novit, non minus ad impediendum, quo minus quis offendat benefactorem, vel faciat quae eidem displicent; quam ad impellendum beneficiarium, ut faciat, quae benefactori placent, tanquam motivis vulgo uti omnes beneficiis acceptis. Quoniam igitur a posteriori certum atque exploratum est, repraesentatione beneficiorum excitari amorem benefactoris; eadem quoque animum gratum effici experientia magistra non minus liquet.

Notandum probe est, beneficia nobis placere debere qua talia, seu placere nobis debere, quod alter nobis benefecerit. E. gr. ponamus Mevium tibi donasse annulum pretiosum. Placere tibi potest annulus, ut eundem ames: ast non ideo animum gratum exhibebis Mevio. Enimvero si consideres, te Mevio acceptum referre debere, quod annulum adeo pretiosum possideas, & eum esse causam voluptatis, quam inde percipis, atque adeo tibi placet actus donantis; tum demum tibi placet annulus tanquam beneficium a Mevio acceptum. Et in hoc casu amor benefactoris oritur, consequenter animus gratus.

§. 789.

Gratitudinis definitio.

Animus gratus, seu *Gratitudo* est affectus, qui oritur, si beneficium ab altero in nos collatum, quatenus id alter in nos contulit, placet.

E. gr. si Mevii commendatione factum est, ut Titius ad munus aliquod fuerit promotus; Titio autem placet, quod id fecerit Mevius: beneficium a Mevio in ipsum collatum eidem ideo placet, quatenus ille in hunc idem contulit. Qui tunc oritur affectus, is est quem gratitudinem appellamus. Nimirum quando nobis alterum repraesentamus tanquam benefactorem, eundem consideramus tanquam causam boni nobis praesentis. Similiter si quid nobis repraesentamus tanquam beneficium ab altero in nos collatum; idem consideramus tanquam bonum quod cur nobis praesens sit in causa est alter.

§. 790.

Digitized by Google

§. 790.

Definitio gratitudinis nominalis & realis est communi usui loquendi & recepto significatui conformis. Quid sit gratitudo explicaturus *Donatus:* Non continuo, inquit, qui memor est, etiam gratus est. Memor enim est, qui apud se meminit: gratus, qui meruit hoc nomine vocari, dum vicem reddit. Unde recte concludit *Martinius* in Lexico, gratum esse cum, qui grates persolvere studet. Grates persolvimus, dum quæ bona sunt alteri pro virili promovemus. Duo igitur interprete *Donato* ex communi loquendi usu ad gratitudinem requiruntur, memoria scilicet benefactorum & studium benefaciendi ac inserviendi alteri ex ea ortum, cum secus memoria beneficiorum nulli esset usui, nec vicem redderemus. Reddimus enim vicem, si paria facimus alteri, quæ fecit nobis. Enimvero qui quæ alteri placent facit, aut qui facit quæ placere alteri existimat; is facit ea, quæ alteri voluptatem creare opinatur (§. 542), aut, si in potestate sua id positum esse non deprehendit, saltem ea facere studet. Eum igitur amat (§. 652). Patet adeo ex communi usu loquendi gratitudinem, quatenus sumitur pro virtute, supponere amorem, nec actus externos, quibus benefactori vicem rependimus, referri ad animum gratum, nisi ex amore procedant. Quamobrem si affectum quendam non repugnante communi loquendi usu gratitudinis nomine insignire volueris; non alii quam amori benefactoris ob beneficia in nos collata nomen istud tribuere poteris. Quoniam itaque nos gratitudinem definivimus per amorem benefactoris ob beneficia (§. 784); vocabulo tribuimus significatum a communi loquendi usu minime abhorrentem. Vulgo affectus a virtutibus agnatis non distinguuntur, propter ea quod ea, quæ ex confusis notionibus oriuntur non distingvantur ab iis, quæ ex distinctis ortum trahunt. Affectus ex confusis ideis oriuntur (§. 605): virtutes ex distinctis originem suam derivant. Illi his conformes sunt, quatenus appetitus sensitivus ad consensum cum rationali reducitur: extra hunc

Definitio gratitudinis nominalis & realis communi usui loquendi conformis.

casum affectus facile vitii quidpiam habent admixtum. Non igitur mirum, quod in philosophia subinde idem sit affectus & virtutis cujusdam nomen. *Cartesius*, qui modum ex distinctis notionibus philosophandi introduxit, affectus quoque ab habitibus moralibus discrevit, atque adeo gratitudinem in affectuum numerum retulit. Dedit autem definitionem ejus realem in tractatu de pass. animæ part. 2. art. 64. ubi docet animum gratum effici a bono, quod nobis præstitum fuit ab aliis. Bonum, quod nobis præstatur ab aliis, est beneficium: Qui idem nobis præstat, benefactor. Est igitur juxta *Cartesium* gratitudo affectus, qui oritur, quando nobis repræsentamus beneficia ab altero in nos collata, ita quidem ut ea beneficia esse agnoscamus, hoc est, ut consideremus quidpiam, quod nobis præsens est, tanquam bonum & alterum consideremus tanquam causam boni nobis præsentis. Quoniam ex rebus voluptatem percipimus, quatenus eas consideramus tanquam bonas *(§. 612)*; affectus ille oritur *Cartesio* non invito ex repræsentatione eorum, quæ nobis voluptatem creant, consequenter cum alterum consideremus tanquam causam hujus voluptatis, ex eo, quod alter nobis voluptatem creaverit, adeoque quod beneficia ab altero in nos collata nobis placeant, quatenus alter ea in nos contulit. Definitio igitur *Cartesii* consentit cum nostra reali, si singula rite excutere noveris *(§. 789)*.

Quæ de confusione affectuum cum habitibus moralibus in unum incidenter dicta sunt, probe notanda veniunt, cum magnum momentum habeant in moralibus. In praxi enim morali maxime danda opera est, ut affectum per habitum moralem intra legitimos terminos coërceamus, ne eodem extra eos abrepti faciamus, quæ vitii sunt, cum nos ex virtute agere existimamus. Hoc enim pacto pertinaces efficiuntur in malo perpetrando, qui virtutis amore non destituuntur. Sed ea suo loco clarius patebunt.

Definitio nominalis.

§. 791.

Favor est amor alterius ob bonum, quod ipsi tanquam singulare consideramus, inprimis ob mores ac habitus animæ nobis acceptos. E. gr.

Digitized by Google

E. gr. Ponamus Titium in Analyſi Mathematicorum recentiore probe verſatum eſſe. Ponamus porro Mevium hoc ſtudiorum genus magni facere: erit ipſi profectus Titii in eodem admodum acceptus eumque amore complectetur, qui per repræſentationem ſtudii, quod in Analyſi collocavit, tanquam boni ſingulari modo modificatus favor dicitur. Similiter favemus Sempronio ob inſerviendi promptitudinem, quam in eo obſervamus, licet nobis nullum unquam officium præſtiterit, nec ullum cum eo nobis ſit negotium.

§. 792.

Oritur *Favor* ex repræſentatione eorum, unde mores ac habitus, qui nobis accepti ſunt, intelliguntur, vel ejus, quod nobis in altero placet, tanquam ſingularis, conſequenter ex repræſentatione boni ab altero præſtiti, vel fieri ſoliti citra relationem ad nos. *Ejusdem definitio realis.*

E. gr. Si quis famulo utitur, qui mandata prompte exequitur, inde promptitudinem faciendi, quæ ab altero fieri novit, colligit. Eum igitur ſi conſiderat citra relationem ad ſe, quatenus nimirum jam non attendit, quod ea præciſe prompte exequatur, quæ a ſe jubentur; favor oritur, amoris quædam ſpecies ſingularis.

§. 793.

Cui favemus, eum aliis, quos amamus, in promovenda felicitate præferimus. Etenim ſi cui favemus, eum amamus ob mores, vel habitus animi acceptos, vel bonum quodcunque, quod tanquam alteri ſingulare nobis repræſentamus (§. 791). Quoniam igitur in eo, cui favemus, quid adeſt, cur eum præ cæteris amemus (§. 649); ad voluptatem quoque eidem creandam (§. 651), conſequenter ad felicitatem ejus promovendam proniores eſſe debemus (§. 638), quam ad promovendam felicitatem aliorum, quos amamus. Eum igitur, cui favemus, in promovenda felicitate aliis, quos amamus, præferimus. *Effectus favoris.*

Conſtat a poſteriori, quod eos, quibus favemus, ceteris præferamus, ubi eorum commoda, vel utilitatem promovere valeamus. Ac nemo non favorem inde colligit, ſi cujus felicitas nobis multo magis cordi fuerit, quam alius.

Digitized by Google

Hæc prælatio favorem inprimis distinguit ab amore simplici, atque anima quasi favoris est. Dantur equidem gradus favoris, ob quos plures simul aliis quos simpliciter amamus præferimus, sed eorum denuo unum alteri præferimus. Tum vero ei, quem majore favore complectimur, singulariter favere dicimur. Nulla igitur hinc contra notionem favoris objectio peti potest.

§. 794.

Definitio favoris nunc usui loquendi conformis.

Definitio favoris realis & nominalis a communi usu loquendi ac recepto significatu abhorret. Si quem videmus omni conatu id agere ut alterius felicitatem promoveat, ita ut non sit alius, cui æque facilem se præbeat in felicitate ejus augenda; omnes omnino affirmamus, quod is eidem faveat. Nemo vero etiam est, qui non inde colligat, quod eundem amet. Ex communi itaque usu loquendi favor denotat amorem alterius, quo ipsi tribuitur prærogativa quædam præ ceteris, quos amamus. Definitio igitur nostra favoris a communi usu loquendi minime abhorret. Sive enim favorem dicas amorem, qui alteri tribuit jus prælationis in promovenda felicitate ejus, sive nobiscum eum definias per famam ob bonum alterius, quod nobis tanquam singulare repræsentamus (§. 791); utrumque idem est, cum ex nostra definitione sequatur, quod eum, cui favemus, in promovenda felicitate alteri præferamus. *Scaliger* favere idem esse ait ac benevolentiam ostendere. Ostendimus autem benevolentiam, quando verbis factisque significamus nos velle ut alteri bene sit. Equidem jus illud prælationis, quod ei tribuitur, cui favemus, *Scaliger* non exprimere videtur. Quodsi tamen consideremus, faventem alteri id agere ut alteri ostendat, verbis & factis, quam velit felicitatem ejus promoveri; constans quædam & perpetua hinc apparet voluntas alterius felicitatem promovendi & alterum hujus voluntatis certiorem reddendi. Hæc ipsa autem voluntas anxia quasi satis superque arguit eum, cui favemus, aliis præferri quos amamus. *Martinius* in Lexico vocabulum Germanicum Gunſt, quo hunc affectum indigitamus, contorta quadam

Digitized by Google

dam etymologia a Græco vocabulo γαῦν derivans, favere alii idem esse ait ac lucidam voluntatem habere erga eum, non obscuram, atque ita ei afferre lucem, gaudium, auxilium. Quoniam Philologus ideo vocabulum Germanicum a Græco derivat, quod rationem etymologicam a re desumtam existimet, sicque nomen rei suæ convenire arbitretur; ex ratione etymologica de communi vocabuli significatu ex mente illius judicium fieri potest. Voluntas lucida hic dicitur manifesta, quam nemo non facile videre potest. Quo vero tendat illa voluntas, haud obscure innuitur, scilicet ad gaudium creandum alteri & ad auxilium eidem ferendum, si qua in re auxilio nostro indiget. Voluntas illa manifesta creandi alteri gaudium & auxilium eidem ferendi non differt ab ostensione benevolentiæ *Scaligeriana*, unde constantem ac perpetuam voluntatem alterius felicitatem promovendi ac ejusdem alterum certiorem reddendi deduximus. Quamobrem cum ostenderimus, *Scaligerianam* explicationem cum definitione nostra consentire; quin cum eadem quoque concordet ratio etymologica *Martiniana* dubitari non potest. *Carteſius* in Tract. de pasſ. animæ part. 2. art. 64. definitionem favoris realem traditurus: Bonum, inquit, quod præstitum fuit ab aliis, efficit ut illos favore prosequamur, quamvis id nobis factum non sit: id quod omnino consentaneum est definitioni reali favoris supra traditæ (§. 792) cum nominali arctissimo vinculo connexæ. Equidem *Carteſius* non videtur respicere ad jus prælationis, quod favor tribuit ei, quem eodem complectimur: enimvero ecquis non novit, sæpissime verbis pauciora exprimi, quam quæ in notionibus continentur. Absonum vero est propterea alteri tribuere errorem, quod eorum, quæ recte sensit, quædam aliis ex iis, quæ dixit, colligenda reliquit.

Utinam ad hæc animum adverterent, quæ modo dixi, quotquot scripta aliorum legunt, non scientiam locupletandi, sed carpendi animo! Neque enim facile reperies, quod eruditos magis in contentum adducat aliorum, quam istud altercandi studium, quo vul-

Digitized by Google

gus illorum inclarescere studet. Sed non alia erit rerum facies, nisi quando cum doctrina solida conjungentur virtus infucata atque politi mores a doctrina superficiaria, quæ maximam adhuc orbis eruditi partem occupat, proh dolor! sejuncti.

§. 795.

Favor quando oriatur ob mores pravos ac vitia.

Si quis favet alteri ob pravos ac perversos mores, vel habitus vitiosos; is eos aliquo respectu bonos opinatur. Qui enim alteri favet, is sibi repræsentat bonum quoddam alterius (§. 792). Quamobrem si eidem favet ob mores pravos ac perversos, vel habitus vitiosos; is eos bonos existimare debet. Enimvero si agnoscit mores istos ac vitiosos habitus in se bonos non esse, vel, cum tales agnoscere nequeat, quod non sint; necesse est ut quodam saltem respectu eos bonos reputet.

A posteriori propositionis veritas manifesta est. Quodsi Titius per fas ac nefas opes corradere studet, ac videt Sempronium in aliis decipiendis versutum ac callidum; placebunt ipsi ejusdem mores, quod versutias ac calliditatem, quibus in aliis decipiendis utitur, utiles judicet ad suum propositum. Quando itaque eundem favore suo complectitur, mores ejus perversos ac habitus vitiosos, quos alias ipsemet improbaturus esset, hoc respectu bonos judicat, quod eos ad propositum suum felicius exequendum utiles judicet. Similiter si quis ambitiosus ultra ceteros eminere gestit, atque adeo voluptatem percipit ex eo, quod alii traducantur & subsannentur; is hoc respectu promptitudinem aliis illudendi eosque deridendos propinandi bonam judicat. Quando itaque favet eis, qui habitu isto se instructos probant; eis ob perversos mores ac vitiosos habitus ideo favet, quod certo respectu eosdem bonos judicet. Non alia exempla addimus, quæ unusquisque ipsemet obvia colligere potest.

Nihil in hoc affectu insoliti hic occurrit, quod non æque in ceteris omnibus obtineat. Affectus enim non supponunt judiciorum veritatem, cum alias nunquam forent vitiosi, sed semper cum appetitu rationali consentirent: sequuntur potius opinionem ejus, qui iisdem

Digitized by Google

dem obnoxius est. Ecquis vero nescit diversa admodum esse hominum de eo, quod bonum est, judicia, paucis secundum rationis normam illud dijudicantibus. Ceterum probe notandum est, fieri posse ut quis faveat homini pluribus perversis moribus ac vitiis conspurcato, non propter hos mores, neque propter vitia ista; sed propter dotes quasdam animæ, vel corporis insignes, ad quas alii non tam facile attendere solent, vel quæ non adeo conspicuæ sunt, quemadmodum mores perversi ac habitus vitiosi, quos nemo non damnat. Fieri quoque potest, ut quis favere alteri videatur, cui non favet, cum aliæ sint rationes extrinsecæ, cur ejus felicitati amplificandæ potius studeat, quam aliorum. Caute igitur procedendum, ubi veritatem propositionis a posteriori cognoscere studemus.

§. 796.

Spei ac gaudii definitio.

Spes est voluptas ex bono obtinendo percepta. Quodsi ea prædominetur, ut in gaudium abeat (§. 614); dicetur gaudium ex bono obtinendo *Fiducia.*

E. gr. Si Titio narratur munus quoddam ecclesiasticum vacare, cui se parem opinatur, idemque sibi persuadet fieri posse, ut ad idem promoveatur; dum sibi possibilitatem muneris obtinendi repræsentat ac ex eo, quod idem obtenturus sit, voluptate afficitur, spem muneris obtinendi concipere dicitur. Quodsi adeo certus sibi videatur fore, ut munus istud in se potius, quam in alium conferatur, ut perinde esse existimet, ac si in se jam collatum esset; de hac felicitate gaudenti fiducia tribuitur. Distingvendus vero hic quoque affectus est, qui in appetitu residet, ab opinione boni obtinendi, quæ in intellectu est, cum fieri possit ut boni obtinendi opinio ab affectu sejungatur.

§. 797.

Quando futura speremus.

Qui bonum futurum sperat, is idem sibi tanquam obtentu possibile repræsentat & contra. Etenim qui sperat bonum futurum, is ex eo voluptatem percipit, quod ab ipso obtinendum (§. 796). Voluptas igitur percipitur non ex bono in se considerato, sed ex eo, quod ab ipso obtineri debeat, consequenter qui spem ejus obtinendi concipit, is persuasus esse debet fieri posse ut idem obtineat, adeoque possibilitatem ejus obtinendi sibi repræsentare debet.

Simi-

Digitized by Google

Similiter si quis sibi repræsentat posſibilitatem bonum aliquod obtinendi, hoc ipso sibi persuadet fore ut idem obtineat. Quoniam igitur bonum judicare debet, quod idem sit obtenturus (§. 554), ex eo voluptatem tanto majorem percipere debet, quo magis hoc ipsi bonum videtur (§. 612). Jam vero qui voluptatem percipit ex eo, quod se bonum aliquod obtenturum esse sibi persuadet; spe lactatur (§. 796). Quamobrem patet, eum, qui sibi repræsentat posſibilitatem boni obtinendi, idem sperare.

Propoſitionis præsentis veritas a posteriori satis liquet. Sane nemo est, qui non in se expertus fuerit, se nihil speraſse, nisi quod tanquam posſibile sibi repræsentavit, vel ubi nunc quid sperat, id sibi tanquam posſibile repræsentare. Ponamus vacare munus, cui nos pares esse satis superque persuasi sumus. Quodsi vero non videamus, quomodo ad idem adspirare posſimus, ignari prorsus quomodo idem obtinere debeamus; nemo non fatebitur ultro ne minimam quidem nobis spem esse posse ejusdem obtinendi. Sed non opus est verbis, ubi rerum testimonia liquida sunt.

§. 798.

Quæ sperari non posſint.

Quæ igitur *imposſibilia obtentu a nobis spectantur; ea minime speramus* (§. 797). Consentit experientia. In numerum imposſibilium refert Titius, se hominem illiteratum ad munus pastoris Ecclesiæ vocatum iri. Quodsi ergo munus aliquod ecclesiasticum vacet; ne minima quidem spe lactatur fore ut ad idem evehatur. Ita nemo Protestantium vacante sede apostolica sperat se Papam electum iri: nemo Principum Christianorum sperat se ad Imperatoris Turcarum dignitatem evectum iri. Rationem spei deficientis reddunt omnes, quod tale quid fieri non posse nemo non intelligat. Si quis Geometra quadraturam circuli arithmeticam in terminis finitis imposſibilem judicat; nunquam animo spem ejus inveniendi concipiet, quin potius spem omnem prorsus abjiciet, quamprimum imposſibilitatis convictus sibi videbitur.

Notan-

Digitized by Google

Notandum hic est, impossibilitatem utramque tam absolutam, quam hypothetica, conditione tanquam certa præsupposita, spei concipiendæ resistere. Atque ideo proposuimus exempla casus utriusque.

§. 799.

Si bonum nobis repræsentamus tanquam obtentu possibile, Quando spes oritur. Si enim bonum nobis repræsentamus tanquam obtentu possibile, jam nos vel statum nostrum actu perfectiorem reddi posse, vel redditum iri persuasi sumus, quod tantummodo ex nuda repræsentatione boni in se non repugnare certum nobis videbatur (§. 554). Quamobrem id maxime bonum censeri debet, quod bonum istud obtentu nobis possibile opinemur (§. *cit.*). Quoniam igitur ex eo, quod obtentu possibile existimetur, voluptatem tanto majorem concipimus, quanto major est certitudo boni obtinendi (§. 612. 517); ubi nobis bonum tanquam obtentu possibile repræsentamus, spes oritur (§. 796). *spes oritur.*

A posteriori per se manifestum est, spem animo concipi, quamprimum nobis bonum repræsentamus tanquam obtentu possibile. Quodsi enim animum ad nos, vel alios advertamus, quando bonum aliquod, quod nostrum non est, nobis repræsentamus; sequentes animæ status a se invicem distingvimus. Aut enim id, quod bonum judicamus, tanquam in se bonum consideramus, aut tanquam nobis bonum. In casu priori si attentionem nostram in eo non defigimus, vix ac ne vix quidem commovemur, voluptate nascente in herba, quod dicitur, suppressa, aut, si mavis, statim iterum evanescente: si vero attentionem nostram in eo defigimus, voluptatem percipientes per spatium magis perceptibile eodem delectamur, quatenus scilicet per id, quod nobis placet, (§. 541), ad attentionem nostram in eodem conservandam impellimur, sicque voluptas conservatur sæpiusque augetur. In casu posteriori aut bonum, quod cognoscimus, tanquam obtentu possibile nobis repræsentamus, aut tanquam obtentu impossibile. Si tanquam

obtentu impossibile repræsentetur, nulla spes oritur, quemadmodum jam ante vidimus (§. 798): casus adeo spei est, si bonum, quod cognoscimus, ac nobis bonum existimamus, tanquam obtentu possibile nobis repræsentamus. Casus hi palam distinguuntur in exemplo singulari. Ponamus vacare munus aliquod, quod cum dignitate ac emolumentis conjunctum est. Quodsi jam porro nos iis dotibus instructos esse deprehendimus, quibus opus est ad idem obeundum, nullum est dubium, quin idem appetamus (§. 589). Enimvero si nos iisdem destitutos deprehendimus, veluti si munus sit ecclesiasticum, nos vero studiis theologicis non simus imbuti; placet quidem munus ob dignitatem ac reditus, quatenus eorum compotes fieri vellemus; sed ulterius non progreditur appetitus. In votis itaque subsistimus, quæ his, vel similibus verbis significamus: utinam nobis esset munus, cui tanta dignitas, cui tot reditus jungantur! Quodsi vero nos iisdem dotibus instructos deprehendimus, qui ad munus istiusmodi obeundum requiruntur, sed media idem obtinendi nulla videmus; ipsum quidem appetimus, sed non speramus: immo inquietus redditur animus, quod voti nostri compotes fieri non possimus. Enimvero ubi nos iis dotibus instructos deprehendimus, quæ ad munus istud cum laude obeundum necessariæ sunt, ac media idem obtinendi nobis reperisse videmur, quorum excutio videtur facilis, aut saltem in potestate nostra posita; tum demum spem concipimus, minime labefactandam, quamdiu media certa eorumque executio possibilis nobis videntur.

Eo modo, quo casus diversos in confirmanda propositione a posteriori distinximus, uti quoque poteramus in veritate ejus a priori evincenda, cum principia sufficientia ad inferendas in singulis conclusiones, quas experientia magistra iisdem attribuimus, in superioribus proftent.

§. 800.

Digitized by Google

§. 800.

Spes est affectus, qui oritur, si quod bonum nobis repræsentamus tanquam obtentu possibile. *Spei definitio realis.*

Patet definitionis hujus realis veritas per propositionem præcedentem. Unde ad eam illustrandam facit exemplum, quod ibidem in medium adduximus.

§ 801.

Quoniam spes ideo oritur, quod bonum nobis repræsentamus tanquam obtentu possibile (§. 800), fieri autem potest, ut id vel facilius, vel difficilius obtentu judicemus, cum alia facilius, alia difficilius obtineri experientia doceat; *Spes tanto major esse debet, quanto facilius judicamus bonum a nobis obtineri posse.* *Gradus spei.*

Gradus non pendent ex magnitudine boni, quæ desiderium augere potest, quemadmodum paulo post ostendemus; sed ex facilitate obtinendi ejus, quod nostrum esse mallemus. Quamobrem haud difficulter distingves ea in casu dato, quæ ad spem spectant, ab iis quo ad eandem minime faciunt, ubi alii affectus eidem socios sese præbent. Ceterum ipsi spei gradus manifestant, spem derivandam esse ex repræsentatione possibilitatis obtinendi boni, quod nobis esse mallemus.

§. 802.

Quoniam fiducia nonnisi gradus spei est superior (§. 796), gradus vero ex facilitate bonum obtinendi resultant (§. 801); *Fiducia* erit affectus, qui oritur, si bonum aliquod nobis repræsentamus tanquam obtentu admodum facile, consequenter *tanto major erit, quanto major nobis videtur ista facilitas.* *Fiducia definitio realis.*

Istiusmodi fiducia erat in Martyribus, qui beatitudinem æternam tanquam bonum certo sibi obtinendum repræsentabant, ut nulla prorsus ipsis appareret difficultas, quæ impedimentum objicere spemque ipsorum labefactare posset. Jungebatur equidem isti gaudium aliud, idque non simplex, quatenus bonum futurum spectabatur tanquam præsens, quatenus idem prægustabatur, quatenus magnitudo ejus expendebatur, & quatenus ipsos cruciatus, quos Christi gratia perpetiebantur, in numerum bonorum referebant, atque hostium impotentiam in auferenda beatitudine æterna ac delendo

Digitized by Google

præguſtu ejusdem penitius introſpiciebant; ſed a fiducia id omne diſtingvet, qui theoriam affectuum, quam hic tradimus, animo penitus comprehenſam tenet.

§. 803.

Definitiones ſpei ac fiduciæ communi uſui loquendi ac recepto ſignificatui non contrariantur. Communem ſpei notionem explicaturus *Martinius* in Lexico: ſperare idem eſſe, ait, ac expectare futurum bonum. Futurum bonum expectat, qui ſibi perſuadet, idem certo venturum. Nemo autem ſibi perſuadere poteſt, certo venturum, quod non adeſt, niſi quod idem ſibi repræſentat tanquam obtentu poſſibile. Ex hoc ipſo enim, quod idem obtentu poſſibile judicat, colligit idem eventurum, ubi nempe mediis utimur, quibus idem obtineri poſſe & quorum executio in poteſtate noſtra eſſe intelligimus. Patet adeo ex communi loquendi uſu ſpem oriri ex eo, quod bonum aliquod nobis repræſentemus tanquam obtentu nobis poſſibile. Quoniam vero hoc conſentaneum eſt definitioni noſtræ reali; communem loquendi uſum cum notione noſtra conſentire patet, interprete *Martinio*. Spem vero in numerum affectuum referri recepto vocabuli ſignificatui convenienter patet, quod philoſophi de affectibus agentes de ſpe tanquam ſpecie quadam diſerant. Exemplo nobis eſt *Gaſſendus* Phyſ. ſect. 3. lib. 10. c. 6. f. 495. Tom. 1. Oper. exemplo etiam eſt *Carteſius* l. c. art. 58. *Gaſſendus* ſpem vocat elationem quandam animæ ob ſuperadditam opinionem, quod bonum adventurum ſit. Unde apparet hoc judice ſpem eſſe affectum, qui ortum trahit ab opinione, quod bonum adventuum ſit. Jam vero opinio iſta naſcitur, quando de mediis ſolliciti nobis bonum repræſentamus tanquam obtentu nobis poſſibile. Significatus adeo, quem vocabulo ſpei tribuit *Gaſſendus*, cum definitione noſtra non minus nominali, quam reali conſpirat. Equidem idem monet, vocabulum ſpei ſubinde quoque ſumi pro expectatione

Definitiones ſpei ac fiduciæ uſui loquendi conformes.

tione malorum, veluti cum *Cicero* mentionem injicit ſpei malorum, & *Virgilius* canit:

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Immo *Martinius* in Lexico obſervat ſpem quoque ſumi pro quavis expectatione in genere. Sed quæ inconſtantiæ loquendi tribuenda ſunt, a foro noſtro aliena exiſtimari debent. *Carteſius* definitionem ſpei realem traditurus: Sufficit cogitare, inquit, acquiſitionem boni poſſibilem eſſe, ut illius cupiditas excitetur, ſed cum præterea conſideratur, num facile, vel difficile ſit rem cupitam obtinere, id, quod nobis magnam rei conſequendæ facilitatem repræſentat, excitat ſpem. Videtur adeo ſpem vocare, quam nos fiduciam appellavimus. Enimvero dum affirmat opinionem poſſibilitatis boni obtinendi cupiditatem excitare; id tantummodo innuit bonum in ſe conſideratum, nondum ſpectatis mediis, quibus obtinetur, videri obtentu poſſibile, quando idem cupimus. Dum vero addit, id quod nobis magnam rei conſequendæ facilitatem repræſentat, ſpem excitare; ad media reſpicit, quibus bonum iſtud a nobis obtineri poteſt, conſequenter idem tanquam nobis obtentu poſſibile repræſentari debere agnoſcit, ubi ſpes oritur. Atque adeo patet, philoſophum non diverſam tradere a noſtra definitionem realem, ſi rem ipſam ſpectes, etſi in verbis appareat diſſenſus. Idem vero agnoſcit gradum ſpei ſuperiorem conſtituere fiduciam. Etenim cum ſpes ſummá eſt, inquit, mutat naturam & vocatur fiducia. Sed quomodo naturam mutet, ex definitione noſtra nominali liquet (§. 796); cur mutet, ex reali intelligitur (§. 802). *Gaſſendus* affectum, quem nos cum *Carteſio* fiduciam appellamus, *Fidentiam* vocat, vel etiam *ſecuritatem, certamque fidem*, & eam nihil aliud eſſe affirmat f. 496. quam ſpem veluti conſummatam, hoc eſt, ratam ac indubiam ob argumenta, quæ boni adventum non impedibilem demonſtrent. Enimvero ſi certi ſumus, vel ſaltem nobis eſſe videmur, boni adventum impediri mi-

nime posse, nullam difficultatem ejus obtinendi adesse opinamur, adeoque idem tanquam obtentu facile nobis repræsentamus. Unde patet definitionem nostram fiduciæ realem cum significatu convenire, quem tanquam receptum defendit *Gassendus*.

Probe autem notandum est spei quoque & fiduciæ nomen tribui dispositioni agendi, quæ affectus istos comitatur. Ac præterea notandum est in spe probabile nobis fieri, quod bonum obtenturi simus, seu quod idem adventurum sit; in fiducia vero certum existimari, quod idem sit adventurum: id quod a nobis haud difficulter demonstratur. Addimus igitur propositionem sequentem.

§. 804.

Cognitio futuritionis in spe ac fiducia qua sit.

Si nobis fiducia est, prorsus certum nobis videtur bonum adventurum esse: si vero animus spe lætatur, idem tantummodo probabile videtur. Spes pariter ac fiducia oriuntur ex eo, quod nos bonum aliquod obtenturi simus, vel, quod perinde est, quod idem adventurum sit (§. 800. 801), estque spes tanto major, quanto facilius videtur bonum istud a nobis obtineri posse (§. 801), & fiduciæ tum locus est, quando admodum facile nobis videtur nos bonum istud obtenturos (§. 802). Enimvero ideo bonum judicamus obtentu nobis possibile, quod media ad idem obtinendum sufficere videantur. Quamobrem porro obtentu facile judicamus, quod appetimus, bonum futurum, si nulla impedimentta oblatum iri existimemus, quæ media inefficacia efficiunt. Quodsi certo persuasi simus, impedimenta nulla objici posse, vel saltem nulla occurrere posse, quibus tollendis non simus pares; nulla circa bonum obtinendum restare videtur difficultas, adeoque certum nobis videtur bonum adventurum (§. 564. *Log.*). Quare cum in hoc casu fiduciæ locus sit *per demonstr.* si nobis fiducia est, prorsus certum nobis videtur bonum adventurum esse.

Enimvero si nondum ea animum tenet opinio fieri non posse, ut impedimenta insuperabilia nobis objiciantur, quin potius suspicamur talia objici posse; nondum nobis persuadere vale-

Digitized by Google

valemus bonum, quod obtentu possibile videtur, certo adventurum esse. Quamobrem ejus futuritio nobis tantummodo probabilis est (*§. 578. Log.*). Enimvero in hoc casu spes oritur *per demonstr.* Quando igitur animus spe lactatur, probabile nobis tantummodo videtur bonum adventurum esse.

Confirmatur propositio a posteriori, quod iis, quos fiducia tenet, bonum, quod appetunt, tam certo venturum esse affirment, ut jam præsens existimari possit, ac ideo gaudio efferatur animus; qui vero tantummodo sperant futurum, adhuc verentur ne impedimenta quædam intervertant propositum, atque adeo in votis habent, ut bono, quod sperant, statim potiantur. Diversos animi status in fiducia ac spe obvium est distingvere, ac inprimis fiduciam a spe distingvere licet non modo ex sermone bonum futurum expectantis, verum etiam ex dubiis, quæ movere conaris: ille enim fidentiam spirat, ubi eidem locus est; his facilius cedit, qui nonnisi spem, quam qui fiduciam animo concepit.

Quoniam multis certa videntur, quæ alii incerta existimant; multis quoque probabilia habentur, quæ aliis minus probabilia existimantur; in propositione præsente applicanda, vel a posteriori confirmanda multa cautione opus est: id quod & in aliis casibus observandum, ubi diversitatis subjectorum habenda ratio est.

§. 805.

Cupiditas est præguſtus voluptatis, vel gaudii ex bono absente, quod nobis præsens esse mallemus. *Cupiditatis definitio.*

E. gr. Videt quis imaginem, quæ ipsi admodum placet, sibique repræsentat voluptatem, quam sæpius ex hac imagine percipere posset, si quidem sua esset, atque adeo voluptatis præguſtum habet. Affectus ille, quo ferimur in eam imaginem, cupiditatis nomine venit: quam pro diverso voluptatis vel gaudii gradu diversam esse debere nemo non agnoscit & experientia fida talium magistra docet.

§. 806.

Si quod nobis placet nondum habeamus, habere tamen velimus *Cupiditas quando oriatur.*

Digitized by Google

mus : idem cupimus. Si quod enim nobis placet, ex eo voluptatem percipimus (§. 542), vel prorsus gaudio afficimur (§. 614). Quamobrem cum idem habere velimus, hinc colligimus, quanam voluptate, quonam gaudio simus fruituri, si bonum istud nostrum foret, seu si rem istam, quam bonam nobis judicamus (§. 612), obtineremus, adeoque prægustum ejus habemus, idemque appetimus (§. 589). Quoniam itaque prægustus voluptatis, vel gaudii ex bono absente, quod nostrum esse mallemus, cupiditas est (§. 805); si quod nobis placet, quod nondum habemus, idem appetimus.

A posteriori propositionis veritas exemplis obviis confirmatur. Etenim si quis videt imaginem, quæ ipsi placet, nec eandem obtentu sibi impossibilem judicat, atque adeo habere mallet; eam habere cupit. Simplex nimirum appetitus præcedit cupiditatem, qui affectus est, nec hic nascitur, nisi iste præcesserit. Atque hoc probe notandum est, ubi ad experimenta descenderis, ne experientia iis refragari videatur, quæ confirmat.

Quod etiam nobis placere possint, quæ non habemus, nec tamen ea propterea cupiamus; unusquisque in se experiri potest, si in nundinis transeat per tabernas rebus pretiosis instructas, quarum nullum sibi esse usum intelligit, & quibus sibi comparandis sumtus deficere probe novit. Placent enim res pretiosæ earumque adspectu sæpe adeo delectamur, ut ab iis contemplandis abduci nequeamus: quoniam tamen ob rationes prædictas easdem minime appetimus, nec eas habendi cupiditas animum invadit. Quodsi attentione ad rationes prædictas seposita nascatur appetitus, is tamen statim supprimitur attentione ad easdem conversa, sicque nascens perit cupiditas.

§. 807.

Mater cupiditatis. Quoniam amamus, quod nobis placet (§. 648), ante autem placet, quam id cupiamus (§. 805); *cupiditas ex amore nascitur*, seu *amor cupiditatem præcedit, cupiditas amorem sequitur.*

Inde

Digitized by Google

Inde est quod gradum cupiditatis gradui amoris respondentem probet experientia. Ponamus tibi placere imaginem insigniter; eandem amabis. Quodsi impense eum ames, vehemens quoque orietur cupiditas, utut ab amore ad cupiditatem non fiat progressus per saltum, sed mediante prægustu voluptatis in posterum percipiendæ, siquidem imago nostra esset, & pravio simplici appetitu.

§. 808.

Si quid cupimus, id nobis repræsentamus tanquam bonum. Si quid enim cupimus, voluptatem ex eo percipiendam nobis repræsentamus, si idem nostrum, vel nobis præsens esset (§. 805), consequenter idem nobis repræsentamus tanquam bonum tanto majus respectu nostri, quanto majorem nos inde percepturos esse voluptatem ex prægustu colligimus, vel certiores reddimur (§. 612). Atque adeo patet, nos nobis repræsentare tanquam bonum quoad nos, si idem cupimus. *Quænam cupiamus.*

Si quis a posteriori certior reddi vult veritatis propositionis præsentis, attentionem omnem in se convertere debet, quamprimum aliquid cupit. Tum enim satis superque intelliget, quomodo sibi rem, quam cupit, tanquam bonam repræsentet quoad se. Quodsi in aliis experimentum capere volueris, ex iisdem scisciteri debes, quænam sit cupiditatis tuæ ratio. Enarrabit enim ea, ob quam rem, quam cupit, sibi bonam existimat, veluti ubi imaginem pulchram cupit, voluptatem indigitabit, qua perfunderetur animus, quoties eandem contemplari daretur, vel ad voluptatem si non expresse, tacite tamen provocabit, ubi alii eandem in conclavi ipsius intuentes laudaverint & quanti eandem æstiment significaverint. Bonum enim non eadem omnes metiuntur mensura.

Probe tenendum est, quod hic inculcamus, bonum non eadem mensura metiri omnes, cum non modo in cupiditate, verum etiam in omni affectu alio confundamur, si nostra mensura æstimamus, quod bonum est, ubi experimentum in aliis capiendum.

§. 809.

Quandonam quid cupiamus. *Si quid absens nobis repræsentamus tanquam nobis valde bonum; id cupimus.* Etenim si quid absens, seu quod nondum habemus nobis repræsentamus bonum quoad nos; idem appetimus (§. 589). Quamobrem cum appetitus habeat gradus (§. 599), idemque fiat pro ratione boni in re percepti (§. 570); si quid nobis valde bonum videtur, appetitus vehementior est, adeoque affectus oritur (§. 60). Quoniam vero bonum quod nobis repræsentamus absens est, *per hypoth.* affectus tendit in bonum absens, quod nostrum esse mallemus, & quatenus idem nobis tanquam bonum repræsentamus, voluptatem ex eo percipiendam præsumimus (§. 612). Bonum igitur istud absens cupimus (§. 805).

Patet idem a posteriori eodem modo, quo veritas propositionis præcedentis innotescit, cum utrique eadem notio respondeat, ut adeo plura eam in rem addi non sit opus.

Si bonum exiguum videtur, nec magna est cupiditas, ita ut tam exigua evadere possit, ut vix in numerum affectuum referatur. Quamobrem addidimus in hypothesi absens repræsentari debere tanquam valde bonum; id quod per se intelligitur, ubi supponimus affectum oriri debere.

§. 810.

Definitio cupiditatis realis. *Cupiditas* est affectus, qui oritur ex repræsentatione boni absentis.

Nimirum si supponimus affectum oriri, tacite supponimus absens bonum existimari quoad nos, idque valde bonum, ut adeo realitas hujus definitionis in articulo præcedente fuerit evicta.

§. 811.

Definitiones cupiditatis num sint receptæ significatui conformes. *Definitio tam nominalis, quam realis cupiditatis recepto significatui conformis.* Significatum receptum explicaturus *Gassendus* Physic. sect. 3. membr. 2. lib. 10. c. 5. f. 491. Tom. 1. Oper. eam affectum esse dicit, quo anima in rem visam bonam absentemque se tendit, ut illi habendæ fruendæque veluti inhiet. Monet ibidem rem videri bonam, quatenus considera-

tur

tur tanquam voluptatis cujusdam creatrix. Immo diserte monet, proprium esse huic affectui, quod feratur duntaxat in bonum futurum absensve, atque adeo bono facto præsente evanescat. Apparet itaque juxta *Gassendum* oriri cupiditatem ex repræsentatione boni absentis: id quod cum definitione nostra reali convenit (§. 810). Quoniam vero res absens repræsentatur tanquam bona, quatenus ea consideratur tanquam voluptatis creatrix, atque adeo jam actu quadam inde voluptas percipitur; ideo non invito *Gassendo* dici potest cupiditatem esse prægustum quendam voluptatis ex bono absente percipiendæ, quod nostrum esse mallemus: id quod cum definitione nostra nominali prorsus concidit. *Cartesius* loco sæpius citato art. 58. p. m. 28. notat, cupiditatem semper bonum futurum respicere, sive appetamus acquisitionem boni, quod adhuc abest, aut evitationem mali, quod judicatur evenire posse, sive exoptemus conservationem cujusdam boni, aut absentiam cujusdam mali. Unde conficitur hunc affectum juxta *Cartesium* oriri ex repræsentatione boni absentis, quemadmodum fert definitio nostra realis (§. 810). Si dubium moveant, quod art. 58. ajat: sufficit, ut excitetur alicujus boni cupiditas, cogitandum esse, quod acquisitio possibilis fit, quod cum nostra spei definitione coincidere videtur; repetenda ea sunt, quæ ad idem removendum in superioribus (§. 803) in medium adduximus. Nemo non experitur, nos subinde cupere etiam ea, quæ a nobis acquiri non posse nobis persuasissimum est: quo in casu dicere solemus, vellem hoc, vel istud habere; vel utinam conditio mea pateretur, ut hoc, vel istud acquirere possem! Cognita impossibilitate obtinendi ejus, quod cupimus, ex cupiditate nascuntur affectus alii, quos ab illa distingvi acute necesse est, ne observaturus quæ diximus confundaris.

§. 812.

Si bonum, quo fruimur, nobis repræsentamus ut conser- Objecta ea-
vandum, dilatis.

vandum, vel malum, quod abeſt, ut evitandum; vel, quod adeſt, ut auferendum; conſervationem boni, evitationem & ablationem mali cupimus. Nemo enim neſcit, bonum judicari ut præſens, quo fruimur, bonum conſervetur; malum quod abeſt evitetur, vel quod adeſt auferatur (§. 554. 565). Quamobrem ſi nobis repræſentamus boni præſentis conſervationem, mali abſentis evitationem, vel mali præſentis ablationem; bonum aliquod abſens nobis repræſentamus, quod noſtrum eſſe mallemus. Quoniam itaque repræſentatio boni abſentis cupiditatem excitat (§. 810); cupiditas quoque excitari debet repræſentatione boni conſervandi, mali abſentis evitandi, vel præſentis auferendi.

A poſteriori unusquisque cupiditatem in ſe obſervare poteſt, quando bonum aliquod conſervari, malum evitari, vel auferri exoptat, ut adeo ſimplici tantummodo attentione ſit opus.

In genere tenendum eſt omnes affectuum definitiones eſſe applicabiles in eo caſu, in quo quid in numerum bonorum, vel malorum opinione noſtra referimus, qualecunque tandem fuerit. Judicatur autem bonum, quod voluptatem creat; malum, quod tædium procreat in affectuum geneſi, ubi nonniſi confuſa boni malique repræſentatio eſt (§. 605).

§. 813.

Fuga mali, vel etiam *Fuga* ſimpliciter eſt præguſtus tædii, vel triſtitiæ ex malo abſente percipiendæ, ſi nobis præſens ſieret.

Fuga definitio.

E. gr. Si cui ſapor alicujus cibi moleſtus eſt, dum is eidem offertur; ſaporis illius memor tædium præſentit, quod inde perceptu-rus eſſet, ſi eodem veſceretur: eundem adeo fugit. Nempe affectus, quo tunc corripitur animus, dum nos nullo modo adduci patimur, ut eodem veſcamur, fuga dicitur. Quodſi nullus affectus oriatur, ſed ſimplex tantummodo averſatio; Fugæ in eo ſenſu, qui hic attenditur, locus non eſt.

§. 814.

Si quid nobis diſplicet, idemque averſamur; idem fugimus.

Quanam fugiamus.

Digitized by Google

mus. Si quid enim nobis displicet, ex eo tædium percipimus (§. 541), consequenter quia idem aversamur *per hypoth.* inde colligimus, quanto nobis tædio futurum sit, si idem nobis præsens esset, adeoque tædii inde percipiendi prægustum habemus. Quoniam itaque prægustus hic affectus ille est, quem Fugæ nomine compellamus (§. 813); si quod nobis displicet aversamur, idem fugimus.

Patet idem a posteriori per illud ipsum exemplum, quo ad illustrandam definitionem fugæ modo usi sumus. Etenim si sapor cibi nobis molestus est, eum aversamur. Quodsi ingens fuerit tædium, quod inde percipimus, idemque nobis repræsentemus; affectus quidam oritur, quo impulsi cibum istum procul a nobis remotum volumus. Atque adeo palam est, nos eundem fugere. Fugam hanc mali prodimus his verbis: apage! Nihil nobis cum re ista negotii esse volumus.

Opponitur hic affectus cupiditati, atque differt a cupiditate mali evitandi, cum tum attentio dirigatur in evitationem mali tanquam rem bonam, in fuga vero malum ipsum quoad nos consideretur. Qui ad obviam experientiam attendit; is differentiam inter cupiditatem mali evitandi & fugam mali absque difficultate distingvet.

§. 815.

Quoniam id fugimus, quod displicet & aversamur (§. 814); quod vero displicet, id odimus (§. 677); *Fuga ex odio nascitur mediante simplici aversatione.* *Mater fugæ.*

Scilicet aversatio simplex locum habere potest absque omni affectu, odium locum habere potest absque fuga; sed si ad aversationem simplicem rei absentis accedit odium, fuga oritur. Nimirum fuga id singulare habet, quod nos a malo protinus longo quasi intervallo removere nitamur ut tam cito ab eo procul distemus, quam nobis quidem possibile: unde fugæ ab aversatione simplici differentiam ad ideam imaginariam reducturi affectui huic fugæ nomen imposuere, cum fugiens ab objecto aliquo se celeri cursu removere nitatur.

§. 816.

Quanam fugiamus. *Si quid fugimus, id nobis repræſentamus tanquam malum quoad nos.* Si quid enim fugimus, tædia nobis repræſentamus ex malo abſente percipienda, ubi nobis præſens fieret (§. 813). Quoniam vero id tanto magis malum nobis videtur, quanto majus tædium eſt quod inde percipitur (§. 613); abſens malum tanquam malum quoad nos nobis repræſentare debemus, dum id fugimus.

Idem a poſteriori obvia experientia confirmatur. Medicinam qui fugit, eam malam judicat quoad ſe, quando nimirum eadem uti jubetur: alias eam ſimpliciter averſatur, vel odio proſequitur. Cibum palato minus gratum fugit, qui eodem veſci jubetur, atque adeo eundem malum judicat quoad ſe. Alias itidem eundem ſimpliciter averſatur, vel odit, pro circumſtantiarum diverſitate.

§. 817.

Quandonam quid fugiamus. *Si quid abſens nobis repræſentamus tanquam malum quoad nos, idem fugimus.* Etenim ſi quod abſens nobis repræſentamus tanquam malum, tædia nobis repræſentamus inde percipienda, ſi ea res nobis præſens foret, eaque tanto majora, quanto majus malum nobis videtur (§. 513). Præguſtum adeo habemus tædii ex re abſente percipiendi, ſi ea nobis præſens foret, in caſu naſcentis affectus, quem hic ſupponimus, conſequenter rem iſtam abſentem fugimus (§. 813).

A poſteriori confirmatur propoſitio iisdem prorſus exemplis, quæ ad confirmandam præcedentem faciunt.

§. 818.

Definitio realis fugæ. *Fuga* eſt affectus, qui oritur ex repræſentatione mali abſentis quoad nos.

Patet realitas definitionis hujus per propoſitionem præcedentem (§. 817). Id vero per ſe liquet, malum, quod fugimus, tanquam eventu poſſibile repræſentari debere.

§. 819.

Digitized by Google

§. 819.

Definitio fugæ realis & nominalis recepto significatui conformis. Fugam in numerum affectuum refert *Gaſſendus* loc. eit. non invita experientia obvia. Fugam cupiditati opponit, adeoque oppoſitum ſignificatum habere debet vocabulum fugæ, qui cupiditati tribuitur. Cupiditatem ſumimus in eodem prorſus ſignificatu, quem eidem vindicat *Gaſſendus* (§. 811). Significatus vero, quem vocabulo fugæ tribuimus, oppoſitus eſt ei, quem vindicavimus cupiditati. Quamobrem is quoque idem eſſe debet cum eo, quem experientiæ communi conſentaneum probat *Gaſſendus*. Idem clarius patet, ſi quæ philoſophus de ſignificatn vocabuli fugæ diſſerit, cum iis conferas, quæ nos de fuga tradidimus. Fugam in eo cum odio convenire, quod uterque affectus ſit abductio a re mala moleſtiæve creatrice, quatenus nimirum tanquam affectus moleſti in averſatione fortiori conſiſtunt (§. 609); eo autem differre, quod odium ſit prævium, fuga vero concomitans: id quod coincidit cum eo, quod ex definitione noſtra nominali deduximus (§. 813). Definit autem *Gaſſendus* fugam per affectum, quo anima rem viſam malam abſentemque ſic refugit, ut averſam ſe illi declinandæ contineat. Unde liquet ipſum ad geneſin hujus affectus requirere ut anima ſibi repræſentet malum quoddam abſens, quod nobis præſens fieri nolumus: id quod cum noſtra definitione mali fugæ concidit (§. 518). *Definitio fugæ realis nominalis recepto ſignificatui conformis.*

Carteſius fugæ nullam facit mentionem, propterea quod cupiditatem mali evitandi ab illa differre non animadverit, quam tamen ipſo ſenſu in caſibus obviis clariſſime diſtingvimus. In unum ſcilicet caſum intentus, alterius oblitus eſt, cum nulla tunc adeſſet ratio, cur caſus alter ipſi præſens ſiſteretur: id quod facillime accidere ſolet.

§. 820.

Metus eſt tædium ex malo adventuro perceptum, ſeu ex opinione mali adventuri. Quodſi ea prædominetur, ut in triſtitiam abeat (§. 619), dicetur triſtitia ex malo adventante, ſeu opinione mali adventantis, præſertim intolerabilis viſi, percepta *Metus ac deſperationis definitio.*

cepta *Desperatio*. Tædium ex malo appropinquante, vel ex opinione mali appropinquantis perceptum vocatur in specie *Timor*, ut adeo *timor metus quædam species sit*.

E. gr. Si quis noctu evigilans procellæ impetum audit sibique repræsentat incendii periculum in hoc aëris statu, ac ejus excitandi possibilitatem in vicinis ædibus; tædium, quo afficitur, animus metus nomine venit. Quodsi vero incendium jam fuerit ortum ac periculum inde imminet ædibus nostris, timori locus est. Si quis in casu posteriori periculum sibi repræsentat tanquam inevitabile ac jacturam omnium bonorum tanquam causam pauperiei intolerabilis sibi visæ, aut jacturam Bibliothecæ tanquam damnum irreparabile; desperationi locus est. Patet adeo affectus, qui metus, timoris ac desperationis nomine veniunt, esse quidem agnatos; sed tamen clarissime differre, ita ut differentiam ipso sensu distingvamus tum in nobis, tum in aliis, quando vel nos, vel alii iisdem agitantur.

§. 821.

Quenam & quando metuamus.

Qui metuit, is malum sibi repræsentat tanquam eventu possibile, & contra. Qui enim metuit, is malum sibi repræsentat tanquam adventurum ac ex opinione mali adventuri tædium percipit (§. 820). Tædium igitur percipit non ex malo in se considerato, sed ex eo, quod adventurum sit, consequenter qui malum metuit, is persuasus esse debet fieri posse ut malum eveniat, eventusque possibilitatem sibi repræsentat.

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus nos novellas publicas legentes intelligere, in vicino quodam regno apparatum bellicum instrui ac inde porro colligere, fieri posse ut ferale bellum in nostras oras serpat; metus animum invadit, atque adeo patet metuentem sibi repræsentare malum tanquam eventu possibile. Neque enim adhuc pro certo habet, idem eventurum. Jam ex adverso qui sibi repræsentat malum, tanquam eventu possibile, is sibi persuadet adesse rationes sufficientes, cur credat idem adventurum. Quoniam vero malum judicare debet, quod illud adventurum sit (§. 565); ex eo,

Digitized by Google

eo, quod adventurum existimet, tædium tanto majus ab eo percipi debere, quo magis hoc ipsi malum videtur (§. 813). Jam vero qui tædium percipit ex eo, quod malum adventurum sit, metum animo concipit (§. 320). Quamobrem patet eum, qui malum sibi repræsentat tanquam eventu possibile, metuere sibi ab hoc malo.

A posteriori unusquisque ex seipso intelligit, nunquam sibi esse metum, nisi ubi sibi persuadet, malum aliquod eventu possibile esse, & quamprimum ita opinatur, metum subito oriri.

§. 822.

Metus est affectus, qui oritur, si quod malum nobis tanquam eventu possibile repræsentamus. *Metus definitio realis.*

Sola nimirum mali absentis repræsentatio fugam excitat; sed ubi tanquam eventu possibile consideratur, metus eidem superaccedit. Unde plerumque accidit, ut duo hic affectus oriantur simul: id quod probe notandum, ubi experimentum eorum capere volueris, quæ de utroque affectu docentur.

§. 823.

Quoniam timor a metu in eo differt, quod in illo affectu malum consideretur ut appropinquans, in hoc ut adventurum (§. 820); *Timor* est affectus, qui oritur, si malum aliquod nobis tanquam appropinquans repræsentamus (§. 823). *Definitio realis Timoris.*

Definitio adeo realis jam continetur in nominali, quam dedimus, ut adeo nominalis cum reali coincidat. Etenim fieri potest, ut etiam realis tamdiu pro nominali habeatur, quando ex ea possibilitas rei definitæ nondum intelligitur. Ceterum a posteriori veritas definitionis hujus realis confirmatur ex eo, quod observemus, nos timore perculsos transire in tenebris per cœmeterium, si quidem nobis persuasum est illo tempore spectra ibidem hominibus damna inferre, atque adeo imaginatio spectra nobis veluti ad nos accedentia & corpus nostrum jamjam ferientia repræsentat. Studio ad hoc exemplum provoco, quod qualis sit timor & quomodo a metu differat omnium clarissime patefaciat.

Digitized by Google

§. 824.

Quando desperemus & quanta sit desperatio.

Qui desperat, is malum sibi repræsentat tanquam inevitabile & contra: atque tanto major desperatio, si simul ut intolerabile repræsentatur. Qui enim desperat, is tristitia afficitur ex malo adventante (§. 820), adeoque non tantum quatenus malum est, sed quatenus adventat, seu ex eo, quod malum certo sit extiturum. Quamobrem persuasus sit necesse est idem a se evitari non posse, atque ideo patet eum, qui desperat, malum sibi repræsentare tanquam inevitabile. Nimirum quamdiu quis existimat malum adhuc evitari posse, nondum pro certo habet idem extiturum.

Similiter qui malum sibi repræsentat tanquam inevitabile, hoc ipso sibi persuadet fore ut idem eveniat, per ea quæ modo diximus. Cumque hic sermo sit de malo, quod haud procul abest; idem tanquam jam adventans considerare debet. Quoniam igitur malum judicare debet mali inevitabilis adventum (§. 565), ex eo tanto majus tædium, immo tristitiam prorsus (§. 619), percipere, debet, quanto majus malum nobis videtur iste adventus (§. 613), consequenter desperare debet (§. 820).

Enimvero quia adventus mali intolerabilis tanto majus malum videtur, quanto intolerabilius idem existimatur (§. 565); ex eodem quoque tanto majus tædium, immo tanto major tristitia (§. 619), percipi debet, quanto intolerabilius malum videtur (§. 613). Desperatio igitur in hoc casu major esse debet.

Veritas propositionis præsentis confirmatur a posteriori, si cogitemus hominem ob homicidium ad supplicium ultimum damnatum sibi ignominiam perpetiendam repræsentare tanquam malum intolerabile idemque simul inevitabile. Tum enim affectum desperationis, quo urgetur, nemo in dubium vocare poterit.

Tria

Tria in dato exemplo probe attendenda veniunt, himirum 1. quod ad ſupplicium ultimum damnatus mortem ac ignominiam cum eadem conjunctam ſibi repræſentet tanquam malum; 2. quod malum iſtud conſideret tanquam certo adventurum, 3. quod idem opinetur ſibi fore intolerabile. Unde facile probari poterat cum affectu deſperationis concurrere alios, veluti horrorem, quem incutit ſupplicii gravioris repræſentatio; pudor, quem excitat cogitatio de judiciis hominum, per quos ad locum judicii ducendus; triſtitia ſimplex, quatenus malum exiſtimatur, quod ſupplicium publice perpetiendum evitari non poſſit. Immo in caſu ſpeciali alii affectus ſuperaccedere hisque ſe jungere poſſunt, veluti pœnitentia, qua quod homicidium commiſſum fuerit urgemur, & indignatio, quod non potius injuriam ab altero nobis factam perpeſſi fuerimus: ſed de concurſu affectuum non opus eſt, ut multa dicamus. Etenim ſi conſtet quænam ſint ſingularum cauſæ, in dato caſu ſpeciali facile oſtenditur, quinam concurrere debeant. Excitanda autem ad hunc concurſum nobis fuit attentio, ne in experimentis capiendis confundamur, ubi plures concurrunt.

§. 825.

Deſperatio eſt affectus, qui oritur, ſi nobis malum repræſentemus tanquam inevitabile, inprimis ubi ſimul idem nobis repræſentamus tanquam intolerabile. *Deſperationis definitio realis.*

Non illuſtrius habemus exemplum, quam quod ad confirmandam propoſitionem præcedentem, in qua fundamentum hujus definitionis continetur, ſeu ejus realitas evicta fuit, uſi ſumus.

§. 826.

Definitiones metus, timoris & deſperationis ſunt recepto ſignificatui conformes. Metus, ait *Martinius* in Lexico, eſt motus cordis, ut cum violenter conſtringitur & futurum malum fugit. Prius ad corpus, poſterius ad animam refertur. Quare cum nos affectus hic tantummodo conſideremus, quatenus ad animam ſpectant; dicendum erit juxta *Martinium* metum eſſe affectum, qui oritur ex opinione mali futuri, quod a nobis abeſſe vellemus: quod a definitione noſtra reali minime abhorret (§. 819). Clarius *Ariſtoteles* metum definit per dolorem ac perturbationem ex opinione impendentis mali, quod *Definitiones metus, timoris & deſperationis num ſint recepto ſignificatui conformes.*

Digitized by Google

vel perniciem, vel moleſtiam afferre poſſit: id quod cum definitione noſtra nominali prorſus conſentit (§. 820). Et *Gaſſendus* loco ſupra citato obſervat, metum univerſe ea etiam comprehendere, quæ minores moleſtias levioraque incommoda paritura ſunt, ac ea rurſus, quæ tametſi pro foribus non ſint, aliquando tamen adfutura creduntur. Etſi enim *Ariſtoteles* reſtrictius metum definiviſſe videatur, non tamen eidem contrariantur, quæ *Gaſſendus* addit. Etenim jam ſupra monuimus, ubi notiones, ab exemplis abſtrahuntur, aut ad ideas referuntur, ut earum appareat veritas, facillime contingere, ut in verba incidamus quæ non ſatis determinate exprimunt, quod ſignificare debent, propria attentione ad exempla alia nobis obvia facile amplianda, vel reſtringenda, prout caſus tulerit. Quamobrem non inconſultum eſt, ut, qui in veritate accurate determinanda proficere voluerit, quæ plures de eadem re dicunt in unum congerat: cum enim non omnibus eædem fuerint ideæ exemplares, ad quas verba ſua retulerunt, ex collatione determinationes quomodo rite conſtituendæ ſint innoteſcit (§. 682. *Log.*). Timorem a metu ita diſtinguit *Cicero*, optime gnarus ſignificatus vocabulorum Latinorum, ut ille ſit hujus ſpeciei, ſcilicet metus appropinquantis mali: quem nos in definitione nominali (§. 820) ſecuti ſumus. *Martinius* in Lexico timere idem eſſe ait ac futurum malum, quod vel erit, vel eſſe poteſt, expectare. Niſi verba, *vel eſſe poteſt*, ſcrupulum moverent, dici poterat, eum conſentire cum *Cicerone*. Neque enim futurum expectamus, niſi quatenus id tanquam appropinquans, vel adventans ſpectamus. Sed quod non ſatis accurate mentem ſuam expreſſerit, apparet ex iis, quæ mox de timore dicit, quod ſit ſpem abjicere, tanquam non poſſit aliquid cogitari, quo juvemur, ut impendentia mala amoliamur. Impendent mala, quæ appropinquant; mala appropinquantia vero non ſemper ut inevitabilia repræſentantur. Patet itaque quod verbis prioribus

metus

metus & timor; posterioribus autem timor & desperatio non satis a se invicem distinguantur. *Gassendus* loc. cit. desperationem fidentiæ, seu fiduciæ, tanquam summum gradum metus summo gradui spei opponit, atque adeo desperationi locus esse nequit, nisi quando malum consideratur tanquam certo futurum, ut spectetur veluti jam præsens, consequenter inevitabile, idemque intolerabile, quemadmodum fert definitio nostra realis (§. 826). *Cartesius* loc. cit. metum & timorem a se invicem non distinguit, ac eum certioribus limitibus coërcet, quam par videbatur, dum affirmat, quod rei potiundæ difficultatem repræsentat metum, vel timorem excitare. Enimvero cum in numero malorum sit non potiri bono, quod cupimus; nemo non intelligit, ex eo, quod metuimus, ne boni, quod cupimus, spe frustremur, prona consequentia inferri, quod mali adventus metus causa sit, consequenter idem ex opinione mali futuri nascatur, quatenus idem consideramus tanquam eventu posfibile: id quod cum definitione nostra consentit. Recte igitur sensisse *Cartesium* nullus dubito. Enimvero desperationem fiduciæ opponit, quemadmodum a nobis factum est, eumque extremum metum facit, quemadmodum & nos fecimus. Quamobrem cum modo ostenderimus, illum in genesi desperationis nobiscum consentire, qui eam summum metus gradum facit; evidens est *Cartesium* desperationem in eodem significatu accipere debere, quem nos vocabulo tribuimus.

Desperare vulgo idem esse ajunt ac spem abjicere, quemadmodum habet *Martinius* in Lexico: quod cum coincidat cum definitione metus *Cartesii*, qui metum summum desperationem facit: haud obscure intelligitur, quid ad explicationem insufficientem ab etymologia peritam reponi debeat. Rarissime accidit ut explicationes vocabulorum a rationibus etymologicis derivatæ accuratis definitionibus æquipolleant.

§. 827.

Nimia tristitia ex adventu mali improviso orta dicitur *Terror.* *Terroris definitio.*

Ponamus Titium per cœmeterium transeuntem in tenebris sibi persuadere, quod spectrum ipsi occurrat, & imaginationis vi repræsentare damna, quæ a spectris inferri hominibus audivit; ex improviso hoc adspectu in terrorem conjicietur. Unde patet, quomodo terror differat a simplici tristitia: simplex enim tristitia ex opinione mali præsentis est (§. 619): ast terrori locus est, quod malum ex improviso fiat præsens.

§. 828.

Terror definens qualis sit.

Quando igitur *terror successive minuitur, simplex tristitia remanet.* Confirmatur hoc experientia, quemadmodum inprimis eo in casu apparet, quo non alius affectus contrarius in ejus locum statim succedit, veluti cum eventus docet terrorem fuisse inanem. Ponamus itaque Titium ambire munus ecclesiasticum, quod vacat, & admodum securum esse, quod idem sit obtenturus. Ponamus vero præter omnem spem atque opinionem accidere, ut Sempronius ad idem evehatur. Quamprimum hoc ipsi significatur, in terrorem conjicitur; eo autem langueſcente & animo ad se ipsum redeunte, sola tristitia afficitur. Nec posthac rursus redit terror, etsi ex jacturæ boni sperati recordatione tristitia nascatur. Causa nimirum tristitiæ remanet (§. 623); sed causa terroris redire nequit (§. 827).

Idem de ceteris quoque affectibus notandum, qui per tristitiam, vel gaudium definiuntur, ubi dubitas, num per tristitiam, vel gaudium definiri possint, ac veritatem experiri volueris.

§ 829.

Definitio terroris realis.

Quamobrem quia terrori unice ideo locus est, quod adventus mali improvisus fit (§. 827. 828). *Terror oritur, si malum ex improviso ingruit, ac inprimis si præter spem omnem ac opinionem accidit.* Atque in his continetur definitio terroris realis (§. 194. *Log.*).

Confirmatur autem propositio a posteriori. Ponamus enim nos media nocte secure dormientes, sed ob strepitum in platea evigilantes percipere sonitum campanæ, quo signum in-

Digitized by Google

incendii in urbe exorti datur. Cum malum nobis repræſentemus incendium propter damna inde oriunda & ex ſtrepitu colligamus ejus viciniam, nihil autem iſtiusmodi cogitantibus nobis incendium contingat; in terrorem conjicimur, quamprimum ſonitum campanæ audimus. Atque adeo patet terrorem eſſe ex eo, quod malum iſtud nobis imminet ex improviſo. Ponamus alium qui terrore non concutitur, quamdiu non novit, ubinam incendium flagret: ſurgentem vero e lectu reſcire, flammam ex ædibus contiguis ſerpentem jam in proprias ſævire; præter omnem opinionem intelligit, quod incendium ipſi ſit funeſtum. Quamobrem cum nemo non norit animum in hoc caſu terrore percuti; terror utique ex eo eſt, quod malum adſit ex improviſo.

Poteramus idem confirmare exemplis aliis compluribus. Ita in terrorem conjicitur maleficus, ſi præter ſpem, quam conceperat, durior pœna eidem dictatur, veluti crurifragium, cum ſe capite plexum iri ſibi perſuaderet. Terrori vero locus eſt etiam in rebus levioris momenti, quando meticuloſiores fuerimus, modo adſit opinio damni.

§. 830.

Definitio terroris ſignificatui vocabuli recepto congrua. Quæ ad confirmandam theoriam terroris in medium adduximus exempla, abunde loquuntur vocabulum a nobis in ſignificatu recepto accipi. Etenim niſi notio, cui ſignificandæ vocabulum deſtinamus, ea foret, quam communi ſermone eodem indigitamus; exempla quoque, in quibus terrori locum eſſe affirmant omnes ex communi loquendi uſu, ad illam confirmandam ac illuſtrandam adduci minime poſſent. Terrorem metus ſpeciem facit *Cicero*, qui eum per metum concutientem definit, ſeu quem pallor, tremor, crepitus dentium conſequuntur. Quodſi jam experientiam conſulas, quandonam ob metum palleat facies, tremant artus, immo dentes in nonnullis ſubjectis crepent; illa non accidere reperies niſi eo in caſu, in quo malum quoddam nobis imminere opinamur præter omnem expe-

Definitio terroris ſignificatui vocabuli recepto conformis.

Digitized by Google

expectationem, quemadmodum exempla paulo ante in medium adducta loquuntur. Atque adeo patet *Ciceronem* non alium nomini tribuere significatum, quam quem nos eidem tribuimus, etsi nos in Psychologia ad ea respiciamus, quæ animæ insunt, cum ex adverso *Cicero* ad ea attendat, quæ in corpore obvia sensui manifesta sunt.

Cicero plures alias metus species distinguit, quemadmodum videre est apud *Gassendum* loco citato f. 497; sed nostrum jam non est differentias istas explicare, quibus significandis non in quavis lingua vocabula prostant, cum alibi tradi possint, siquidem illarum aliquis sese offerat usus.

§. 831.

Fluctuationis animi definitio.

Vacillatio seu *Fluctuatio animi* est alternatio voluptatis atque tædii super bono, quod an obtentu possibile sit reperire non possumus.

Ponamus vacare munus, cui nos pares existimamus, atque idem nobis videri admodum utile. Voluptatem nos ex eodem percipere idemque appetere nemo non novit. Enimvero ponamus nos jam sollicitos esse de mediis idem obtinendi, nulla vero reperiri posse, quorum executio in potestate nostra posita sit. Nemo non denuo novit, nos tædio affici, quod voti nostri compotes fieri non posse videamur atque a spe ejusdem obtinendi arceamur. Quando igitur animum ad emolumenta, quæ tibi a munere isto spondes, denuo advertis visurus, num omnem spem abjicere debeas; voluptate iterum perfunditur animus. Quamobrem ejus obtinendi cupidus si de mediis rursus cogitas, ac in iis reperiendis te denuo infelicem experiaris; voluptate evanescente redit tædium. Hunc animæ statum indigitamus, quaodo animum vacillantem, vel fluctuantem dicimus. Atque ita simul apparet realitas definitionis præsentis. Datur enim istiusmodi status animæ, qualem definitio supponit.

§. 832.

Quomodo oriatur.

Si bonum absens cupimus, sed media, quibus idem obtineamus, vel ignoramus, vel quænam ex pluribus eligere debeamus minime videamur, tum fluctuat, vel vacillat animus. Si enim bonum absens cupimus, voluptate afficimur (§. 805). Quando vero

Digitized by Google

vero de mediis ſolliciti, vel nulla prorſus reperire valemus, vel quænam ex pluribus eligere debeamus nobis non apparet; num illud obtentu poſſibile ſit nobis ignoramus. Quamobrem cum malum reputari debeat, ſi quod cupimus quomodo obtineatur reperire minime valemus (§. 505); ex eo tædium tanto majus percipere debemus, quanto majus malum exiſtimamus mediorum ignorantiam, vel difficultatem electionis (§. 612). Quodſi jam ſpem abjecturi denuo reſpicimus bonum, quod cupiebamus; voluptas, qua perfundebamur, denuo redit ex eadem ratione, qua ante ortam oſtendimus. Atque cupiditas ſtimulo eſt, ut ad media ruminanda animum denuo advertamus. Quodſi vero non feliciores ſumus in iis inveniendis, vel eligendis, quam antea fueramus, ex eadem ratione redeunt tædia, quibus ante afficiebamur, ob quam iisdem locum eſſe oſtendimus. Levi autem attentione perſpicitur, a tædiis ad voluptatem & a voluptate ad tædia reciprocum reditum per longius temporis ſpatium continuari poſſe. Quamobrem cum ſic tædia atque voluptas alternent vices, quod an bonum obtentu poſſibile ſit, reperire non poſſumus *per demonſtrata*; animus fluctuat, vel vacillat (§. 831).

A poſteriori propoſitionis præſentis veritatem confirmat exemplum, quod ad illuſtrandam propoſitionem præcedentem in medium attulimus. Sane integra demonſtratio ad idem applicari poteſt, ut adeo & ipſa clarius intelligatur.

Per propoſitionem præſentem patet iſtiusmodi ſtatum animæ eſſe poſſibilem, quem fluctuationis animi nomine indigitavimus: etſi jam a poſteriori ex allato exemplo idem appareat.

§. 833.

Si animus vacillat, vel fluctuat, aut media obtinendi bonum, quod cupimus, ignoramus, aut in iis eligendis, vel exequendis hæremus. Si enim animus fluctuat, voluptas atque tædium alternant vices, quod num bonum obtentu poſſibile ſit reperire non poſſumus (§. 831). Quoniam ad bonum obtinendum mediis opus eſt, atque adeo idem obtentu nobis poſ- *Fluctuationis animi ratio.*

Digitized by Google

sibile non est, quamdiu vel media ignoramus, vel quænam eligere, aut quomodo ea exequi debeamus nobis non apparet; si animus fluctuat, aut media prorsus ignorare debemus, aut saltem dubii simus necesse est, quibusnam ad finem consequendum uti teneamur, consequenter in iis eligendis hæremus.

Confirmatur id a posteriori ex eo, quod fluctuantes nunc decernamus boni prosecutionem, nunc ab eo prosequendo desistere velimus. Quando decernimus illam, cupiditatem nobis stimulo esse deprehendimus. Quando vero ab eodem prosequendo desistendum esse opinamur, mediorum ignorantia, vel eligendorum difficultas in causa est. Vacillationem itaque, seu fluctuationem ex eo esse intelligimus, quod media obtinendi bonum, quod cupimus, vel ignoremus, vel in iis eligendis hæreamus.

Si exemplum speciale majoris claritatis causa desideres, aut animum adverte ad id, quod antea in medium attulimus, aut cogita te animo fluctuantem, utrum iter amici visendi gratia facere debeas, nec ne. Amicum enim invisere bonum judicas, atque adeo eum invisere cupis. Aft cum iter ideo faciendum sit, ob rationes contrarias idem suadentes ac disuadentes dubitas, an iter decernere, an ab eodem desistere debeas, adeoque in eligendo medio hæres. Animi igitur fluctuatio ex difficultate electionis medii est.

§. 834.

Fluctuatio animi ex ignorantia executionis mediorum.

Si ignoramus quomodo media obtinendi bonum, quod cupimus, exequi debeamus; animus fluctuat. Etenim si media obtinendi bonum, quod cupimus, ignoramus; animus fluctuat (§. 832). Sed si ignoramus, quomodo ea exequi debeamus, perinde est ac si ea ignoraremus, utpote bonum, quod cupimus, non consecuturi nisi media exequamur. Quare fluctuare quoque debet animus, si ignoramus quomodo media exequi debeamus.

Idem patet a posteriori. Ponamus vacare munus, ad quod nos evehi mallemus. Ponamus nobis innotescere, collationem

Digitized by Google

nem muneris unice pendere a nutu Miniſtri cujusdam regii. Ponamus eundem nil dare niſi plus danti; nobis vero nec apparere, unde nummos corradere debeamus, ut donum offerre poſſimus; nec ſcire quomodo ipſi idem offerre poſſimus cum ſit acceſſu difficilis, nec ullus domeſticorum nobis notus. Vacillare in hoc caſu animum, ita ut nunc munus iſtud ambire velimus, nunc iterum nolimus; experientia palam loquitur.

Media, quorum executio ignoratur, inſufficienter cognoſcuntur, cum ad eorum notionem etiam pertineat eorundem executio. Inſufficiens cognitio ex parte ignorantia eſt, quatenus nempe quædam adhuc ignorantur, quæ notionem ingredi debebant. Ubi vero operatio a completa notione pendet, reſpectu hujus perinde eſt, ac ſi omnis notio prorſus deficeret. Exemplum ſpeciale, quod dedimus, quæ modo dixi abunde illuſtrat.

§. 835.

Fluctuatio animi eſt affectus, qui oritur ex ignorantia mediorum, vel electionis, aut executionis eorundem. *Definitio realis fluctuationis animi.*

Patet veritas definitionis per ea, quæ modo demonſtravimus a priori & a poſteriori confirmavimus (§. 833), quamvis ad eam admittendam ſufficiat exempla obvia perſpexiſſe.

§. 836.

Definitiones fluctuationis, vel vacillationis animi ſunt recepto ſignificatui conformes. Vocabulum fluctuationis per metaphoricam rationem etymologicam translatum fuit ad ſignificandum animæ ſtatum, quo dubia eſt, an quid agere debeat, nec ne, ſeu an bonum proſequi debeat, ut eodem potiatur, an idem negligi conſultum ſit. Ipſa ratio itaque etymologica inſinuat, quod nunc in hanc, nunc in illam partem feramur, quemadmodum fluctus nunc huc, nunc illuc feruntur, motu in plagas oppoſitas alternante. Quamobrem ubi ad affectum ſignificandum adhiberi debet, cum omnis affectus vel ſit jucundus, vel moleſtus, jucundi autem in voluptate, moleſti in tædio illius oppoſito conſiſtant (§. 608. 609); alia in mente fluctuatio ſignificari nequit, niſi quæ in alterna- *Definitio vacillationis animi nunc ſit conformis ſignificatui recepto.*

Digitized by Google

tione voluptatis atque tædii consistit. Hanc autem alternationem locum habere non posse nisi super bono, quod utrum prosequi, an negligere debeamus, nobis non constat, ex antecedentibus satis manifestum est. Non aliud igitur vocabulum ad denotandum affectum, quem hactenus expendimus, suppetit, quod non invito communi usu loquendi adhiberi possit, quam fluctuatio animi (§. 831). Etsi enim vulgo latius pateat vocabuli significatus, ut etiam extra sphæram affectuum sese extendat; affectum tamen hunc ambitu suo simul comprehendit. Nemo autem non videt, in doctrina affectuum significatum esse restringendum, quemadmodum jam antea in casibus aliis similibus factum. Præeuntem habemus *Cartesium* loc. cit. qui fluctuationem animi procedere ait a difficultate in electione mediorum, aut in executione, sub qua etiam ignorantiam eorundem comprehendit. Qui enim media prorsus ignorat, is nec novit, quomodo ea exequi debeat, ut adeo philosophus non diversam a nostra tradere videri debeat definitionem. Sermone vernaculo affectum hunc Wankelmüthigkeit appellamus, cui vox Latina vacillatio animi respondet. Vacillare idem est ac inconstanter ire, adeoque ad animum translatum vocabulum denotat hæsitationem in electione, vel executione mediorum, consequenter ratione etymologica adstipulante ad explicandum affectum, cum quo jam nobis negotium, adhiberi potest, quemadmodum a Germanis fieri solet. Animus enim incertus est in electione & executione mediorum, quemadmodum pes in eundo.

Apparet ex dictis vacillationem animi esse affectum mixum (§. 610): id quod ex ipsa quoque definitione nominali palam est (§. 831).

§. 837.

Horroris definitio. *Horror* dicitur metus, qui oritur ex repræsentatione mali tanquam ingentis.

E. gr. Horret animus, quando oculis inuemur præsentes supplicium

plicium grave, veluti crutifragium, si quidem id nobis repræsentamus tanquam malum ingens.

§. 838.

Quoniam animum horrere affirmamus, quotiescunque metum ingentem exprimere volumus, quemadmodum nemini non notum est; metus autem ingens ex opinione ingentis mali imminentis est, quemadmodum ex definitione metus colligitur (§. 822); *Horroris definitio, quam dedimus, usui loquendi communi conformis.* *Num definitio usui loquendi conformis.*

Non adeo opus est, ut de consensu definitionis horroris cum communi usu loquendi evincendo plura addamus, cum is adeo obvius sit.

§. 839.

Quoniam terror oritur ex adventu mali improviso (§. 829), horror autem ex opininone ingentis (§. 837); *si malum ex improviso imminens nobis tanquam ingens repræsentamus; horror cum terrore conjungitur.* *Horror quando cum terrore conjungatur.*

Conjunctionem loquitur experientia: casum vero, in quo ea contingit, rite fuisse determinatum, acumine utenti observare licet.

§. 840.

Et quia desperationi locus est, si malum imminens nobis repræsentamus tanquam inevitabile, tum simul tanquam intolerabile (§. 825); *si malum ex improviso imminens nobis tanquam ingens ac inevitabile repræsentamus, horrorem & terrorem simul ortum excipit desperatio.* *Quando insuper desperatio superaccedat.*

§. 841.

Pusillanimitas est tristitia orta ex difficultate boni, quod cupimus, obtinendi. *Pusillanimitatis definitio.*

E. gr. Si Titius minus ambit, quod maxime cupit, varia autem eidem obsiciuntur impedimenta, quibus tollendis se parem forte desperat, inquietudo illa animi, qua angitur, singularis quædam tristitiæ species, qua animus abjicitur, pusillanimitatis nomine venit.

§. 842. *Quandonam oriatur.*

Si nobis repræsentamus impedimenta, quo minus bonum

quod cupimus obtineamus, tanquam insuperabilia; pusillanimitas oritur. Quodsi enim impedimenta, quo minus bonum obtineamus, tanquam insuperabilia nobis repræsentamus; certo persuasi nobis videmur nos eodem minime potituros, aut saltem spem omnem abjicimus (§. 769). Quoniam vero idem cupimus *per hypath.* malum utique judicare debemus, quod idem consequi nequeamus (§. 565). Quare cum exinde tædium, immo tristitiam (§. 619), percipere debeamus (§. 613); tristitia oritur ex difficultate boni, quod cupimus, obtinendi, adeoque pusillanimitas (§. 841).

Loquitur idem exemplum, quod ad illustrandum definitionem pusillanimitatis in medium adduximus. Atque adeo patet propositionem præsentem a posteriori confirmari: patet etiam quomodo eandem confirmaturi ejus experimentum in nobis, vel aliis capere debeamus.

Impossibilitas obtinendi a difficultate distingui debet. Impossibile nobis est obtinere bonum, quod cupimus, quando nobis deficiunt media idem obtinendi, vel mediorum executio in potestate non est. Difficile nobis est obtinendi bonum, quod cupimus, si impedimenta sese objiciunt, quibus tollendis num pares simus dubitatur, ita ut plurimum negotii nobis facessat eorum sublatio. Hæc differentia, quæ inter impossibilitatem & difficultatem boni obtinendi intercedit, facile nos docet eam, quæ inter fluctuationem & pusillanimitatem obtinet.

§. 842.

Quanam pusillanimis sibi repræsentet.

Qui pusillanimis est, impedimenta, quo minus bonum, quod capit, obtineat, tanquam insuperabilia sibi repræsentat. Qui enim pusillanimis est, is sibi repræsentat difficultates boni, quod cupit, obtinendi (§. 840), adeoque sibi persuadet, fore ut idem non obtineat. Quodsi bonum, quod cupimus, nobis tanquam obtentu difficile repræsentamus, necesse est ut nobis occurrant impedimenta, quæ obstare videntur, quo minus istud consequamur, & quibus tollendis nos non pares esse existimamus. Impedimenta igitur, quo minus bonum, quod cupit, obtineat, tanquam insuperabilia sibi repræsentat.

A po-

Digitized by Google

A posteriori propositio confirmatur per eadem exempla, quæ ad confirmandam præcedentem conducunt. Sane pusillanimes de causa tristitiæ, qua anguntur, quæsiti respondent, se infelices esse, quod omnibus licet adhibitis mediis id tamen consequi nequeant, quod consequi studeant. Pusillanimitas subinde quoque observatur in iis, qui in studio aliquo inanem operam sumunt, etsi omnem adhibeant diligentiam, libros-que sibi comparent, quos in eo scientiarum genere optimos prædicari norunt.

§. 844.

Pusillanimitas est affectus, qui oritur, si quis impedimenta in prosequendo bono, quod cupit, obvia tanquam insuperabilia sibi repræsentat. *Pusillanimitatis definitio realis.*

Obtinet nimirum in executione mediorum & tanto major esse solet, quanto major erat spes, quam in electione mediorum susceperamus. Et perinde quidem est, sive impedimenta ista sese offerant de executione mediorum cogitanti, sive eandem aggredienti.

§. 845.

Si quis bonum prosequi decrevit, nec a proposito suo sese dimoveri patitur; de mediis vero cogitanti nulla sese offerunt, nec aliorum consiliis idem juvatur; pusillanimitas oritur. Si quis enim bonum prosequi ita decrevit, ut a proposito suo se dimoveri non patiatur, quin ingens ejus sit cupiditas dubitari nequit (§. 510). Nil magis igitur in votis habet, quam ut eodem potiatur, maximumque malum reputare debet, si eodem non potiatur. Quamobrem cum de mediis cogitans nullaque reperiens omne præsidium in consiliis aliorum collocet; ubi his destitutum se videt, quæ mediorum loco esse debebant, eorundem defectum tanquam impedimentum insuperabile sibi repræsentare debet, quod obstat, quo minus bonum, quod vehementer cupit, consequatur, prouti ex ipsa impedimenti notione colligitur (§. 726. *Ontol.*). Quoniam itaque pusillanimitas oritur, si quis impedimenta in prosequendo bo- *Casus specialis pusillanimitatis.*

no

no obvia tanquam insuperabilia sibi repræsentat (§. 844); eadem quoque oriri debet, si quis bonum vehementer cupit & media ignorans nihil præsidii in consiliis amicorum reperit, adeoque in hypothesi propositionis præsentis.

Patet idem a posteriori. Ponamus munus vacare ecclesiasticum, quod vehementer cupit Mevius. Ponamus porro eum non videre, quomodo ad idem pervenire possit; sed spem omnem in amico collocare, cujus commendatione ac consiliis id effici posse confidit, ut voti sui compos reddatur. Quodsi jam cognoverit commendationem amici haud multum valituram & consilia, quæ suppeditat, vel esse nulla, vel parum certa, ut iis tuto se fidere posse non existimet; munus vehementer cupiens & durante cupiditate de eo obtinendo desperans pusillanimis evadit. Hinc audias conquerentem, se destitui omnibus consiliis: neminem esse, qui ipsi succurrere velit. Aliorum commemorantem audias felicitatem, immo summopere prædicantem, suam vero accusantem infelicitatem & impatienter diris nescio quibus semetipsum devoventem, prout quidem diversimode dispositus fuerit animus affectusque socii alii superaccedunt ex affectuum theoria decenter applicata discernendi ac separandi a se invicem.

Si quis non perspicit, quomodo inopia consiliorum spectari possit tanquam impedimentum obtinendi boni, quod prosequi decrevimus, is definitionem impedimenti generalem applicet, quam dedimus (§. 726. *Ontol.*), & omnis obscuritas, quæ superest, statim dispelletur. Qui enim ipsemet media ignorans consilia aliorum eodem loco habet; is inde sibi persuadet, se bonum, quod cupit, consequi posse (§. 937. *Ontol.*). Quamobrem ex inopia consiliorum, quorum spem conceperat, intelligit, cur bonum, quod vehementer cupit, consequi nequeat, adeoque in eadem ratio sufficiens frustrati propositi continetur (§. 56. *Ontol*), consequenter eam impedimenti loco habere debet (§. 726. *Ontol.*).

Definitiones pusillanimitatis

§. 846.

Definitiones pusillanimitatis sunt recepto significatui conformes.

Digitized by Google

formes. In affectu pusillanimitatis explicando multus est *Gassendus* loc. cit. f. 498. ita autem ille: Ubi, inquit, ne non obtineamus bonum, aut devitemus superemusve malum metuimus, vel etiam prorsus desperamus, tunc animos ad adoriendum prosequendumque despondemus animove pusillo, sive ad agendum segni reddimur. Hinc porro infert, pusillanimitatem (quam & *Segnitiem* vocat) esse affectum, quo anima in se quasi collabatur & cum difficultatibus malisque, quæ iri superatum diffidit, colluctari detrectet. Videmus ad genesin hujus affectus requiri a *Gassendo*, ut bonum aliquod cupiamus, ad quod etiam pertinere mali evitationem palam est; ut in eo prosequendo objiciantur nobis difficultates, & ut has ipsas difficultates a nobis superari non posse opinemur. Quoniam difficultates istæ aliæ esse nequeunt, quam vel impedimenta, quæ nobis in executione mediorum objiciuntur, vel inopia mediorum consilio alieno minime levanda; non alium affectum pusillanimitatem vocat *Gassendus*, quam cui nos idem nomen imposuimus (*§.* 843. 844). Nec minus eundem vocabuli significatum tuetur *Cartesius* loc. cit. art. 59. Diserte enim pusillanimitatem tribuit difficultatibus in executione mediorum, quemadmodum fecerat *Gassendus*. Quare cum ostenderimus *Gassendum* eundem affectum pusillanimitatem appellare, quem nos hoc nomine insignimus; per se patet *Cartesium* quoque eundem significatum tueri. Germanico idiomate idem affectus **Kleinmüthigkeit** appellatur, quod vi compositionis coincidit cum vocabulo Latino. Nemo vero est, qui nesciat nos vocabulo isto uti, quoties videmus alterum lugentem & impatienter conquerentem, se omnibus consiliis esse destitutum, ut bono, quod cupit, potiri non possit, vel malum, quod metuit, declinare minime valeat.

num sint recepto significatui conformes.

Cur hic affectus Latinis dicatur pusillanimitas, Germanis **Kleinmüthigkeit**, ipsa affectus hujus natura insinuat, a qua denominandi ratio in utraque lingua petita. Quemadmodum enim Latinis animum despondere, vel abjicere dicitur qui, cum agere vellet, ad

Wolffii Psychologia).

agendum segnis efficitur, ob difficultates, quibus amovendis se parem fore diffidit; ita in simili casu vernaculo nobis sermone dicitur den Muth sincken lassen. Animus enim Latinis, quemadmodum Muth Germanis est mentis vigor, unde veluti quidam intrinsecus animæ agendi impetus manat, quando agendi occasio nobis offertur: ea tantummodo differentia est, quod vocabulum Germanicum non sit homonymon, quemadmodum Latinum, propterea quod lingua Germanica vocabulis abundat & Germani, qui linguæ potentes sunt, in rebus accurate discernendis verba apposite admodum seligunt.

§. 847.

Animositas definitio.

Animositas **est praedominium cupiditatis ac spei vincentis metum ex difficultate boni obtinendi orti. Appellatur etiam** ***audacia.***

E. gr. Titius cupit munus, quod vacat & quod a se ornari posse novit patronus, cujus favore ad idem evehi potest. Visa igitur possibilitate ejus obtinendi ipse laetatur animus (§. 800). Enimvero ponamus Patrono esse agnatum, quem is singulari favore complectitur, ad idem munus aspirantem. Ubi hoc cognoverit Titius, metu percutitur, ne hic sibi praeferatur, atque adeo metus ex difficultate boni obtinendi oritur (§. 822). Enimvero ubi expendit, agnatum patroni non esse muneri obeundo parem, quod ex intentione Principis ornari debet; metu abjecto cum cupiditate spes resurgit ac vires capit, ut adeo a proposito ambiendi muneris non desistat, sed alacri animo executionem ejus adoriatur: quod ubi fit, animosus dicitur, vel, si justo animosior fuerit, prorsus audax.

§. 848.

Quando animositas oriatur.

Si difficultates boni, quod cupimus, obtinendi nobis expendentibus occurrat ratio, ob quam eadem si non certo superabiles, certe superatu non prorsus impossibiles videantur; animositas oritur. **Quoniam difficultatem boni, quod cupimus, obtinendi in executione obviam nobis expendentibus occurrit ratio, ob quam eadem si non certo superabiles, certe superatu non prorsus impossibiles videntur** *per hypoth.* **remotis autem difficultatibus bonum obtentu possibile est; idem obtentu possibile, minimum non prorsus impossibile in casu pro-**

Digitized by Google

propositionis præsentis videri debet. Quamobrem cum ex repræsentatione difficultatum obtinendi boni, quod cupiebamus, nasceretur metus, ne ab eodem excludamur, voti nostri compotes minime facti (§. 822); ex earundem vero superabilitate, ob quam obtentu nobis possibile, aut saltem non prorsus impossibile videtur *per demonstr.* spes revivisçat, quæ antea ex repræsentatione mediorum enata fuerat (§. 800); cupiditas ac spes metum vincunt atque adeo prædominantur. Quamobrem animositas oritur (§. 846).

Confirmatur propositio a posteriori exemplo, quod modo ad illustrandum definitionem animositatis in medium adduximus (*not.* §. 845). Integra enim demonstratio in eo continetur, ut ab eodem abstrahi possit: id quod mirum non est. Etenim exemplum docet, quomodo animositas in dato casu speciali oriatur; demonstratio autem idem terminis generalibus enunciat.

Constat artis demonstrandi peritis, demonstrationes haud raro ad casus speciales applicatas proferri, ubi si in genere quid demonstrari debet demonstratio obscurior intellectu videtur, aut difficilior, ut ejus vim facilius percipere possint qui alias attentione sufficiente uti nequeunt.

§. 849.

Animositatis ratio.

Si quis animosus evadit, is rationem perspicit, cur difficultates in prosecutione boni, quod cupimus, emergentes superatu possibiles, aut saltem non prorsus impossibiles videntur. Si quis enim animosus evadit, cupiditas boni ac spes ejus obtinendi superare debet metum ex difficultatibus ejus obtinendi ortum (§. 846). Quoniam adeo metus tamdiu subsistere debet, quamdiu difficultates istas tolli non posse apparet (§. 128. *Ontol.*), nec spes oriri potest, nisi bonum repræsentetur ut obtentu possibile (§. 800); evidens est si spes revivisçere ac adversus metum prævalere debeat, difficultates istas non amplius tanquam insuperabiles, sed ut superabiles, aut superatu non

prorſus impoſſibiles ſpectari debere. Quoniam igitur tanquam ſuperabiles, aut ſuperatu non prorſus impoſſibiles ſpectari nequeunt, niſi adſit aliqua ratio, cur tales appareant (§. 70. *Ontol.*); ſi quis animoſus evadit, is utique rationem perſpicere debet, cur difficultates emergentes in proſecutione boni ſuperabiles eſſe exiſtimet.

Confirmat idem experientia, modo notes in eo caſu, quo quid vehementer cupimus, tanquam ſuperabiles ſpectari difficultates, quando demonſtrari nequit quod ſint inſuperabiles, juxta iſtud pervulgatum: Quod quis maxime vult, id maxime credit. In inevidentibus enim appetitus influit in aſſenſum. Et tutius non invita prudentia exiſtimatur vel irrito conatu aliquid ſuſcipere, quam ex poſt facto intelligere a nobis prætermiſſam eſſe occaſionem obtinendi bonum, quod acquiſitu poſſibile fuerat. Exempla ſpecialia non adjicio: trahi huc poteſt, quod ante commemoravi.

Nimirum in præſente caſu non evidentibus rationibus opus eſt, ſed ſufficiunt probabiles. Inter probabiles vero infimum locum tenet, quod in caſu damni ex negligentia metuendi poſſibile haberi debeat, cujus impoſſibilitas demonſtrari nequit. Ceteris animoſiores ſunt, qui in negotiis humanis probabilitati cedunt, nec evidentiam imporrune flagitant. Sed de his plura dicemus, ſi Deo ita viſum fuerit, in Logica probabilium, quæ magnum ad prudentiam affert adjumentum, quemadmodum in Moralibus ex inſtituto docebimus.

§. 850.

Definitio realis Animoſitatis. *Animoſitas* eſt affectus, qui oritur, ſi difficultates obtinendi boni, quod cupimus, perpendentibus videantur ſuperabiles, aut ſuperatu non prorſus impoſſibiles.

Tum imprimis difficultates nobis videntur tanquam ſuperatu non prorſus impoſſibiles, quando oſtendere non poſſumus quod impoſſibile ſit, eas ſuperari a nobis. Ceterum notanda eſt hic differentia, quæ inter diverſos homines intercedit: neque enim omnes ejusdem ſunt indolis. Alii enim evidentiam in negotiis humanis deſiderant perinde ac in ſcientiis, atque hi ſunt timidiores & ad puſillanimitatem pro

proclives: alii probabilitati cuicunque locum concedunt, atque hi sunt ceteris animosiores. Sed differentiam istam nunc quidem curatius non scrutamur.

§. 851.

Definitiones animositatis significatui recepto conformes. Animositatem *Gassendus* loc. cit. definit per affectum, quo se anima concitat & ad colluctandum cum difficultatibus malisve, quæ iri superatum confidat, prorumpit. Nos tunc audentes effici, animosque ad aggrediendum pergendumque assumere pronunciat, ubi bene speramus confidimusque fore, ut aut objectas difficultates perrumpendo bonum obtineamus, malumve evitemus, aut cum malo ipso colluctando illud superemus. Patet adeo animositatem, vel audaciam (duo enim hæc vocabula *Gassendo* synonyma sunt) ex mente ipsius oriri, si bonum, quod cupimus, quo etiam mali evitatio refertur, nobis repræsentamus tanquam obtentu difficile, difficultatem tamen superari posse confidimus, si vel maxime certo constare nobis nequeat, utrum superari possit, nec ne. Hæc satis consona esse iis, quæ nos de animositate demonstravimus (§. 848), palam est. *Cartesius* loc. cit. animositatem, aut audaciam affectum appellat, qui difficultati in executione remediorum sese opponit. Nemo sese opponit difficultatibus, nisi quas superari a se posse confidit, aut minimum quas quod superare non possit nondum certo constare opinatur. Quamobrem *Cartesius* non minus, quam *Gassendus* eum vocabulo tribuit significatum; qui definitioni nostræ reali (§. 850), consequenter & nominali, ex qua realem deduximus (§. 848), conformis est. *Definitiones animositatis significatui recepto conformes.*

Quod mali evitatio in numerum bonorum referri debeat, in superioribus jam monuimus, nec quenquam fore arbitror, qui non sua sponte idem admittat. Malum igitur videri debet malum non evitare atque adeo cum malo colluctatur, qui idem evitare studet.

§. 852.

Desiderium est taedium ex mora boni ventuti, quod speratur, perceptum. E. gr. *Desiderii definitio.*

E. gr. Ponamus amicum ex oris peregrinis, in quas excurrerat, reducem nobis per famulum ſuum nunciare adventum ſuum ac ſignificare, quod in eo jam ſit, ut ipſemet ad nos veniat. Expectamus itaque adventum ejus, quem nobis plurimum voluptatis allaturum ſperamus. Quodſi non ſtatim adveneriit, moram impatienter ferimus. Tædium, quod inde percipitur, eſt id quod deſiderii nomine compellamus. Differre hoc tædium tanquam ſingularem quandam ſpeciem ab aliis ipſo ſenſu interno docemur.

§. 853.

Definitio realis deſiderii.

Quoniam adeo tum demum deſiderare bonum dicimur, ſi ſpei ſuperaccedit tædium ex mora adventus ſubortum (§. 852); *Deſiderium oritur, ſi mora adventus boni, quod ſperamus, tædium nobis creat*: id quod exemplo, quo definitionem deſiderii illuſtravimus, a poſteriori confirmatur.

Propoſitio hæc definitio realis eſt ex nominali immediate fluens.

§. 854.

Definitio deſiderii noſtra communi uſui loquendi conformis.

Definitio deſiderii, quam dedimus, communi uſui loquendi conformis. Communem vocabuli ſignificatum expoſiturus *Martinius* in Lexico: deſiderium, inquit, eſt rerum abſentium & nondum adeptarum concupiſcentia. Quoniam objectum deſiderii facit res abſentes, quas nondum adepti ſumus, hoc ipſo ſignificat, nos deſiderare ea, quorum obtinendorum aliqua ſpes nobis ſupereſt; ita enim deſiderium diſtinguitur a cupiditate, quæ eſt boni abſentis ſimpliciter talis. Quodſi dicas ea quoque deſiderari, quorum obtinendorum ſpes nulla nobis ſupereſt; id dici ſubinde non negamus, ſed idem ex inconſtantia loquendi fieri palam eſt: cujus ſi vel maxime *Martinius* rationem habeat, noſtra tamen parum refert, cum in philoſophia ab inconſtantia loquendi ſimus alieni. Enimvero ad deſiderium non ſufficit boni venturi expectatio, alias enim aſpe non differret (§. 800). Spei igitur quid ſuperaddere debet. Nil autem eſt quod ſuperaddere poſſit niſi tædium ex mora oriundum, quo expectatio efficitur impatiens. Quamobrem

Digitized by Google

apparet, si significatum tædii intra limites affectuum coarctes & accuratius determines, quæ notionem verbis *Martinii* respondentem ingrediuntur, non aliam posse condi definitionem desiderii, quam nos tradidimus. Quoniam desiderio agnata est cupiditas, agnita spes est; ecquis miretur idem vulgo non satis ab affectibus cognatis distingui, ubi verbis exprimendum quod in ipsius idea continetur: Enimvero ut nihil superfit dubii circa significatum vocabuli, perpende ea, quorum tibi conscius es, quando te anxie quid desiderare affirmas (hic enim casus affectus est); nostramque definitionem experientiæ consentientem deprehendes ea in te percepturus, quæ ad desiderium tanquam affectum requisivimus. *Cartesius* loc. cit. art. 67. per desiderium intelligit affectum ex bono præterito nascentem. Enimvero cum bonum præteritum consideretur tanquam absens, nec ex eo, quod eodem nobis frui datum est, quicquam ideæ præsenti addatur, nisi quod ea res sit voluptatis creatrix, adeoque quod sit bona; ex boni absentis consideratione non nascitur nisi cupiditas (§. 807). Quodsi malum reputetur, bonum præteritum non amplius præsens esse, quemadmodum mallemus; tædium, immo tristitia inde oritur tanquam ex malo præsente (§. 623). Quare cum hic permisceatur cupuditati tædium ex absentia boni, quod non amplius præsens sit; in desiderio autem ob moram adventus (§. 853), adeoque ex eo, quod nondum præsens sit bonum; *Cartesius* ad priorem casum respexit, adeoque desiderium ex mente ipsius erit affectus ex absentia boni, quod cupimus, orti, seu ex eo, quod non sit præsens, quod cupimus, consequenter ejus notio ad casum quoque nostra definitione distincte expressum trahi potest. Uterque tamen casus non prorsus idem est: etenim in casu definitionis boni adventum speramus; in casu *Cartesii* boni absentis tantummodo nobis cupiditas est, spes nulla. Unde accidit, ut uterque mentis status ipso sensu interni judicio diversus deprehendatur, neque adeo sub de-

side-

ſiderio a nobis comprehendatur. Minime autem opus nobis videtur peculiarem conſtituere affectum pro eo caſu, in quo tædium nobis ſubnaſcitur ex eo, quod bonum abſens ſit, nec ulla nobis ejus ſpes ſuperſit, quod tamen præſens eſſe mallemus & cujus nobis jucunda eſt memoria, quatenus bonum judicamus, quod nobis olim eo frui datum fuerit. Etenim cum plures diverſi affectus hic invicem non permiſceantur, ſed ſubito vices alternent, prout attentio in hanc, vel illam ideæ præſentis partem dirigitur; affectus ſingulos ſuis nominibus efferre licet. Entia præter neceſſitatem multiplicanda non ſunt. Quicquid ſit, ſufficit agnoſcere *Carteſium* deſiderium eſſe ſpeciem triſtitiæ ortam ex abſentia boni, quod cupimus: ita enim definitio utrumque comprehendit caſum.

Quodſi in anterioribus peculiares affectuum ſpecies conſtituiſſe videmur, qui ad alios referri poterant, vel in quibus duorum quorundam affectuum aliorum alternatio obtinet; nonniſi attentione opus eſt ad affectus præſentes, ut differentiam caſus, in quo *Carteſius* animæ deſiderium præter neceſſitatem tribuit tanquam affectum a ceteris diverſum, a caſibus ceteris, quos modo diximus, perſpicias. Etenim in illo caſu affectus, qui alternant vices, non immutantur, ac uno redeunte alter evaneſcit; in ceteris vero caſibus quod in alio affectu eſt in dato ſingulari ratione modificatur, ut naturam mutet, ac plures affectus ſibi invicem permiſcentur, ut mixtus ſit diverſus a ſimplicibus. Uberiorem lucem his affundet Pſychologia rationalis, ubi diſtincte explicabuntur, quæ nunc confuſe percepta indicantur.

§. 855.

Hilaritatis definitio. **Gaudium ortum ex eo, quod malum ſit præteritum, vel metus mali evanuerit, dicitur *Hilaritas*.**

E. gr. Si amicus noſter gravi morbo decumbat, quem ipſi fatalem prædicunt Medici, triſtitia afficimur jacturam amici pro malo reputantes. Enimvero ubi nobis nunciatur ipſum reconvaluiſſe; ſanitatis recuperationem in numerum bonorum referimus. Atque adeo ex bono præſente gaudium oritur, quod cum ſingulare ſit ab alio gaudio differens ex bono quodam nobis præſente oriundo, quod in nos collatum poſſidemus, hilaritatis nomine venit. Germani dicunt

Digitized by Google

cunt in hoc casu: Ich bin frohe, daß das Unglück vorbey ist, oder daß das Ungemach überstanden, atque adeo hilaritas est is affectus, quem Germani Frölichkeit appellare solent.

§. 856.

Oritur adeo *hilaritas, si nobis repræsentemus malum, rem tædii creatricem, tanquam tædia nobis non amplius creaturum.* Oritur enim ex eo, quod malum sit præteritum, vel metus mali evanuerit, adeoque præteritio mali est ratio sufficiens hujus affectus, ubi ad animam refertur (§. 56. *Ontol.*) consequenter eadem posita ponitur & ipse (§. 118. *Ontol.*). Enimvero si perpendimus malum, illud tanquam rem tædii creatricem consideramus (§. 569). quodsi porro idem spectamus tanquam præteritum; utique cogitamus, quod nobis tædium non amplius sit creaturum. Quamobrem ubi nobis repræsentamus malum, quod nos vexavit, tanquam nobis non amplius tædium creaturum; hilaritas oritur. *Quando oriatur.*

Patet idem à posteriori ex eo, quod alterum hilarem esse jubentes ea utamur ratione, quod perpendere debeat, quantum tædium perceperit ex malo, nunc vero ab eodem penitus sit liberatus, veluti cum quis luget suæ mortem uxoris, vel filii morbo diuturno & difficili tandem extincti, quo graviter afflictus fuit animus.

Habemus hic hilaritatis definitionem realem, quæ modum ostendit communi praxi conformem eandem in animo alterius excitandi.

§. 857.

Quoniam *Cartesius* significatum vocabuli in Philosophiam introduxit loc. cit. quem hilaritati tribuimus; *receptum tuemur significatum non obstante vago usu loquendi, qui dissentire videtur* (§. 147. 144 *Disc. prælim.*). *Num definitio hilaritatis usui loquendi conformis,*

Quod communis usus loquendi repugnare videatur significatui, quem hilaritati tribuimus cum *Cartesio*, liquet. Sane quando apud *Terentium* legitur, *Hilarem hunc sumamus diem*, non videtur significatui nostro esse locus. Neque in simili casu, quando Germani dicunt, laßt uns frölich seyn, idem obtinere videtur. Enimvero si cu-

Digitized by Google

ratius rem consideres, cum hic requirimus animæ statum, qualis esse solet ejus, qui ab omni tædio liberatus voluptate præsente fruitur: unde si quem minus hilarem videmus, cum seponere jubemus quæ tædia creant, quasi jam ab iis prorsus liberatus esset. Et qui hilares sunt, ea tenentur animi persuasione, quasi jam evanuerint omnia, quæ tædio esse possunt, consequenter omnia a nobis ablata fuerint mala. Non igitur prorsus à communi loquendi usu recedimus. Immo videtur vocabulum primo habuisse eum significatum, quem eidem tribuimus: deinde vero is ad casus similes extensus.

§. 858.

Fastidii definitio. **Tædium perceptum ex eo, ex quo ante voluptatem percipiebamus, dicitur *Fastidium*.**

Probe notandum est rem hic supponi prorsus eandem, ita ut nihil in ea imminutum. E. gr. Ponamus nos ex sapore cibi cujusdam voluptatem insignem percipere, atque adeo eundem capientes delectari. Quodsi jam accidat, ut sæpius repetito ejus usu sapor non amplius gratus sit, sed ingratus evadat, ut tædio ex ejus usu afficiamur: tædium hoc, quod percipimus dum is nobis offertur, est id, quod fastidium appellamus.

§. 859.

Quomodo fastidium oriatur. **Quoniam tædium ex eo percipimus, ex quo ante voluptatem perceperamus, si quod bonum videbatur idem postea malum deprehendatur (§. 558. 570); *Fastidium oritur, si, quod nobis tanquam bonum repræsentabamus, idem deinceps tanquam malum repræsentemus.* A posteriori idem confirmat exemplum, quod modo ad definitionem illustrandum in medium adduximus.**

Proximus ad fastidium gradus est, si quod nobis voluptatem creabat, nunc non amplius creet, consequenter si quod bonum judicaveramus nunc tale non amplius videtur: ipsum tamen fastidium nondum adest, siquidem per id affectum intelligis. Defectus enim voluptatis affectus non est. Enimvero si res ista proponitur ad appetendum, cum malum judices eam appetere; ex eo tædium percipis, quod eam appetere debeas (§. 570). Atque earenus ex re, quatenus ad appetendum proponitus, tædium capitur, ex qua antea voluptas percipiebatur. Tuncque fastidio locus est, etsi rem in se spectatam

Digitized by Google

ctatam non malam judices, nec bonam, adeoque indifferenter te ad eandem habeas, quamdiu eandem ad te minime refers. Per inconstantiam loquendi subinde fastidire dicimur, quod nihili facimus, cum antea in pretio nobis fuisset. Sed cum isto significatu vocabuli nobis in doctrina affectuum nihil est negotii.

§. 860.

Quoniam quæ sensibus grata sunt & iis mediantibus nobis voluptatem creant continuo usu tandem minus grata fiunt, vel prorsus ingrata, ut vel nullam amplius voluptatem, vel prorsus tædium creent; *Quæ sensibus grata sunt, eorum fastidium ipsa die*, seu *duratione excitatur*. *Fastidium eorum, quæ sensibus grata.*

Idem à posteriori confirmat exemplum paulo ante allatum (*not.* §. 858). Cibus enim, qui bene sapit, quando raro capitur, sæpius iterato ejus usu tandem fastiditur. Jam cibus ex eorum numero est, quæ sensibus grata sunt. Sola autem duratione excitatur ejus fastidium.

§. 861.

Definitio fastidii recepto vocabuli significatui conformis. Quod *Carteſius* vocabulum in eodem significatu accipiat, quem nos eidem tribuimus (§. 858), facile probatur. Quandoque enim, ait, duratio boni gignit satietatem, sive fastidium. Quoniam fastidium in numerum affectuum refert & quidem molestorum; cum tædio conjungi debet (§. 609). Quoniam itaque tædium percipere debemus ex bono ob solam durationem, ex bono autem voluptatem percipimus (§. 558); tædium juxta *Carteſium* ex eo percipimus, ex quo ante voluptatem percipiebamus, etsi id in se non fuerit mutatum, quando fastidium oritur. Id vero prorsus coincidit cum definitione nostra fastidii. Vulgo non attenditur, quod fastidium in numero affectuum sit, adeoque nobis sufficit tueri significatum, qui ab eo non abhorret, quem vocabulo tribuit *Carteſius*. *Definitio fastidii usui loquendi conformis.*

Affectum esse fastidium vel ex eo patet, quod extraordinarius sanguinis

guinis ac fluidorum reliquorum in corpore motus obſervetur, quando quid faſtidimus: id quod affectum arguere palam eſt (§. 611).

§. 862.

Ira definitio.

Ira eſt tædium inſigne ortum ex injuria nobis vel aliis illata, conjunctum cum odio ejus, qui eam intulit. *Carteſius* vocat *indignationem*, ſi injuria aliis illata fuerit.

Quodſi cui plurima exhibuimus beneficia ac is ingrato animo nos diffamat; Injuriam nobis ab eodem inferri nemo dubitat, tantoque major injuria habetur, quanto majora in eum à nobis profecta ſunt beneficia. Quodſi jam nobis narrantur calumniæ, quibus famæ noſtræ labem adſpergere conatur, ira exardeſcit animus. Quod vero ſit triſtitia quædam ſpecies odio aliisque affectibus permixta attendentibus patet. Odium enim prodit nocendi animus, qui ſeſe in iraſcentibus ſatis aperte manifeſtat. Triſtes nos eſſe ira deflagrante experimur.

§. 863.

Pudor quando iræ permiſceatur.

Si injuria ab altero nobis facta famam noſtram lædit, ſaltem opinione noſtra: pudor iræ permiſcetur. Etenim ſi injuriam ab altero factam nobis repræſentamus, ira naſcitur (§. 892); ſi eandem injuriam nobis repræſentamus tanquam famæ noſtræ adverſam, ex opinione cenſuræ aliorum, quam incurremus, pudor oritur (§. 779). Quamobrem ubi utrumque una eademque idea menti exhibetur; ira & pudor ſimul in anima cooriuntur atque adeo invicem permiſcentur, ut à ſe invicem non diſtinguantur, quamdiu uterque affectus ſimul durat.

Pudorem in eo caſu iræ permiſceri à poſteriori patet, ſi in rationem ejusdem inquirimus. Etenim tum deprehendemus, nos ideo iraſci, quod famæ noſtræ adverſum exiſtimamus factum alterius, quoniam cauſæ pudoris magis nobis conſcii ſumus quam cauſæ iræ, atque adeo illam cum hac confundimus.

Nimirum iræ cauſa eſt, quod alter fecit, quod nobis malum eſt. Malum vero judicatur ex eo, quod famam noſtram læſerit. Unde patet cum ratio rationis iræ ſit ratio pudoris, cur non ſemper iram comitetur pudor.

§. 894.

Digitized by Google

§. 864.

Si nobis repræſentamus injuriam ab altero nobis factam, nosque in cauſa eſſe exiſtimamus, quod eam nobis intulerit; pœnitentia iræ permiſcetur. Dum enim nobis repræſentamus injuriam ab altero nobis factam, ira exardeſcit animus (§. 862). Jam vero dum nos in cauſa eſſe exiſtimamus, quod eam nobis intulerit; eorum, quæ à nobis male facta ſunt, nobis conſcii ſumus (§. 565), conſequenter nos eorundem pœnitet (§. 759). Quoniam igitur ira & pœnitentia ſimul cooriuntur, iræ pœnitentia ut in caſu præcedente pudor permiſcetur. *Quando pœnitentia ira permiſceatur.*

Pœnitentiam permiſceri iræ ſatis nobis conſcii ſumus, ubi in rationem ejusdem attentionem noſtram convertimus, ſepoſita quaſi injuria nobis facta, cum affectus hic facillime dignoſcatur à ceteris omnibus atque per verba foras erumpat.

Facile apparet non repugnare ut pœnitentia atque pudor ſimul permiſceantur iræ, cum minime repugnet utriusque rationem ſimul poni (§. 863. 864).

§. 865.

Si per injuriam ab altero nobis factam damnum ingens nobis imminere videtur, quod ante non metueramus; iræ terror permiſcetur. Quodſi vero malum tantummodo videtur eventu poſſibile; metus eidem permiſcetur. Etenim quia ex injuriæ ab altero nobis factæ repræſentatione naſcitur ira (§. 862), ex opinione mali ex improviſo ingruentis terror (§. 819), ex opinione vero mali eventu poſſibilis metus (§ 822); ſi ex injuria ab altero nobis facta malum aliquod imminere opinamur, iræ permiſcetur metus, & ſi malum iſtud nobis jamjam prope eſſe arbitramur, idque præter omnem ſpem ac opinionem noſtram accidit, iræ terror permiſcetur. *Terror ac metus quando ira permiſceantur.*

A poſteriori confirmatur propoſitionis veritas eodem modo, quem in propoſitionibus anterioribus indicavimus, ubi ſcilicet inquirimus in rationes, cur nobis ab altero injuriam factam eſſe exiſtimemus. Etenim affectus ſocii iræ ex ratio-

Digitized by Google

nibus oriuntur, ob quas factum alterius pro injuria reputamus.

Supponimus injuriam ab altero nobis factam nobis prius innotescere quam rationem, & hanc demum ex facto alterius colligi, dum idem ad statum nostrum referimus, aut damnum ex facto alterius emergens una cum facto ejusdem ad notitiam nostram pervenire, ita ut ex damno judicemus factum alterius nobis esse malum. Enim si damnum nobis repræsentemus ab altero nobis datum, antequam constet quinam sit ejusdem causa. affectus iræ socius prægreditur iram & hæc demum subsequitur, ubi in autorem damni inquirentibus nobis innotescit facto alterius idem nobis fuisse datum.

§. 866.

Quando ira desperatio permiscetur.

Si malum per injuriam alterius nobis imminens nobis repræsentemus tanquam inevitabile, idque inprimis nobis quoque intolerabile videatur; iræ permiscetur desperatio. Quoniam enim desperatio nascitur ex opinione inevitabilitatis mali, presertim si accedat opinio intolerabilitatis (§. 825), ira vero ex opinione injuriæ ab altero nobis datæ (§. 862); si malum alterius injuria nobis imminens videatur inevitabile, immo simul intolerabile, desperatio iræ permisceri debet.

A posteriori confirmatur propositio eodem prorsus modo, quo precedentes confirmari monuimus.

Quodsi demonstrationes propositionum proxime præcedentium atque præsentis consideres; palam erit, eos affectus misceri iræ, qui excitantur damno alterius injuria nobis dato, cum ira excitetur ex eo, quod damnum istud alterius injuria nobis datum existimemus. Quamobrem si opiniones hominum de eo, quod sibi malum esse arbitrantur, nobis innotuere; haud difficulter intellgitur, quinam in dato casu affectus cum ira simul cooriantur.

§. 867.

Ira unde intendatur.

Quoniam plures affectus concurrentes appetitum vel adversationem vehementiorem reddere debent (§. 603); affectus vero vehementior est, si appetitus, vel aversatio efficitur vehementior (§. *cit.*); *ira vehementior evadit, prout plures, vel pauciores affectus majore, vel minore gradu eidem sociantur.*

Quodsi per propositiones præcedentes inquiramus, quinam affectus iræ

Digitized by Google

iræ fócientur; veritatem propoſitionis præſentis a poſteriori addiſcere licet.

§. 868.

Quoniam injuriam ab altero nobis factam æſtimamus ex damno, quod nobis intulit; damnum vero æſtimatur ex eo quod ſit malum reſpectu noſtri, vel ejus, cui injuriam factam arbitramur; *ira oritur ex opinione mali ex facto alterius nobis vel aliis emergentis* (§. 862). Atque in his conſiſtit definitio realis iræ. *Definitio ira realis.*

Si ira naſci debet ex opinione injuriæ aliis factæ, eam contrario affectu inpediri neceſſe non eſt. Juvatur autem amore ejus, cui fit injuria: juvaturquoque odio ac invidia quibus illum perſequimur, qui damnum alteri intulit.

§. 869.

Si injuriarum præteritarum memoria per præſentem nobis refricatur; levi ex cauſa vehementer iraſcimur. Etenim ſi injurias præteritas cum præſente ſimul nobis repræſentamus, ira non modo naſcitur ex præſente, ſed ex præteritis ſimul (§. 862). Quare cum perinde ſit ac ſi injuriæ omnes aliquando ab altero perpeſſæ nunc denum factæ eſſent; cauſa quidem præſens levis eſt, ſed omnis iræ cauſa levis non eſt. Quoniam tamen nos ad præſentem tantummodo attendimus atque ex ea ſola iram naſci arbitramur, vehemens ira naſci nobis videtur ex levi cauſa, & levis cauſa iram revera denuo ſuſcitat. *Vehemens ira ex levi cauſa.*

A poſteriori intelligere poteris veritatem propoſitionis ex eo, quod levi ex cauſa vehementer iraſcentes, ubi iisdem exprobraveris, quod ob rem adeo leviculam ad tantam iram ſe provocari patiantur, reſpondeant ſibi jam antea plures injurias fuiſſe ab eodem illatas, aut, ubi cauſam tantæ iræ ne generaliter quidem indicare voluerint, ſaltem regerant, ſe probe noſſe rationem, cur tam vehementer iraſcantur. In ſe autem unusquisque priſtinarum injuriarum memoriam facilius deprehendere valet, ubi re quadam levicula ad iram concitatur.

Non

Digitized by Google

Non jam mentionem injicere lubet injuriarum ab aliis nobis factarum & vi imaginationis cum iis, quas perpeſſi ſumus ab eo, qui jam ad iram nos concitat, confuſarum, cum iſtiusmodi confuſiones in omni affectuum genere obtineant atque eorundem vehementiam augeant.

§. 870.

Definitio iræ num uſui loquendi conformes.

Definitio iræ uſui loquendi ac recepto ſignificatui conformis. Ira res notiſſima eſt & omni affectu alio facillime diſtinguitur. Nemo igitur eſt, qui neſciat, quod iraſcamur, quando nos ab altero offenſos eſſe exiſtimamus, quodque ira tendat ad vindictam injuriæ illatæ. Ad vindictam tendimus, quatenus alteri nocere cupimus: quæ cupiditas cum ex odio proficiſcatur (§. 671), odium cum ira conjunctum eſſe agnoſcunt omnes. Injuriam ab altero illatam ægre ferimus & fœminæ ad vindictam inermes lachrymantur: quo ipſo patet, omnes agnoſcere, quod triſtitia perturbetur animus, quando iraſcimur. Nemo igitur alium affectum iram appellat, quam quem nos eodem nomine inſignivimus. Inprimis autem in rem noſtram loquitur *Gaſſendus* ut noſtra ex eodem deſumſiſſe videriqueamus, etſi dudum in Metaphyſica Germanica eadem tradiderimus, antequam Operum *Gaſſendi* copia nobis facta fuiſſet, quæ paucos demum ante annos in manus noſtras pervenere & nunc quidem, dum hæc ſcribimus, primum evolvimus: quæ ideo monemus, ut ex conſenſu judicetur modum, quo venamur notiones rerum, non aberrare à veritate ac detegere, quæ ex aliis difficilius addiſci poterunt, quod ob verborum ubertatem ſæpius ſuperflua admiſceantur & ob eorundem vagum ſignificatum determinationes genuinæ non tanta facilitate perſpiciantur, qua jam aliunde notæ ex iisdem agnoſcuntur. Ita autem *Gaſſendus* loc. cit. c. 7. f. 500. Iratus, inquit, & moleſte fert averſaturque acceptam injuriam, & illius cauſam autoremve odit, & ulciſci, ſeu nocumentum viciſſim infligere cupit, & nocere efficereque, ut autorem pœniteat, ſperat, & ad

ad nocendum audenter prorumpit, & non fine quadam voluptate ulciſcitur ac nocet. Ex quo proinde efficitur, ut ira non tam ſimplex affectus, quam cincinnus quidam affectuum ſit, ac definiri poſſit affectus, quo anima præ dolore ob injuriam accipi viſam ac odio in illius autorem concepto pectoreque incaleſcente ad ulciſcendum concitatur, ut autorem facti pœniteat, neque tale quid amplius patret. Quoniam *Gaſſendus* monet iratum moleſte ferre injuriam ab altero factam, ac animæ dolorem ob eandem tribuit, moleſtia vero ab ipſo dicitur, quod nobis tædium vocatur, moleſtiaque ingens doloris nomine eidem venit, quemadmodum ex ejus tractatione de affectibus clariſſime liquet; ad iram tædium inſigne requirit ex injuriæ nobis illatæ opinione ortum: cum quo quod odium conſtanter conjungatur, diſerte monet. Eum igitur affectum iræ nomine inſignit, cui nos id nominis tribuimus (§. 862). Agnoſcit etiam affectus complures alios ſimul oriri & coortos cum eodem in unum confundi, quemadmodum à nobis demonſtratum eſt (§. 863. & ſeqq.). Cetera quæ definitioni admiſcet, vel ſtatum corporis concernunt, qui eſt iraſcentis, vel actiones ex odio in alterum profectæ ſunt, quibus injuriam nobis factam vindicare ſtudemus: de quibus ſuo loco nobis dicendum erit in Moralibus, utpote à definitione iræ alienis. *Carteſius* breviter loc. cit. Artic. 65. Malum ab aliis, inquit, patratum, cum ad nos non refertur, efficit ſolum ut illis indignemur; ſed cum refertur ad nos, movet etiam iram: id quod cum noſtra definitione iræ reali ſatis conſpirat (§. 868), ſi a differentia inter iram & indignationem diſceſſeris, quam hic non attendendam eſſe ipſa experientia docet. Etenim ex verbis *Carteſii* non aliud colligi poteſt, quam quod indignatio affectus lenior videatur, quam ira, ita tamen, ut ſub ira comprehendatur. An vero ira tantummodo gradu differat ex ipſius mente ab indignatione, an indignationi aliquid ſuperaddat, non ſatis liquet. Poſterius tamen proba-

bilius videtur ex adjecta vocula *etiam*. Quicquid ſit, experientia ſatis loquitur, ſubinde nos iraſci ob injuriam aliis factam eodem prorſus modo, ac ſi ea nobis facta fuiſſet, ut adeo ad aliquos ſaltem caſus reſpexiſſe videatur *Carteſius*, in quibus differentia iſta erat ex accidente.

§. 871.

Cupiditas vindictæ quid ſit.

Per *Cupiditatem vindictæ* intelligimus cupiditatem mali alterius, propterea quod ipſum conſideramus tanquam cauſam mali nobis præſentis.

E. gr. Mevius propalavit conſilia Titii, quorum ipſum participem fecerat, atque propoſitum ejus irritum fecit. Titius adeo conſilium nocendi Mevio capit, ex damno ejus gaudio afficiendus. Cupit igitur malum Mevii, propterea quod is cauſa mali ipſi præſentis. Atque ea vindictæ cupiditas eſt.

§. 872.

Ira cum cupiditate vindictæ nexus.

Ira cum vindictæ cupiditate conjungitur. Conjungitur enim cum odio ejus, qui injuriam nobis fecit, ſeu mali nobis præſentis cauſa eſt (§. 862), adeoque iratus ex tædio ejus, cui iraſcitur, voluptatem percipit, & ideo gaudet quod is triſtitia afficiatur (§. 664). Quoniam itaque malum ipſius bonum ſibi exiſtimat (§. 613), immo propter odii vehementiam (§. 862) valde bonum opinatur; malum ejus, cui iraſcitur, ideo cupit, quod eum tanquam cauſam mali ſibi præſentis conſiderat. Cum ira itaque cupiditas vindictæ conjungitur.

A poſteriori ſatis manifeſtum eſt, cum ira arcto admodum vinculo connexam eſſe vindictæ cupiditatem. Audias enim iratos neſcio quibus diris devovere eum, cui iraſcuntur, immo ubi præſens fuerit, ad eundem verbis, vel factis lædendum eosdem impelli videas. Cupiditas vindictæ in irato adeo manifeſta eſt, ut eam ideo iræ definitionem ingredi fecerit *Gaſſendus*, non attendens ad id, quod vindictæ cupiditas ex odio fluat, ex eo orto, quod nobis diſpliceat factum alterius, quia in nos injurioſum, ſeu quod factum alterius nobis repræ-

Digitized by Google

repræsentemus tanquam malum respectu nostri (§. 677).

Multa ex cupiditate vindictæ fluunt, quæ in irato observantur. Spirat eam vultus & gestus: tendunt ad eandem verba & facta.

§. 873.

Si tædium quidem percipimus ex injuria nobis ab altero illata, a vindictæ tamen cupidine alienum habemus animum, *Indignatio* oritur. Germani vocant böse ſeyn. Atque adeo patet *iram ab indignatione cupiditate vindictæ differre.* *Indignatio quomodo differat a tædio.*

Videtur ad hanc differentiam respexisse *Cartesius*, dum indignationem ab ira distinxit. Sed quoniam vindictæ cupiditas ut plurimum abesse solet, ubi consideramus injuriam aliis ab altero, non nobis illatam; ideo ad istiusmodi casus animum advertens sibi persuasit indignationem constanter oriri, ubi nobis repræsentamus injuriam aliis, non nobis ab altero factam.

§. 874.

Si alterum amamus, ei irascimur, qui ipsi injuriam intulit. Etenim si alterum amamus, eum consideramus tanquam nos ipsos (§. 659), consequenter quæ ipsi infertur injuria, ea nobis illata putatur. Eni mvero ira nascitur ex injuria nobis illata (§ 862). Ergo etiam nasci debet ex injuria ei, quem amamus, illata. *Quando alteri injuriam inferenti irascimur.*

A posteriori propositionis veritas confirmatur ex eo, quod irascamur ei, qui amico nostro injuriam fecit, ac de causa iræ quæsiti, vel prorsus censuram aliorum incurrentes, quod irascamur ei, a quo offensi non simus, respondeamus, nos adeo ægre ferre injuriam alteri illatam, ac si nobismet ipsis illata fuisset. Iram in hoc casu non differre ab ea, ad quam injuria nobis facta concitamur, ex perientia loquitur. Adesse vindictæ cupiditatem, verba & facta loquuntur.

Ecce tibi casum unum, ad quem *Cartesius* non respexit indignationis causam investigaturus.

§. 875.

Si alterum odio prosequimur, ei irascimur ob injuriam aliis factam. Etenim si eum odio prosequimur, tædia ejus *Ira ex injuria in alios casus alius.*

(*§.669*), conſequenter malum ipſius appetimus (§.613). Quare cum perpendentes injuriam aliis ab ipſo factam ex ea tædium percipiamus *ex hypoth.* quoniam ſupponimus ex opinione injuriæ aliis factæ oriri affectum, odium renovatur (*§.677*). In præſente adeo caſu cum tædio ex injuria aliis ab altero illata orto jungitur odium *per demonſtrata*, adeoque ira oritur ex eo, quod odio proſequimur illum, qui injuriam alteri fecit (§. 862).

A poſteriori iram in animo noſtro exardeſcentem obſervamus, quando narratur eum, quem odio proſequimur, injuriam feciſſe aliis, modo hos non itidem oderimus: quæ determinatio ex hypotheſi propoſitionis præſentis exulat, adeoque ei tacite ſuperaddi minime debet. Eandem obſervamus in aliis tanquam ad caſum præſentem pertinentem, quando iram excuſaturus hanc affert rationem, quod is, cui iraſcitur, dignus ſit odio, & cauſas odii promeriti recenſet.

Ecce tibi caſum adhuc alium, ad quem *Carteſius* animum non advertit differentiam iræ ab indignatione traditurus in definitionibus cauſalibus. Facile aurem caſus quidam attentionem noſtram ſubterfugiunt, quando eos non præſentes ſiſtit memoria, propterea quod eos non adeo ſæpe fuimus experti, ſicuti ceteros. Abſit igitur ut quis carpendi animo proferri exiſtimet, quæ animo tuendi noſtra proferri amor veritatis ſuadet!

§. 876.

Caſus alius, in quo ira vehemens.

Quoniam ira excandeſcit animus, ſi eum amamus, cui injuria infertur (§.874), vel ſi eum odio proſequimur, qui alteri injuriam infert (§.875); *Multo magis animus ira exardeſcere debet, ſi eum amamus, cui injuria fit ab altero; alterum vero, qui injuriam infert, odio proſequimur.*

Fieri poteſt ut in hoc caſu ira ſit major, quam quando aliis ob injuriam nobis factam iraſcimur. Vehementia enim iræ in caſu priori a magnitudine amotis, odii ac injuriæ illatæ; in poſteriori a magnitudine illatæ injuriæ pendet ſola, niſi affectus ſocii alii concurrant (§.863. *& ſeqq.*), vel ex accidente intendatur ira (§.867).

§. 877.

Digitized by Google

§. 877.

Si eum amamus, qui nobis, vel aliis injuriam facit, ei non irascimur, sed tantummodo indignamur; immo subinde ne quidem indignamur. Si enim perpendimus injuriam nobis vel aliis factam, alterum consideramus tanquam causam mali nobis præsentis, adeoque malum existimamus, quod id fecerit alter (§. 565), consequenter tædium ex eo percipimus, quod id fecerit (§. 613). Et quia eum, qui injuriam intulit, amamus *per hypoth.* ex ejus tædio, consequenter ex eo, quod ipsi malum est (§. 613), ipsimet tædium percipimus (§. 641). Impossibile igitur est ut idem nobis repræsentemus tanquam valde bonum (§. 612. *Psychol.* & §. 28. *Ontol.*), consequenter ut idem cupiamus (§. 805). Quoniam itaque a tædio ex injuria illata percepto abest cupiditas vindictæ (§. 871); ei qui injuriam intulit tantummodo indignamur (§. 873). *Quando tantummodo indignemur, immo ne quidem indignemur.*

A posteriori idem confirmant exempla parentum liberos impense amantium, qui iis tantummodo indignantur, quando lædunt, vel injuria afficiunt alios; nequaquam vero vindictæ cupiditate in iram abripiuntur. Similiter huc spectant offensæ amicorum, quos insigniter amamus, nos tantummodo ad indignationem provocantes, non vero ad iram, ut adeo vindictæ cupiditate vacuum habentes animum facile in gratiam cum iis redeamus ac illatam nobis injuriam ipsis condonemus.

Atque ita patet indignationi locum esse non modo in casu injuriarum aliis illatarum, sed etiam in casu injuriarum nobis factarum. Quoniam ab indignatione abest vindictæ cupiditas, quæ cum ira conjungitur (§. 872); illa in querelis, hæc in convitiis ac minis terminari solet, nisi affectus alii intervenerint. Quicquid sit, querelarum tamen in casu priore, convitiorum ac minarum in posteriore semper supererit vestigium aliquod.

§. 878.

Cum indignatione odium quidem oritur, sed ferus non capit, *Odium in indignatio-*

ne quomodo se habeat.

pit, quin ſtatim potius extinguitur. Etenim indignantes alteri tædium percipimus ex injuria nobis, vel aliis illata (§. 873). Quare cum nobis factum alterius diſpliceat (§. 541), odium adverſus eum oritur (§. 677). Quoniam tamen ab indignatione abeſt vindictæ cupiditas (§. 873), adeoque indignatus alteri quod malum eſt lædenti minime cupit (§. 871); ex eo, quod malum eſt lædenti, conſequenter quod eidem tædium creat (§. 613), voluptatem minime percipit (§. 805). Quamobrem cum voluptas iſta ex odio fluat (§. 664); odium vires non capit, ſed ſtatim extinguitur.

Hinc obſervare licet a poſteriori, quod indignantibus quidem ſuboriatur ſubinde impetus quidam ad vindictam, ſed qui ſtatim rurſus ſupprimitur. Audias etiam indignantes in hæc prorumpere verba: Eum, cui indignantur, dignum eſſe hoc, vel iſto malo ob injuriam ſibi, vel aliis illatam; non tamen ipſi mala imprecari, quemadmodum a vindictæ cupidis fieri ſolet. Atque inde ſatis perſpicitur adeſſe odium, ſed ſtatim reprimi.

§. 879.

Quando in indignatione odium prædominetur.

Quodſi tædium ex injuria ab altero illata perceptum fuerit exiguum, odium in indignatione prædominatur, etſi vires non capiat. Quando enim tædium ex injuria illata ab altero perceptum fuerit exiguum, odii magis conſcii ſumus, quod cum indignatione oritur, quam tædii ex injuria percepti, adeoque odium prædominatur. Sed cum in indignatione vires capere non poſſit, ut ſcilicet ad vindictæ cupiditatem procedat (§. 887); hoc non obſtante quod vires non capiat prædominatur.

A poſteriori confirmatur propoſitionis veritas, quando obſervamus, quod ſe ab aliis offenſos intelligentes conquerantur quidem de injuria ſibi facta & dignum alterum, qui injuriam intulit, hoc vel iſto malo pronunciant & contra negan-

Digitized by Google

gantes defendunt, sine ulla tamen sensibili animi commotione.

Ex hactenus demonstratis intelligitur, quanta circumspectione opus sit, ne de ira & indignatione judicaturi judicium præcipitemus: id quod in omni affectuum negotio opus esse intelligitur, si traditam a nobis theoriam attente meditari libet.

SECTIO II.

DE FACULTATIS APPETENDI PARTE SUPERIORI ET COMMERERCIO MENTIS CUM CORPORE.

CAPUT I.

De Voluntate ac Noluntate.

§. 880.

Appetitus rationalis dicitur, qui oritur ex distincta boni repræsentatione. Unde independenter ab appetitu in genere definiri potest, quod sit inclinatio animæ ad objectum pro ratione boni, quod in eo inesse distincte cognoscimus, vel nobis cognoscere videmur. Dicitur autem appetitus rationalis *Voluntas*. *Appetitus rationalis seu Voluntatis definitio.*

E. gr. Ponamus Titium in biblopolio reperire librum, dumque illum evolvit in eo deprehendere, quæ cognitu sibi utilia existimat. Librum igitur istum bonum judicat hoc nixus raticinio: Ex libro isto quæ mihi utilia sunt cognoscere valeo. Liber, ex quo utilia cognoscere valeo, bonus est. Ergo liber iste bonus est. Dum igitur librum istum appetit; appetitus oritur ex distincta boni notione, quatenus nempe bonum judicatur, quod auget

get cognitionem nobis utilem, v. gr. Si quis Mathematicus fuerit, mathematicam; Si Physirus, physicam; si Theologus, theologicam. Est igitur appetitus iste rationalis, quatenus ratio, cur librum appetamus, distincte indigitare valemus. Et dum librum istum appetimus, eundem velle dicimur. Et quando eundem emere decernimus; eum emere velle dicimur.

§. 881.

Aversationis rationalis seu Noluntatis definitio.

Aversatio rationalis est, quæ oritur ex distincta mali repræsentatione. Unde independenter ab aversatione in genere definitur, quod sit reclinatio animæ ab objecto pro ratione mali, quod in eo distincte nobis cognoscere videmur. Dicetur a nobis *Noluntas*.

E. gr. Ponamus Meviam in bibliopolio reperire librum, dumque illum evolvit in eo deprehendere plurima absurda atque erronea, ut inde colligat autorem scripsisse de rebus sibi nondum intellectis. Librum igitur istum, qui ad animum nonnisi erroribus ac absurdis opinionibus replendum aptus videtur, malum judicat hoc nixus ratiocinio: Ex libro hoc legentis animus nonnisi erroribns ac absurdis opinionibus repletur. Liber, qui animum nonnisi erroribus atque absurdis opinionibus replet, malus est. Ergo liber iste malus est. Dum igitur librum istum aversatur, aversatio ista nascitur ex distincta mali notione, quatenus scilicet ratio distincte allegari potest, cur librum averseris. Est adeo aversatio rationalis & dum eum ex hac ratione aversamur, eum nolle dicimur. Et quando nos nullis rationibus eo adduci patimur, ut librum emamus; librum emere nolle dicimur.

§. 882.

Volitio & nolitio quid dicatur.

Ipse actus volendi dicitur *Volitio* in oppositione ad Voluntatem, quando ea facultatem animæ denotat, seu potentiam, aut possibilitatem actum istum eliciendi. Et similiter actus ipse nolendi vocatur *Nolitio*, in oppositione ad Noluntatem, quando ea facultatem animæ denotat eliciendi actum istum, quem nolitionem appellamus.

Ita actus appetitus in singulari, quo is fertur in librum, dicitur volitio: actus vero aversationis in singulari, quo anima a libro quasi

Digitized by Google

quasi retrahitur, vocatur nolitio. Differentia inter voluntatem & volitionem, noluntatem & nolitionem in Psychologia rationali clarius eluceſcet. Non movemur, quod per inconſtantiam loquendi actus etiam volendi dicatur voluntas & actus nolitionis non voluntas aut, ſi mavis, Noluntas: nos enim fixum tuemur ſignificatum a vago abhorrentes, ubi præſertim nulla adeſt ratio, quæ nobis neceſſitatem imponit ab eadem recedendi, cum ſuppetant vocabula, ut proprio unumquodque nomine efferri poſſit.

§. 883.

Omiſſio volitionis eſt indifferentia ad volendum & nolendum. Volitionis ſcilicet actus nullus adeſſe dicitur, ſeu anima objectum quoddam non velle dicitur, quando idem nec velle, nec nolle dici poteſt. *Omiſſio volitionis quid ſit.*

E. gr. In exemplo ante dato anima nec librum velle, nec nolle dicitur ſi eodem evoluto appetitus prorſus non movetur, cum nec bonum, nec malum eundem judicet.

§. 884.

Nolitio non eſt nuda volitionis omiſſio. Etenim ſi volitio tantummodo omittitur, nec dici poteſt, quod anima quid velit, nec etiam dici poteſt, quod ea idem nolit. (§. 883). Quamobrem cum non ſufficiat ad nolendum, ut quid non velle dici queamus, ſed aliquid amplius requiratur, conſequenter quid poſitivi accedere debeat ad privationem (§. 881); nolitio non eſt nuda volitionis omiſſio. *Nolitio num differat ab omiſſione volitionis.*

§. 885.

Quamobrem cum ad omiſſionem volitionis ſufficiat, ut abſit ratio volendi (§. 118. *Ontol.*); *Si quid nolle debemus, peculiaris ratio nolendi adeſſe debet.* *Cur nolitio poſtulet rationem peculiarem.*

Ita in caſu dato deeſt volitio libri, ſi eum non judicamus bonum quoad nos, atque adeo nulla peculiaris requiritur ratio, cur idem non velimus. Aſt cum nondum adſit nolitionis actus, ejus adhuc ratio ſuperaccedat neceſſe eſt, veluti quod liber erroribus ac abſurdis opinionibus plenus ſit. Nimirum ſi bibliopolium ingrederis librumque evoluis; tres utique ſtatus in

Digitized by Google

mente distingvis, quos diversos esse nemo non agnoscit. Aut enim placet, aut displicet, aut nec placet, nec displicet liber. Unde alius est casus, quo eum habere vis; alius, quo eum habere non vis, seu aversaris; alius denique, quo eum nec appetis, nec aversaris, cessante & volitione, & nolitione. E. gr. placet Mathematico liber a Geometra primi ordinis conscriptus, in quo continentur nova de curvis inventa novaque artificia analytica, quibus in eorum proprietatibus investigandis usus. Displicet liber, in quo autor quadraturam circuli daturus impingit in prima elementa ac se probat rudem prorsus & hospitem in omni Matheſi. Nec placet, nec displicet liber a Icto conscriptus, de quo judicare nequit, utrum sit bene, an male conscriptus. Quodsi jam libros istos ad se refert, in primo casu cognoscit eum sibi fore proficuum, quatenus scientiam ex eo augere potest suam; in secundo intelligit, eum sibi creare tædium, quod indignetur homini audenti aggredi, quæ vires suas longe superant, in tertio denique indifferenter sese habet ad librum, eumque sibi nullius utilitatis esse agnoscit. In casu primo librum appetit, nascente volitione ex ratione singulari; in secundo eundem aversatur, nascente nolitione ex ratione non minnus singulari; in tertio denique eum nec appetit, nec aversatur, cum deficiat tam ratio ad appetendum, quam ad aversandum, & anima prorsus non movetur. Quodsi tamen quis tibi dixerit esse librum rariſſimum, quem diu fruſtra quæsiverit Mevius & cui donum magis acceptum offerre non possis libro isto; amore amici impulsus eum appetis, quatenus tibi habetur medium creandi eidem voluptatem. Accedit adeo ratio singularis, ut eum appetas. Quodsi jam appetentem admoneat Titius, non esse hunc ipsum librum, quem Mevius appetit, sed alium ab hoc prorsus diversum, etsi agnatum habeat titulum. Hunc, quem vides, nihil continere singulare, sed trivialia tantummodo plurimosque errores. Mutato de libro judicio appetitus degenerat in aversationem: sed singularem hic requiri rationem, ut

ut id fiat, clariſſimum eſt. Patet igitur volitionem omitti ob rationem deficientem, nolitionem demum naſci ex ratione quadam poſitiva.

Non piget hæc uberius illuſtrare, propterea quod maximi momenti eſt actum nolitionis ab omiſſione voluntatis diſtinguere. Excitanda igitur fuit attentio lectoris, ut acumine uſus diſcernat caſum indifferentiæ, in quo & volitio, & nolitio ceſſat, ab eo, in quo actus nolitionis ac volitionis naſcitur. Etenim omnis praxis philoſophiæ moralis in eo conſiſtit, ut ex ſtatu indifferentiæ animam transferamus ad appetendum, vel averſandum.

§. 886.

Qui terminos voluntatis, nolitionis, volitionis, nolitionis in fixo ac determinato ſignificatu ſumunt; non alium iisdem tribuunt quam nos iisdem tribuimus. Equidem non ignoro vulgo ſub voluntate comprehendi & actum volitionis, & nolitionis, ut explicante *Goclenio* in Lexico voluntas dicatur propenſio quædam ad bonum intellectum, hoc eſt, quod intellectu conceptum eſt, proſequendum, & malum fugiendum, immo adeo late ut ipſum etiam appetitum ac averſationem ſenſitivam ſubinde ſub ſe complectatur; idem tamen obſervat jam olim Stoicos, qui accuratius diſtinxerunt inter ſe minime confundenda & quos ſecutus *Cicero* eſt, voluntatem non accepiſſe niſi ſenſu ſtrictiori pro appetitu rationali boni. Ita enim ex *Cicerone* loc. cit. *Goclenius*: ſi ſimul, inquit, objecta ſpecies cujus piam eſt, quod bonum videatur, ad id adipiſcendum impellit ipſa natura: id cum conſtanter, prudenterque fit, ejusmodi appetitionem Stoici βουλησιν appellant, nos appellamus voluntatem, quam illi putant in ſolo ſapiente eſſe, quam ſic definiunt: voluntas eſt, quæ quid cum ratione deſiderat, Ab ea differt libido. Nam voluntas, quæ adverſus rationem incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrenata. Videntur quidem Stoici non admiſiſſe voluntatem niſi in eo caſu, quo judicium de eo, quod bonum eſt, rationi convenit, nec a veritate abhorret. Enimvero cum intellectus hominis ſit errori obnoxius & ab eo commiſſus

Num termini hactenus explicati ſint recepta ſignificatui conformes.

missus error serpat in voluntatem ; fieri non potest ut appetitum ab intellectu procedentem voluntatis nomine dignari nolimus, ubi vel in principio, vel in ejus applicatione fallimur, intentione bona. Sufficit adeo appetitum distingui in sensitivum & rationalem, prouti vel ex confusa idea, vel distincta notione procedit, non attento discrimine, utrum quis bona intentione salva fallatur, an ab errore sit immunis: id quod inprimis observandum est, ne incertus nobis evadat vocabuli in casibus specialibus usus. Ceterum ipse *Goclenius* mox terminos volitionis ac nolitionis explicat prorsus in rem nostram. Volitio hominis, inquit, est appetitio rationalis boni cogniti, orta ab illius approbatione. Nolitio est aversio rationalis mali cogniti orta ab illius improbatione. Subjicit idem voluntatem valde improprie accipi, cum tribuitur appetitui brutorum: proprie enim voluntatem esse ἐν τῷ λογικῷ, seu in ente rationali, in brutis non esse. Quodsi ergo voluntas tribui nequit nisi ei, qui ex ratione agit ; ab appetitu sensitivo distingui nequit, nisi quatenus vi principii distincte cognoscimus id esse bonum, quod appetimus, atque adeo appetitus rationalis nasci debet ex distincta boni cognitione, quemadmodum nos definivimus. Immo idem *Goclenius* in voce Appetitus, ubi rationalem a sensitivo distinguit, hanc differentiam urget, quod rationalis necessario præsupponat judicium intellectus. Atque ita abunde liquet, si singula, quæ in anima circa appetitum diversa notantur, accurate a se invicem discernere volueris, & terminos ea fini in philosophiam introductos ad fixum ac constantem significatum reducere decreveris ; definitiones non invito usu loquendi, quem jam dum placuisse philosophis palam est, aliter condi non posse, quam a nobis conditæ fuerunt. Non opus est, ut plura philosophorum testimonia ad confirmandum propositionem præsentem in medium adducantur. Hospes enim sit in philosophia, qui sibi per-

perſuaſerit novos a nobis terminorum in philoſophia obviorum ſignificatus cudi.

§. 887.

Ratio ſufficiens actuum volitionis ac nolitionis dicitur *Motivum*. *Motivum quid dicatur.*

Ita in exemplo propoſito Motivum volendi erat augmentum ſcientiæ lectione libri promovendum; motivum vero nolendi metus ab erroribus ac abſurdis opinionibus, quibus oppleri poterat animus legentis.

§. 888.

Quoniam ex ratione intelligimus, cur quid potius ſit, quam non ſit (§. 56. *Ontolog.*), rationes ſufficientes vero actuum volitionis ac nolitionis motiva ſint (§. 887), *ex motivis volendi intelligimus, cur quid potius velimus, quam non velimus; ex motivis nolendi vero perſpicimus, cur quid potius nolimus, quam non nolimus.* *Uſus motivorum.*

Ita ex eo, quod quis à lectione libri expectat incrementum ſcientiæ, intelligimus cur librum emere velimus. Conſtat vero illam expectationem eſſe motivum volitionis (*not.* §. 887). Similiter ex eo, quod quis ſibi metuit ab erroribus ac abſurdis opinionibus, intelligitur, cur librum emere nolit. Conſtat vero denuo metum iſtum eſſe motivum nolitionis (*not.* §. *cit.*).

§. 889.

Sine motivis nulla datur in anima volitio, nulla nolitio. Sunt enim motiva rationes ſufficientes actuum volitionis ac nolitionis (§. 887). Enimvero ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit, nil datur (§. 70. *Ontol.*), adeoque ſine ea nec datur actus volitionis, nec nolitionis in anima. Ergo nec ſine motivis ullus datur in anima volitionis actus, nec ullus in eadem datur actus nolitionis. *Motivorum neceſſitas.*

A poſteriori veritas propoſitionis ſatis ſuperque liquet, ideo a philoſophis omni ævo agnita. Neque enim ullum in medium afferri poteſt exemplum, quo oſtenditur, nos quic-

Digitized by Google

quam vel voluiſſe; vel noluiſſe ſine motivo, modo acutus ſis in obſervandis motivis, atque in iis agnoſcendis. Qui affirmant tale quid fieri poſſe, nullum huc usque exemplum in medium afferre potuerunt; ſed gratis aſſeruerunt.

Ne autem in agnoſcendis motivis hæreas in caſibus ſpecialibus, iis præſertim, ubi ægre agnoſcuntur; motiva paulo penitius inſpicienda ſunt, ut conſtet, quid eorum loco eſſe poſſit.

§. 890.

Motiva in quo conſiſtant.

Motiva ſunt repræſentatio boni ac mali diſtincta, nempe repræſentatio boni volitionis; repræſentatio mali nolitionis. Sunt enim rationes ſufficientes actuum volitionis ac nolitionis (*§.* 887). Enimvero repræſentatio boni eſt ratio ſufficiens appetitus, repræſentatio mali ratio ſufficiens averſationis in genere (*§.* 586). Quare cum appetitus & averſatio rationalis ab appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva nonniſi in eo differant, quod rationalis ex notitionibus diſtinctis naſcatur, appetitus vero ſenſitivus & averſatio ſenſitiva ex idea confuſa ortum trahant (§. 880. 881. 580. 582); motiva eſſe nequeunt niſi repræſentatio boni ac mali diſtincta, illa nempe volitionis, hæc nolitionis.

A poſteriori idem patet, modo ad volitiones ac nolitiones animum advertas. Sane dum librum tibi repræſentas tanquam ad ſcientiam augendam utilem, eum tibi repræſentas tanquam bonum, & quidem quoad te (§. 554). Quare cum librum ideo habere velis, quod iſtam utilitatem tibi repræſentes; ratio ſufficiens volitionis (*§.* 56. *Ontol.*), conſequenter motivum eſt repræſentatio boni (§. 887) & quidem, cum notionem boni diſtinctam hic habeas, ex qua librum bonum eſſe judicas, (§. 880) repræſentatio boni diſtincta. Eodem modo idem patet in caſu nolitionis. Sane dum librum tibi repræſentas tanquam eum, unde animus erroribus ac abſurdis opinionibus repleri poſſit, eum tibi repræſentas tanquam malum quoad te (§. 565). Quare cum librum ideo habere nolis, quod librum talem tibi repræſentes, ratio ſufficiens

Digitized by Google

ens nolitionis (§. 56. *Ontol.*), consequenter motivum est repræsentatio mali (§. 887), & quidem cum distincta notione utaris ad judicandum, librum esse malum, mali repræsentatio distincta.

Qui motiva volitionum ac nolitionum cognoscere studet, is ad omnes suas volitiones ac nolitiones attendere debet & in rationes inquirat opus est, cur quid velit, vel nolit: ita enim motiva sibi familiaria cognoscet. Quodsi præterea ea ad notiones generales revocaverit usus notionibus boni ac mali in genere (§. 554. 565) tanquam directricibus; is plurimum proficiet in cognitione sui: id quod alio loco uberius explicandum hic monemus, ut sit stimulus ad studium in ista inquisitione collocandum.

§. 891.

Quam primum nobis distincte aliquid repræsentamus tanquam bonum, quoad nos: idem volumus. Quam primum enim quid nobis repræsentamus tanquam bonum, nempe quoad nos, idem appetimus (§. 889). Quamobrem cum ad volitionem requiratur distincta objecti, quod appetimus, cognitio (§. 880); quam primum distincte cognoscimus aliquid esse bonum, seu idem nobis tanquam bonum quoad nos repræsentamus, idem volumus. *Quomodo volitiones nascantur.*

Patet idem a posteriori per exempla eunti. Et prodest exemplum, quo huc usque usi sumus ad anteriora illustrandum.

§. 892.

Quoties quid volumus, id nobis repræsentamus tanquam bonum; quoties vero quid nolumus, id nobis repræsentamus tanquam malum. Si enim motiva nulla dantur in anima, eadem nec vult, nec non vult (§. 889). Quamobrem si vult quidpiam, motivum volendi detur necesse est: si quidpiam non vult, seu ex ratione aversatur, motivum nolendi adsit necesse est. Motivum vero volendi est repræsentatio boni distincta; motivum nolendi vero distincta mali repræsentatio (§. 890). *Objectum voluntatis & noluntatis.*

Ergo

Digitized by Google

Ergo si quid volumus, necesse est ut id nobis repræsentemus tanquam bonum; si quid nolumus, opus est ut idem nobis tanquam malum repræsentemus.

A posteriori patet veritas asserti ex eo, quod nemo hactenus unicum allegare potuit exemplum, ubi aliquid voluerimus, quod nobis non repræsentassemus tanquam bonum quoad nos; vel aliquid noluerimus, quod nobis non repræsentassemus tanquam malum quoad nos. Equidem non nego afferri exempla, in quibus motiva adeo latent, ut ignorentur ab iis, qui ad ea provocant, immo ne quidem agnoscantur, ubi ab acutioribus in apricum protrahuntur, præsertim si negandi pertinacia occœcaverit animum: enimvero quis non videt quod toto cœlo differat demonstrare, quod nullum prorsus motivum adsit, seu quod nobis idem non repræsentemus tanquam bonum, quod volumus, aut, si mavis, quod appetimus, & confiteri quod ignoremus, vel nobis conscii minime simus, quale jam adsit motivum, cur hoc velimus, vel appetamus, aut nos motivo isto impulsos hoc appetere, quod insufficiens videtur. Demonstrationem postulamus, non nudam ignorantiæ, aut dubitationis confessionem.

Si quis controversias de propositione præsente motas consulere libuerit, is omnino animadvertet confessionem ignorantiæ aut dubitationis loco demonstrationis obtrudi ab iis, qui propositionem præsentem impugnant: immo plerique sibi persuadent confessionem istam sufficere ad propositionis falsitatem ostendendam, cum quid sit demonstratio ignorent, dum prorsus idea destituti, qualem analysis demonstrationum alibi (§. 551. & seqq. *Log.*) data animo ingenerat. Sed nemo qui acumine pollet ignorantiæ & dubitationis confessionem pro demonstratione sibi obtrudi patitur, quod non patiuntur nisi qui hebetioris sunt ingenii, ut illam ab hac discernere non possint. Nostrum vero est juvare acumen eorum, qui objectionum frivolarum nulliratem perspicere debent: quamobrem in expendendis motivis progredimur.

§. 893.

Digitized by Google

§. 893.

Si ſenſitivus fuerit appetitus, quoties quid appetimus, id nobis tanquam bonum repræſentamus: ſi averſatio fuerit ſenſitiva, quoties quid averſamur, id nobis tanquam malum repræſentamus. Si nulla datur ratio appetitionis, vel averſionis, ſeu actus appetitus ſenſitivi, vel averſationis ſenſitivæ, nulla quoque in anima datur appetitio, nulla averſio, ſeu nihil actu appetimus, vel averſamur (§. 70. *Ontol.*). Quamobrem ſi quid appetimus, ratio ſufficiens appetitionis; ſi quid averſemur, averſionis adeſſe debet. Ratio vero ſufficiens appetitionis eſt repræſentatio boni; averſionis ratio ſufficiens mali repræſentatio eſt (§. 586). Ergo ſi appetitus fuerit ſenſitivus, quoties appetimus quid, id nobis repræſentamus tanquam bonum. Si averſatio fuerit ſenſitiva, quoties quid averſamur, id nobis repræſentamus tanquam malum. *Objectum appetitus ſenſitivi & averſationis.*

A poſteriori veritas aſſerti eodem modo probatur, quo præcedens confirmavimus. Facilius vero ſibi perſuadent acumine, quod ad interiora animæ rimanda requiritur, deſtituti nullam adeſſe repræſentationem boni, vel mali, quod nullius ſibi conſcii ſint, quæ in ideis confuſis latent non animadvertentes, cum eas evolvere neſciant. Difficilius quoque latens appetitionis, vel averſionis ratio in apricum producitur, ut adeo ſuæ ignorantiæ facilius fidem habeant, qua ſibi rationem nullam adeſſe perſuadent.

Propoſitionem præſentem ſubjungimus præcedenti, ne ad appetitum, & averſationem rationalem reſtringere videamur, quod appetitui ſenſitivo & rationali commune eſt, præſertim cum in iis caſibus, ubi ſine motivo quid velle, vel nolle videmur, appetitus, vel averſatio ut plurimum ex parte rationalis ſit, ex parte vero ſenſitivus ſenſitivave. Pertinet huc caſus electionis, ubi in objectis nulla nobis videtur adeſſe ratio intrinſeca, cur unum alteri præferatur, cum pro paribus habeantur. Sed hæc ex ſequentibus magis elucescent.

Digitized by Google

§. 894.

Malum quando appetamus, bonum quando averſemur.

Si cui bonum videtur, quod malum eſt, idem appetit, vel vult : & ex adverſo *ſi cui malum videtur, quod bonum eſt, idem averſatur, vel non vult.* Si quid enim alicui videtur bonum quod malum eſt, id ſibi tanquam bonum repræſentat, quod per ſe patet. Enimvero quam primum quid ſibi repræſentat tanquam bonum, idem appetit (§. 589). Ergo quod malum eſt appetit, ſi quidem ipſi bonum videatur.

Similiter ſi cui malum videtur, quod bonum eſt, is per ignorantiam, aut errorem id ſibi repræſentat tanquam malum, adeoque id averſatur (§. 590). Ergo quod bonum eſt averſatur, ſi quidem ipſi videtur malum.

Utrumque confirmatur a poſteriori inde, quod quæſiti qui malum appetunt, cur hoc faciant, reſpondeant quod ſibi videatur bonum, & ex adverſo quæſiti qui bonum averſantur, cur hoc faciant, non alias afferant rationes, quam ex quibus apparet quod id malum eſſe opinentur. Veſci cibo, qui ſanitati adverſus eſt, malum eſſe palam eſt. Sunt qui norunt ſanitati adverſum eſſe cibum, eodem tamen hoc non obſtante veſcuntur. Quæſiti cur id faciant, reſpondent ſe ſapore ejusdem admodum delectari. Cibum adeo appetunt ob ſaporem, quod bonum judicent veſci cibo, qui bene ſapit. Similiter ſi quis novit medicamentum conducere ad ſanitatem reſtituendam, ſed ob ſaporem ac odorem minus gratum idem averſatur, is medicamentum averſatur, quod malum judicet uti medicamento ingrati ſaporis. Appetit adeo in priori caſu quod malum eſt, quia ipſi bonum videtur; in caſu poſteriori averſatur quod bonum eſt, quia ipſi malum videtur.

Exempla frequentiſſime obvia ſunt, quibus propoſitio præſens confirmatur, ut ideo dudum a Veteribus inter notiſſima relatum fuerit hoc principium.

§. 895.

Digitized by Google

§. 895.

Quod bonum cognoſcimus, ſed certo reſpectu malum exiſtimamus quoad nos, *averſari* dicimur *ſub ratione mali.* Et e contrario quod malum cognoſcimus, ſed certo reſpectu bonum exiſtimamus quoad nos, id dicimur appetere *ſub ratione boni.* *Quenam ſub ratione mali averſemur, ſub ratione boni appetamus.*

Ita cibum ſanum ob ſaporem nobis ingratum averſantes bonum averſamur ſub ratione mali; cibum enim in ſe ſpectatum bonum judicamus, quatenus ſanitati conducit; ſed malum exiſtimamus quoad nos reſpectu moleſtiæ, quam ex ſapore minus grato percipimus. Similiter cibum ſanitati adverſum appetentes ob ſaporem nobis gratum malum appetimus ſub ratione boni. Cibum enim malum judicamus, quatenus ſanitati adverſus; ſed eundem bonum judicamus quoad nos, quatenus jucundum nobis eſt veſci cibo grati ſaporis. Prævalet autem opinio boni, ſi magis in bonum, quam in malum dirigatur attentio & contra.

§. 896.

Si malum appetimus, id appetimus ſub ratione boni; Et ſi bonum averſamur, id averſamur ſub ratione mali. Si quid enim appetimus, vel volumus id nobis repræſentamus tanquam bonum (§. 892). Quamvis adeo malum eſſe agnoſcamus atque concedere debeamus, quod tale ſit, *per hypoth.* idem tamen certo reſpectu bonum videri debet quoad nos. Malum adeo appetimus ſub ratione boni (§. 895). *Bonum quomodo averſemur; malum quomodo appetamus.*

Similiter ſi quid averſamur, vel nolumus id nobis repræſentamus tanquam malum (§. 892). Quamvis adeo bonum eſſe agnoſcamus atque concedere debeamus, quod tale ſit *per hypoth.* idem tamen certo reſpectu malum videri debet quoad nos. Bonum adeo averſamur ſub ratione mali (§. 895).

Exempla, quæ modo in medium attulimus, propoſitionem præſentem illuſtrant. Ipſa vero propoſitio principium eſt, quod veteribus tritum ac familiare fuit.

Digitized by Google

§. 897.

Quomodo minus malum majoris evitandi gratia appetamus.

Si quis minus malum appetit, propterea quod medium esse existimat evitandi malum majus; is malum appetit sub ratione boni. Etenim si quis existimat minus malum esse medium evitandi majus, cum bonum sit evitare magnum malum; is hoc respectu malum minus sibi repræsentat tanquam bonum. Quamobrem idem appetit, quod bonum ipsi videtur hoc respectu quoad se. Idem igitur appetit sub ratione boni (§ 894).

Propositio præsens per modum corollarii subsumi quoque potest sub præcedente. Si enim minus malum appetimus, majoris evitandi gratia, malum appetimus. Appetimus igitur istud sub ratione boni.

Confirmatur propositio a posteriori. Si quis ære alieno gravatus non sit solvendo nec videns quomodo ex periculo sibi ac famæ suæ inde emergente eluctari possit, nisi mors afferat finem omnium malorum, manus violentas tandem sibimetipsi injicit; is autochiriam non in se bonam judicat, sed malam, minus tamen malum existimat mortem, quam vitam tædiis sibi intolerabilibus plenam, atque minus hoc malum ideo appetit, quod ipsum liberet a malo majore. Liberatio ab ære alieno ac periculis sibi ex eo imminentibus, quod quis solvendo non sit, bona utique existimari debet. Quatenus itaque eadem cum autochiria connexa est; eatenus eam in hoc casu particulari bonum judicat. Atque adeo hanc intendit, hanc appetit, dum manus violentas sibi infert. Autochiriam vero tantummodo appetit, quatenus sine ea finem, quem intendit, consequi nequit. Unicum hoc exemplum satis superque declarat, quomodo minus malum appetatur, propterea quod fit medium evitandi malum majus sub ratione boni.

Nulla hic objectio est, mortem esse malum majus, quam pericula ex eo imminentia quod quis solvendo non sit. Neque enim hic de

de rei veritate, sed de appetentis opinione agitur. Omnium vero non eadem opinio est.

§. 898.

Si ex pluribus bonis unum alteri præferendum: id præfertur, quod judicatur melius. Etenim si plura sint objecta, quæ bona judicantur quoad nos, unum non minus appetimus, quam alterum (§. 589), adeoque ex eo, quod singula judicantur bona quoad nos, nondum intelligitur, cur unum alteri præferatur, consequenter in eo ratio electionis unius ex aliis sufficiens non continetur. Quoniam tamen sine ratione sufficiente nil quicquam esse potest (§. 70. *Ontol.*); ratio quoque sufficiens adesse debet, cur unum alteri præferatur, adeoque magis appetatur quam alterum. Enimvero quoniam aliquid appetentes id nobis tanquam bonum repræsentamus quoad nos (§. 892); id, quod magis appetimus quam alterum, nobis utique tanquam magis bonum repræsentare debemus. Patet igitur si ex pluribus bonis unum alteri præferendum, id præferri, quod melius judicatur. *Quodnam alteri præferatur.*

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus nobis offerri duos nummos aureos & ex iis unum esse eligendum. Ponamus nobis constare, unum habere pondus justo minus, alterum ad trutinam appensensum legitimo pondere deprehendi. Ponamus præter hanc ponderis differentiam nullam aliam notari, aut saltem non attendi, nec animum præterea ad rationes alias extrinsecas adverti; nemo non novit positis his circumstantiis eligi nummum aureum legitimi ponderis, adeoque præferri eum, qui est melior. Quodsi enim ex eligente quæsiveris, cur hunc potius eligat quam alterum, utique respondet, id ideo fieri, quod is quem eligit sit melior. Quæsitus porro cur eum meliorem esse existimet respondet, quod sit legitimi ponderis, alter vero ab eodem deficiat.

Experientia itaque satis superque confirmat propositionem præsentem. Quodsi objicias fuisse, qui studio elegerint nummum aureum

reum minoris ponderis, & alterum reliquerint alteri, objectionem non moramur. Neque enim in hoc casu desunt rationes extrinsecæ, cur electio levioris melior censeatur electione gravioris: id quod ex subsequentibus magis elucescet.

§. 899.

Rationes extrinseca electionis.

Si ex pluribus objectis appetibilibus unum eligendum, nulla vero adsit ratio intrinseca, cur unum alteri præferatur, ratio extrinseca qualiscunque sufficit, ut unum præferatur alteri. Quoniam objectum unumquodque in se appetibile *per hypoth.* ratio ad appetendum sufficiens adest, si in se consideretur. Quamobrem tantummodo requiritur adhuc ratio, cur unum ex iis eligatur, atque hoc ipso ceteris preferatur (§. 70. *Ontol.*). Enimvero ratio intrinseca, cur unum alteri præferatur, non adest *per hypoth.* seu is, qui unum ex iis eligere, adeoque unum alteri præferre debet, nihil in uno observat, ob quod idem alteri præferendum esse judicet. Deveniendum itaque ad rationes extrinsecas, quæ rationibus, ob quas singula æqualiter appetuntur, accedentes efficiant ut unum magis appetatur, quam reliqua. Quamobrem cum qualiscunque ratio extrinseca istis superaccedens appetitum augere debeat; ea utique ad unum alteri preferendum sufficere debet.

A posteriori idem liquet clarissime, modo attentionem sufficientem afferre velis, vel possis. Ponamus tibi offerri duos nummos aureos, ut unum ex iis eligas. Ponamus nullum prorsus discrimen intrinsecum facta inquisitione a te deprehendi posse, ut adeo perinde tibi videatur, sive hunc potius, sive alterum accipias. Deficit adeo ratio extrinseca, cur unum alteri præferre debeas. Ponamus vero te hærentem, quemnam eligere debeas, ac nummos contemplantem, ut inquiras in discrimen, ob quod unus alteri a te preferri debere videatur, ex adstantium aliquo percipere, quod hunc nummum possederit vir quidam celeberrimi nominis, a cujus heredibus eum acceperit qui eundem tibi offert. Ponamus denique possessoris illius memori-

Digitized by Google

moriam tibi esse jucundam. Nemo non fatebitur, te ob hanc rationem nummum istum electurum. Eligis adeo unum ex duobus ob rationem extrinsecam, intrinseca deficiente. Quodsi nulla extrinseca alia occurrat ratio, ob quam nummum unum præferamus alteri; eum arripimus, ad quem commodius extenditur brachium. Non aliam hic subesse rationem, inde patet, quod quæsitus, cur id faciat, in vernaculo nobis sermone respondeat: **der Erste / der beste /** id est, optimum esse eum, quem primum apprehendimus. Sufficit adeo ratio levicula ad id, ut nummum unum alteri præferamus, eti si non sufficiat ad id ut eundem appetamus, cum appetitus alterutrius jam sit determinatus per rationes alias prævias.

Non ignoro esse aliquos, qui mirantur, rationem adeo leviculam philosopho videri sufficientem ad appetitum, seu voluntatem determinandum, atque eodem magis dignum reputent asserere, quod hic habeamus exemplum volitionis absque ulla ratione. Enim vero mirarer ἀβλεψίαν, nisi certum ac exploratum mihi esset istam objectionem convenire homini non philosopho. Etenim defectu acuminis philosophici confunduntur, quæ a se invicem discerni debebant & a nobis discreta fuerunt, scilicet ratio, qua appetitius determinatur ad alterutrum objectum, & ratio, qua unum alteri præfetur, atque adeo appetitus plenarie determinatur ad hoc potius, quam ad alterum. Etenim si rationem sufficientem desideres, cur nummum hunc appetas, ad eam quoque requiritur id, ob quod alterutrum appetere libuit, antequam ad electionem deveniretur. Præterea lubenter audirem, quidnam rationis subsit, cur magis philosophicum videri debeat, si quis dicat appetitum jam ad alterutrum determinatum flecti ad unum eorum sine ulla ratione, quam si affirmet idem fieri ratione quacunque levicula, ubi magis ardua deficit. Enim vero non opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt. Novimus enim homines in rebus maxime arduis, ubi ratio determinandi actum volitionis non sufficit, quam habent, ad consilia amicorum cœca, ad sortem non minus cæcam & nescio quas rationes subinde prorsus ridiculas confugere. Sane rationes istæ si præcisis ceteris circumstantiis spectentur leviculæ sunt, immo in se spectatæ sæpius ridiculæ videntur. Sed ubi circumstantiis omnibus probe excussis expendun-

duntur, legibus animæ generalibus satisfaciunt. Absit igitur, ut dicamus nos sine ulla ratione quid appetere, ubi appetitus nascens flectitur ratione levicula in alterutram partem, nobis optime conscius.

§. 900.

Ex duabus actionibus aquipollentibus quam nam seligamus.

Si actiones volumus nec adest aliqua intrinseca, vel extrinseca quædam ratio; cur ex duabus, quibus in dato casu locus est, unam potius eligamus, quam alteram, eam eligimus, quæ nobis magis familiaris est. Etenim si quid duobus modis fieri posse agnoscimus, nec utrum hoc modo, quam altero fiat refert; nulla adest ratio intrinsea, cur hoc potius modo, quam altero id fiat, cum omnimoda paritas saltem opinione appetentis adsit. Ad rationes igitur extrinsecas deveniendum (§. 899). Iam cum nulla adsit *per hypoth.* ad actiones, ex quibus altera seligenda attentis nobis succurrit, quod alias hanc edidimus in simili casu (§. 109. 174). Quamobrem eam alteri præferimus, quæ nobis familiaris est.

Propositionem præsentem jam alias in Annotationibus in Metaphysicam Germanico idiomate editis §. 158. exemplo luculento ex Algebra petito stabilivi. Sint nimirum x et y duæ quantitates incognitæ, sitque *per hypoth.* $x+y=a$ & $xy=b$. Sive x denotet quantitatem majorem & y minorem, sive contraria ratione y majorem & x minorem; erit in utroque casu $x+y=a$ & $xy=b$. Quodsi jam aquationes sint reducendæ, perinde est sive reductio ita fiat, ut ex utraque eruatur valor ipsius x, sive ita instituatur ut ex utraque investigetur valor ipsius y. Quicquid horum fiat, in eandem incidis æquationem quadraticam, scilicet $ay-yy=b$ & $ax-xx=b$. Utraque æquatio duas habet radices, quarum altera quantitatem majorem, altera minorem indicat. Quæ igitur ratio suadere poterat, ut æquationes primum propositas ad x reduceres; eadem quoque suadet, ut eas reducas ad y. Nulla igitur adest ratio intrinseca, cur unum potius fiat, quam alterum. Neque præci-

sis

Digitized by Google

ſis circumſtantiis ſingularibus extrinſeca apparet ratio, quæ adeſſe poſſit, nec caſus impoſſibilis intelligitur, quod aliquando extrinſeca abeſſe omnis poſſit. Quoniam vero vel recenter memoriæ inhæret, vel, quod ſæpius idem feciſti, nunc ſuccurrit, te alias ubi duplex fuerat invenienda æquatio ob duplicem quantitatem incognitam x & y æquationes reduxiſſe ad x; quod alias facere ſolitus fuiſti, id quoque nunc facis, cum nulla adſit ratio, quæ te ab agendi conſuetudine abducat. Conſuetudo igitur agendi ratio ſufficiens eſt, cur hoc potius facias, quam alterum. Atque ſic patet, nos eam præferre actionem alteri, quæ nobis familiarior eſt altera. Exemplo algebraico jungimus aliud in gratiam eorum, qui illud non intelligunt, quamvis tanta cæteris non inſit evidentia, quanta algebraico ineſt, ob peregrina ideis ſeſe immiſcentia. Ponamus nos adſuetos eſſe manum dextram exporrigere verſus ſiniſtram, quoties quid apprehendere ac tollere volumus, aut id fieri, quoties pennam atramento immergimus inter ſcribendum. Ponamus porro nos tollere e menſa debere nummum aureum, ex duobus quidem unum, quicunque nobis arriſerit, perinde autem nobis eſſe, quemcunque accipiamus, nulla ratione electionem ſuadente. Satis exploratum eſt nos eum electurum eſſe, qui ſiniſtræ propior eſt, dum juxta menſam ſtamus, propterea quod ad eum tollendum actione nobis familiari opus eſt, a conſuetudine autem agendi non recedimus ſine ratione ſufficiente. Hoc ipſum itaque exemplum ubi per ambages facimus, quod ſine iis fieri poterat, ſatis ſuperque loquitur, conſuetudinem agendi eſſe rationem ſufficientem, ubi deficiente ratione intrinſeca, vel extrinſeca etiam alia, ex duabus actionibus alterutra eligenda, veluti in dato caſu ſublatio hujus potius, quam alterius nummi aurei.

Non mirum videri debet, quod conſuetudini agendi, vel modo agendi recentis memoriæ tantam vim tribuamus, ut poſſit flectere appetitum in partem alterutram. Neque enim ignotum eſt quam

Digitized by Google

magnum agendi principium ſit imitatio ejus, vel etiam repetitio ejusdem, quod ante feceramus, in caſu ſimili (§. 501). Levis momenti vulgo videntur, quæ maximi deprehenduntur ab acutioribus, non per transennan res obvias adſpicientibus, nec per præcipitantiam de iis ſtatuentibus.

§. 901.

Attentio quomodo flectat appetitum in caſu æquipollentiæ.

Si actiones duæ nobis videantur æquipollentes vel objecta quæcunque æquipollentia exiſtimentur, nec alia ſit nobis ratio extrinſeca, ob quam una illarum, vel unum horum alteri præferatur; eam, vel id præferimus, quæ quodve paritatem, vel æquipollentiam expendentium attentionem primum ad ſe trahit. Etenim cum nulla adſit electionis, vel prælationis ratio intrinſeca, nec extrinſeca quædam ſuccurrat *per hypoth.* ex objectorum appetibilium æquipollentia colligitur, perinde prorſus eſſe, quodnam eorum eligatur, aut alteri præferatur, ac ideo porro decernitur illud eligendum eſſe, quod primum nobis obvium eſt. Quamobrem ſi quid hæc animo volventium attentionem in ſe trahit; nulla prorſus ratio eſt, cur a propoſito noſtro recedamus, atque adeo id eligimus, quod iſto temporis articulo attentionem noſtram quacunque de cauſa in ſe trahit.

A poſteriori idem confirmari poteſt exemplis algebraicis, ubi v. gr. reductionem inſtituimus contra conſuetudinem: ibi enim acutioribus innoteſcit id fieri ideo, quod oculorum aciem & cum ea mentis attentionem in hac magis defigamus litera, quam in alia. Idem quoque ſubinde obtinet in electione nummi aurei ex duobus in menſa collocatis, in quibus non eodem modo conſtanter obtutum defigimus, dum deliberamus, quemnam ex iis eligere debeamus, non reperientes rationem intrinſecam extrinſecamve, ob quam unum alteri præferamus. Quodſi quis in poſterum ad caſus electionum attentam mentem afferre voluerit, is propriis experimentis non modo præſentem, verum etiam præcedentes propoſitiones

Digitized by Google

tiones confirmare poterit. Quæ enim nos eo fine adduximus, ad experimenta ex ſeipſis capienda lectorem invitant & modum ea capiendi commonſtrant.

Denuo inculcamus, in præſente caſu non minus, quam in ceteris rationem, qua appetitus ad alterutrum flectitur, non eſſe confundendam cum ratione, cur appetatur: id quod plerumque facere ſolent, quibus ratio allegata ad flectendum appetitum non videtur ejusdem ratio ſufficiens, cur in hanc potius partem feratur, quem in aliam.

§. 902.

Regulæ appetitus dicuntur, quas anima obſervat in appetendo. *Regulæ appetitus.*

Exempla regularum appetitus ſunt propoſitiones proxime præcedentes (§. 892. & ſeqq.). Neque alium in finem regulas iſtas propoſuimus quam ut appetitus inde explicemus, quoties nobis in poſterum cum iis erit negotium.

§. 903.

Lex appetitus dicitur principium generale regularum appetitus. Unde *ex lege appetitus redditur ratio regularum appetitus* (§. 866. *Ontol.*) *Lex appetitus quid dicatur.*

Retinemus ſignificarum legis, quem ſupra termino tribuimus in ſimili caſu, veluti cum leges perceptionum definiremus (§. 84).

§. 904.

Lex appetitus eſt hæc propoſitio: Quicquid nobis repræſentamus tanquam bonum quoad nos, id appetimus. Veritatem propoſitionis quoad appetitum ſenſitivum & rationalem evicimus in ſuperioribus (§. 589). Quod vero inde reddatur ratio regularum appetitus tam ſenſitivi, quam rationalis, patet ex earum demonſtrationibus (§. 590. & ſeqq. atque §. 892. & ſeqq.) Eſt igitur lex appetitus (§. 903). *Lex appetitus quanam ſit.*

Hanc legem appetitus dudum agnovere Veteres, & ejus uſus ampliſſimus eſt in philoſophia morali, ubi docetur, quatenus determinatio appetitus in noſtra poteſtate eſt: id quod fundamentum culturæ virtutum.

Digitized by Google

Regula aversationis.

§. 905.

Regulæ aversationis sunt, quas anima observat in aversando.

Exempla regularum aversationis sunt propositiones proxime præcedentes, quibus docetur quandonam quid aversemur (§. 891. & seqq.). Sane non alium in finem regulas istas in medium adduximus, quam ut per eas explicare possimus, cur in dato casu anima quid aversetur, vel num in dato casu quid aversari debeat.

§. 906.

Lex aversationis quanam dicatur.

Lex aversationis est principium generale regularum aversationis. Unde *ex lege aversationis redditur ratio regularum aversationis* (§. 866. *Ontol.*).

Qui aversationem sub appetitu comprehendunt, illi legem aversationis a lege appetitus non distingunt. Patebit tamen (§. 907) legem aversationis esse diversam a lege appetitus, neque adeo opus esse ut utramque eodem nomine compellemus. In re est consensus: in verbis dissensus. Accuratius vero loquitur, qui, quæ diversa concipiuntur, diversis etiam nominibus insignit.

§. 907.

Lex aversationis quanam sit.

Lex aversationum est propositio: Quicquid nobis repræsentamus tanquam malum quoad nos; id aversamur. Veritatem propositionis jam evicimus in superioribus (§. 589). Quod vero inde reddi possit ratio regularum aversationis, patet ex earum demonstrationibus (§. 592. 596. & seqq. atque §. 892. & seqq. Est igitur lex aversationis (§. 906).

Legem hanc aversationum dudum agnovere veteres utpote experientiæ obviam, & ejus ampliſſimus usus est in philosophia morali, ubi docetur quatenus aversatio in nostra potestate est: id quod fundamentum fugæ vitiorum.

§. 908.

Consensus appetitus sensitivi & rationalis.

Consensus appetitus sensitivi & rationalis est tendentia utriusque ad idem objectum.

E. gr. Si appetitus sensitivus fertur in cibum aliquem ob gratum, quem habet, saporem & voluptates alias, qua imaginatio tan-

Digitized by Google

tanquam ab eo profectas confuſe repræſentat, ita ut cupiditas cibi enaſcatur; fertur vero etiam in eundem appetitus rationalis, quod noverit appetens, eum ſanitati conducere ea præſertim quantitate, qua offertur; appetitus ſenſitivus & rationalis ad idem tendunt ob-objectum, adeoque inter ſe conſentire dicuntur.

§. 909.

Si quid nobis bonum quoad nos & confuſe, & diſtincte repræſentamus; appetitio rationalis & ſenſitiva cooriuntur ac appetitus ſenſitivus cum rationali conſentit. Si quid enim nobis bonum quoad nos confuſe repræſentamus, appetitus ſenſitivus in idem fertur (§. 589 580). Et ſi quid nobis bonum quoad nos diſtincte repræſentamus, appetitus rationalis in idem fertur (§. 589. 880). Quare cum nobis idem objectum tanquam bonum quoad nos ſimul & confuſe, & diſtincte repræſentemus; appetitio ſenſitiva & rationalis cooriuntur, cumque ad idem objectum tendant inter ſe conſentiunt (§. 901). *Quando detur iſte conſenſus.*

A poſteriori difficilius obſervatur conſenſus appetitus ſenſitivi & rationalis, propterea quod plerumque non niſi ex accidente objectum idem tanquam bonum quoad nos nobis repræſentatur & vi ſenſuum atque imaginationis, & vi intellectus, ſive & confuſe, & diſtincte. Conſenſus autem ordinarius rariſſimus eſt, ita ut *Confucius*, qui ab ineunte ætate id ſibi dederat, ut appetitum rationalem conſtanter ſequeretur, omni conatu ſuo id tantummodo effecerit, ut anno ætatis ſeptuageſimo appetitus ſenſitivus ſua veluti ſponte cum rationali conſentiret.

Conſenſus hic maximi momenti eſt in moralibus & inter ſummas, quas homini acquirere datum eſt, perfectiones referri meretur ita ut arduum ſit philoſophiæ moralis problema, *appetitum ſenſitivum reducere ad conſenſum cum rationali.* Solutionis fundamentum generale continetur in propoſitione præſente. Sed problematis tot ſunt caſus ſpeciales, quot virtutes diverſæ, ſeu quot

Digitized by Google

sunt appetibilium species, qua habitus morales variant. Unde nobis multum erit in philosophia morali cum hujus problematis solutionibus specialibus negotium.

§. 910.

Appetitus sensitivus: rationali permixtus.

Appetitui rationali plerumque miscetur sensitivus. Appetitus enim rationalis nascitur ex distincta boni repræsentatione (§. 880), ita ut feratur in objectum quod beneficio intellectus distincte cognoscimus bonum esse. Enimvero intellectus noster nunquam prorsus purus (§. 315), adeoque notioni, ex qua objectum bonum judicatur, semper aliquid confusi atque obscuri admiscetur (§. 343). Quatenus igitur quidpiam confusi admiscetur, appetitio oritur sensitiva (§. 580). Appetitui adeo rationali plerumque permiscetur sensitivus.

A posteriori veritas propositionis manifesta est. Ponamus nos cognoscere medicamentum aliquod esse salubre, atque nullum nobis de hoc effectu superesse dubium: Appetitus rationalis fertur in medicamentum, hoc est, ob hanc rationem medicamentum istud sumere volumus & ut nobis porrigatur jubemus. Jam ponamus porro nos jam alias usus esse hoc medicamento & mutationem status præternaturalis in corpore a sumto medicamento percepisse atque inde hilares factos exultasse. Quoniam imaginatio hæc omnia simul idea quadam confusa repræsentat (§. 117); ex hac enata cupiditas (§. 810) appetitui rationali permiscetur. Immo imaginatio anteriorum reproductrix & memoria eorundem conservatrix ideæ confusæ, qua medicamentum tanquam bonum repræsentatur, occasione rationis distincte agnitæ, quod sit ad sanitatem restituendam convenientissimum, varia adhuc alia pro diversitate subjecti appetentis & circumstantiarum admiscere potest, quæ in appetitum influunt & sensitivum rationali permiscent.

Videntur hæc repugnare iis, quæ ad propositionem præcedentem dicta sunt de raritate consensus appetitus rationalis cum sensitivo.

Digitized by Google

tivo. Enimvero levi attentione tollitur dubium. Etenim hac permixtione non obstante fieri potest, ut appetitus sensitivus sit rationali contrarius, veluti si medicamentum fuerit saporis ingrati, ut ab eo abhorreat æger, ita ut idem statim evomat, quando vix ori ingestum fuit, etsi avide admodum idem appeteret, vel etiam ex odore ingrato judicium ferens de sapore idem sumere nolit, utut antea vellet. Permiscetur appetitus sensitivus rationali ex alia ratione; eidem vero hoc non obstante contrariatur ex alia. Atque adeo nulla hic contradictio (§. 31. *Ontol.*).

§. 911.

Fortitudo appetitus & aversationis.

Appetitus fortis dicitur, si ab appetitione nos non facile dimoveri patimur. Eodem sensu *aversatio fortis* dicitur.

Dari appetitum & aversationem fortem, nemo ignorat.

§. 912.

Appetitus rationalis per sensitivum intensus.

Quoniam appetitus sensitivus habet gradus (§. 599), si rationali permiscetur, eundem pro diversitate gradus sui diversimode intendere debet. Atque adeo *si appetitus sensitivus rationali permiscetur*, consequenter & *si cum eodem consentit*, atque adeo cum sensitivo ad idem objectum tendit (§. 908), *rationalis fortior fit* (§. 911).

A posteriori hæc non minus clarissima sunt, modo ad exempla obvia attendere velimus.

§. 913.

Aversatio sensitiva rationali permixta.

Aversationi rationali plerumque per miscetur sensitiva. Si quid enim aversamur ex ratione, aversationis actus nascitur sive nolitio nascitur ex distincta mali repræsentatione (§. 881). adeoque ea, quæ fit beneficio intellectus (§. 275). Enimvero intellectus noster nunquam prorsus purus est (§. 315), adeoque notioni mali, quam habet, confuse aut prorsus obscure percepta inlunt (§. 343). Quamobrem cum ex confusa mali perceptione oriatur aversatio sensitiva (§. 582); aversatio sensitiva rationali permiscetur.

A posteriori ista permixtio evidentissima est, ubi aversatio

ſatio ſenſentiva fuerit tantæ vehementiæ, ut, nondum in affectum ſenſibilem degeneret, eidem tamen proxima ſit.

§. 914.

Averſatio rationalis quomodo fortior fiat.

Quoniam averſatio ſenſitiva ſuos habet gradus (§. 599), ſi rationali permiſcetur, efficit ut id, quod averſamur, vehementius averſemur, atque ideo non tam facile nos ab averſatione abduci patiamur. Quamobrem *ſi averſatio ſenſitiva rationali permiſcetur, eam efficit fortiorem* (*§. 911*).

A poſteriori hujus veritatis unusquisque in ſe experimentum capiens convincitur, modo ad caſus quotidie obvios animum advertere voluerit.

Sunt vero rationes plurimæ particulares, cur fortior ſit averſatio rationalis, ſi eidem permiſcetur ſenſitiva, quam ſi absque hac fuerit, veluti quod attentio avertatur a contraria repræſentatione, quæ ſenſuum & imaginationis ope fit, atque mentem ſeu animam in contrariam partem trahit.

§. 915.

Conſenſus averſationis rationalis & ſenſitivæ.

Conſenſus rationalis & ſenſitivæ averſationis eſt, ſi verſatur circa idem objectum, vel concurſus in eodem objecto.

E. gr. Si quis medicamentum averſatur, quod ipſi propinatur, quia idem ſibi magis nocere, quam prodeſſe perſuaſus eſt, ac præterea idem quoque averſatur ob odorem ac ſaporem minus gratum aliasque rationes in confuſa idea medicamenti tanquam mali repræſentati concurrentes; averſatio ſenſitiva & rationalis in eodem objecto concurrunt, adeoque inter ſe conſentiunt.

§. 916.

Quando is obtineat.

Si quid nobis tanquam malum quoad nos & confuſe, & diſtincte repræſentamus, averſatio ſenſitiva & rationalis cooriuntur ac ſenſitiva cum rationali conſentit. Etenim ſi nobis quid tanquam malum quoad nos diſtincte repræſentamus, id nolumus, ſeu ex ratione averſamur (*§. 881*). Si quid nobis repræſentamus tanquam malum confuſe, averſationi ſenſitivæ locus eſt (*§. 582*). Quamobrem ſi ſimul & diſtincte, & confuſe tan-

Digitized by Google

tanquam malum quoad nos nobis repræsentatur ; averſatio rationalis & ſenſitiva cooriuntur, cumque utraque in eodem objecto concurrat, inter ſe conſentiunt (§. 915).

§. 917.

Conſenſus appetitus rationalis & ſenſitivi atque conſenſus averſationis rationalis & ſenſitivæ uno nomine dici poſſunt *Conſenſus facultatis appetendi partis ſuperioris & inferioris.* Quodſi una appetit, quod altera averſatur; diſſenſus in appetendo & averſando vocatur *Pugna partis ſuperioris ac inferioris* facultatis *appetendi.* *Pugna partis ſuperioris ac inferioris partis appetendi.*

E. gr. Ponamus ægrotum ſatis ſuperque eſſe perſuaſum, quod medicamentum aliquod ipſi ſit ſalutare. Dum attentionem ad effectum hunc medicamenti dirigit, appetitu rationali in idem fertur. Atat dum odorem ac ſaporem medicamenti ſibi tanquam valde moleſtum repræſentat atque imaginatio repræſentat alios ſtatus præteritos ob odorem ac ſaporem ori ingeſtorum moleſtum nobis tædioſos; confuſa hæc medicamenti tanquam mali quoad nos repræſentatio averſionem ſenſitivam gignit. Appetitus adeo rationalis & averſatio ſenſitiva, ſeu pars ſuperior & inferior facultatis appetendi ſibi mutuo contrariantur & in hac contrarietate, ſeu repugnantia pugna utriusque facultatis conſiſtit.

§. 918.

Si diſtincte tanquam bonum quoad nos repræſentamus, quod confuſe perceptum malum videtur & contra; pars facultatis appetendi ſuperior cum inferiori pugnat. Si quid enim diſtincte nobis tanquam bonum quoad nos repræſentamus, appetitus rationalis in idem fertur (§. 880). Quodſi vero idem nobis tanquam malum quoad nos confuſe repræſentamus; averſio inde oritur ſenſitiva (§. 582). Pars igitur ſuperior appetit, quod inferior averſatur, Quamobrem ubi diſtincte nobis tanquam bonum quoad nos repræſentamus, quod confuſe perceptum videtur malum; inter partem facultatis appetendi ſuperiorem ac inferiorem pugna oritur (§. 917). *Quando pugna iſta datur.*

Digitized by Google

Similiter ſi quid nobis tanquam malum quoad nos diſtincte repræſentamus, idem ex ratione averſamur (§. 881) Quodſi vero idem tanquam bonum quoad nos nobis confuſe repræſentamus, appetitus ſenſitivus in idem fertur (§. 580). Pars igitur ſuperior averſatur, quod inferior appetit. Quamobrem ubi diſtincte nobis tanquam malum repræſentamus, quod confuſe perceptum videtur bonum; inter partem facultatis appetendi ſuperiorem ac inferiorem denuo pugna oritur (§. 917).

A poſteriori propoſitionis præſentis veritas manifeſtiſſima eſt: nihil enim frequentius eſt pugna inter partem facultatis appetendi ſuperiorem ac inferiorem. Exemplum quod modo ad illuſtrandam hanc pugnam dedimus (*not.* §. 917), eandem aperte confirmat. Quatenus enim cognoſcimus, medicamentum nobis eſſe ſalutare; idem nobis diſtincte repræſentamus tanquam bonum. Et ex adverſo ubi ob ſaporem ac odorem moleſtum idem averſamur, ipſum nobis repræſentamus tanquam malum. Pugna igitur ex eo eſt, quod idem diſtincte agnoſcimus tanquam nobis bonum, confuſe autem perceptum repræſentemus tanquam malum.

Pugnæ huic tribuendum, quod videamus meliora atque probemus, deteriora ſequamur. Sed de his plura dicemus in Moralibus ſuo loco.

§. 919.

Motiva completa & incompleta qualia ſint.

Si omnes rationes expendimus, ob quas objectum adpetendum, vel averſandum propoſitum judicatur vel bonum, vel malum, *Motiva* ſunt *completa*. Quodſi aliquas tantummodo expendimus, ceteris deinceps demum expendendis, *Motiva* ſunt *incompleta*.

Nimirum objecta appetibilia ſpectari poſſunt cum in ſe, tum ſub certis circumſtantiis, iisque vel generalibus, vel particularibus ſeu ſpecialibus. Etenim quæ in ſe bona ſunt, ſub certis circumſtantiis mala eſſe poſſunt, vel etiam meliora fiunt. Et quæ ſpectatis hiſce tan-

Digitized by Google

tantumodo circumstantiis bona sunt, eadem superaccedentibus aliis mala esse possunt, vel etiam meliora fiunt. E. gr. tempestate serena exspatiari & membra corporis reficere ambulando sanitati proficuum, atque adeo bonum est. Enimvero idem facere eo tempore quo negotia, quæ moram non ferunt, expedienda sunt, malum est. Quoniam nunquam agimus nisi sub circumstantiis specialibus; exempla plurima deprehendet ad actionum suarum motiva sedulo attentus. Motiva enim incompleta sunt, quamdiu nondum spectantur omnes circumstantiæ, quarum in negotio dato, seu in casu singulari agendi habenda est ratio, ubi omnes officii partes adimplere volueris.

§. 920.

Voluntatis in antecedentem & consequentem distinctio.

Appetitus rationalis, qui oritur ex motivis incompletis, dicitur *voluntas antecedens*: Qui vero oritur ex completis, *voluntas consequens* appellatur. Idem tenendum de aversatione.

Ita si quis intuetur cœlum serenum & blandum aëris tactu percipit calorem, recordatus a Medicis sibi commendatum esse ut exspatiatus deambulando reficiat corpus; exspatiari vult. Enimvero ubi ad animum revocat, quæ jam agenda sunt differri minime posse; exspatiari non vult, sed potius domi manere vult. Antecedens adeo voluntas hic oritur, nondum spectatis circumstantiis particularibus, adeoque ex motivo incompleto: consequens vero nascitur spectatis circumstantiis particularibus, adeoque ex motivis completis (§. 919).

§. 921.

Quando voluntas consequens antecedenti contraria.

Si ob circumstantias præsertim particulares, aut speciales malum videtur, quod inse vel sub circumstantiis generalibus spectatum videbatur bonum & contra; voluntas consequens antecedenti contrariatur. Si quid enim in se spectatum, vel sub circumstantiis generalibus videtur bonum, idem volumus (§. 891). Enimvero ubi spectatis circumstantiis, præsertim specialibus, harū respectu idem malum habetur; quod volebamus jam nolumus (§. 590. 881). Jam primum motiva erant incompleta (§. 919), adeoque voluntas erat antecedens (§. 920), & inde motiva fiebant completa (§. 919), adeoque voluntas nascebatur consequens (§. 920).

Digitized by Google

Patet adeo cum voluntas consequens includat nolitionem ejus, quod voluntate antecedente appetebamus; voluntatem consequentem contrariam esse antecedenti, si ob circumstantias presertim speciales malum videtur, quod in se, vel sub generalibus spectatum bonum judicabatur.

Non absimili modo idem ostenditur, ubi sub circumstantiis generalibus malum videtur, quod sub aliis specialibus bonum judicatur.

A posteriori idem confirmant exempla obvia, & satisfacit ideæ exemplaris loco, quod modo ad illustrandam differentiam inter voluntatem antecedentem & consequentem in medium attulimus (*not.* §. 920).

Principii hujus multus est in philosophia morali usus, præsertim ubi de conscientia agitur.

§. 922.

Quomodo recordatione pristinorum motivorum facultas appetendi determinetur.

Si quid jam sæpius appetivimus, vel aversati fuimus aliquod objectum, id denuo oblatum statim appetimus, vel aversamur, nulla ratione, cur idem appetamus, vel aversemur distincte expensa. Si quid enim jam sæpius appetivimus, vel aversati fuimus aliquod objectum; idem quoque jam sæpius tanquam bonum, vel malum quoad nos nobis repræsentavimus (§. 892). Quamobrem oblata occasione idem denuo appetendi, vel aversandi, hoc est, conspecto objecto appetibili, vel aversabili, imaginationis vi simul reproducuntur status præteriti, quibus ipsam vel appetivimus, vel aversati fuimus una cum motivis tum expensis (§. 117) & vi memoriæ nobis conscii sumus, quod jam alias sæpius idem appetiverimus, vel aversati fuerimus, atque motiva expenderimus (§. 175. 181). Cum adeo nulla adsit ratio, quæ nobis dubium redtat judicium de objecto anterius, denuo non inquirimus utrum bonum sit, nec ne, quod ad appetendum proponitur, vel utrum malum sit nec ne, quod ad aversandum sese sistit (§. 70. *Ontol*). Vi adeo pristinorum motivorum, quorum confusa cum statibus præteritis appeten-

tis,

Digitized by Google

tis, vel averſantis in mente repræſentatio eſt, id appetimus, quod antea appetivimus, atque averſamur, quod antea averſati fuimus.

Exempla maxime obvia ſunt, cum ea quæ quotidie appetimus, vel averſamur, talia ſint, quæ jam ſæpius appetivimus, vel averſati ſumus. Ita cibo, quem ſæpius comedimus, appoſito, nulla facta inquiſitione, utrum bonus, an nocuus ſit, ſtatim veſcimur, niſi nova quædam ſeſe offerat ratio, cur ab eodem in præſente abſtineamus, veluti cum ferculum palato magis acceptum expectamus, aut cum deſideriis ſtomachi antea latrantis ex pletis nulla cibi cupiditas nobis amplius ſupereſt.

Ad caſum propoſitionis præſentis præpoſtere provocare ſolent, qui ſibi aliisque perſuadere cupiunt, animam ſine motivis appetere, vel averſari quid poſſe. Motiva enim nulla adeſſe arbitrantur, ubi latentia in apricum proferre nequeunt analyſi notionum vires eorum ſuperante, tum defectu principiorum pſychologicorum, tum ignotantia methodi.

§. 923.

Conſuetudo agendi dicitur habitus agendi ex determinatione præterita, ſeu ea, quæ fit vi motivorum præteritorum, quatenus confuſe perceptorum memoriam habemus. Ex propoſitione autem præcedente liquet, quod *detur agendi conſuetudo.* *Conſuetudo agendi quanam dicetur.*

Exemplum conſuetudinis iſtius eſt, quando cibo appoſito veſcimur, quem ſæpe jam comedimus, nulla facta inquiſitione, utrum ſalutaris, an nocuus ſit; utrum bonus, an malus judicari debeat.

§. 924.

Quoniam in conſuetudine agendi motivorum præteritorum nonniſi confuſe perceptorum memoriam habemus (§. 923), adeoque quæ in iisdem continentur diſtincte non agnoſcimus (§. 39), ubi vero prima vice quid appetimus, vel averſamur, ſine motivis præviis non fit volitio, nec nolitio (§. 889), adeoque facta inquiſitione utrum quid bonum ſit quoad nos, an malum (§. 892); *diſtincte cogniturus, quo modo appeti-* *Quomodo geneſis appetitionis ac averſionis innotefca.*

petitus, vel aversatio nascatur, ad eos casus attendere tenetur, ubi aliquid prima vice appetimus, vel aversamur.

Hoc ideo addimus, ut præcipitantiam in judicando præcaveamus, & ad veritatem, quæ explorata est, ex seipsis agnoscendam alios invitemus.

§. 925.

Similia libra petito quomodo illustretur appetitus & aversatio.

Quæ de appetitu & aversatione animæ dicta sunt; similia libra petito illustrari possunt. Nimirum in libra tres status a se invicem distinguimus, statum æquilibrii, statum præponderii versus dexteram & statum præponderii versus sinistram. Status æquilibrii libræ naturalis est, seu vi structuræ eidem competit, quemadmodum ex Mechanicis constat & a posteriori per id liquet, quod sibi relicta sit in æquilibrio. Idem vero etiam enascitur ex ponderum utrinque appensorum æqualitate. Status æquilibrii non tollitur absque ratione sufficiente, per quam intelligitur, cur libra jam potius præponderet, quam in statu æquilibrii permaneat. Neque præponderatio fit absque ratione sufficiente, per quam intelligitur, cur libra jam potius versus partem unam præponderet, quam versus alteram. Etenim si status æquilibri tolli debet, ex parte una appendendum est pondus majus, ex altera minus, & præponderatio fit eam in partem, ubi majus pondus fuerit appensum; vel ponderibus utrinque existentibus æqualibus præpondium adjicitur, & præponderatio in eam fit partem, ex qua est præpondium. In anima quoque tres distinguuntur status a se invicem, nimirum status indifferentiæ, status appetitionis & status aversionis; aut, ubi cum parte superiori tantummodo nobis negotium fuerit, status volitionis & status nolitionis. Status indifferentiæ per se datur in anima, quamdiu objectum nobis incognitum est, saltem ignoratur utrum quoad nos spectatum bonum sit, an malum (§. 887. 889). Idem obtinet, si rationes ad appetendum & aversandum æquipollentes nobis videntur, ut nulla adsit ratio cur

appe-

Digitized by Google

appetitionem præferamus averſioni, ſeu volitionem nolitioni & contra (§. 70. *Ontol.*) Status indifferentiæ non tollitur in anima ſine ratione ſufficiente, per quam intelligitur, cur potius objectum datum appetamus, quam averſemur. Etenim ſi in caſu priori ex ſtatu indiffentiæ anima transferri debet ad ſtatum appetitionis, vel volitionis, objectum iſtud ſibi repræſentare debet tanquam bonum quoad ſe; ſi vero eadem ex ſtatu indifferentiæ transferenda in ſtatum averſionis, vel nolitionis, idem ſibi repræſentare debet tanquam malum quoad ſe. In caſu poſteriori, in quo indifferentia ſpeciali nomine indifferentia perfecti æquilibrii dici ſolet, ratio quædam ex parte una, vel extrinſeca, eaque levicula ſuperaccedere debet, ut appetitus flectatur in unam potius partem, quam in alteram (§. 898. 899. 900). Similitudo igitur conſiſtit in eo, quod non minus in libra, quam anima dentur tres ſtatus diverſi, quorum unus per ſe ineſt, aut in eo caſu, quo rationes ad utramque mutationem ſunt æquipollentes, quod ex primo non ſequatur reliquorum unus niſi poſita ratione ſufficiente.

Qui ſimile aliter explicant, illi ultra ſuum tertium idem extendunt & luxurianti imaginationi indulgent. Qui animam cum lingula ſive examine, appetitum cum brachio dextro, averſationem cum ſiniſtro, motiva cum ponderibus, motivis æquipollentibus ſuperaccedentem rationem cum præpondio, modum agendi ponderum in libram cum influxu motivi in animam comparant; talia proferunt, quæ noſtra minime facimus & quæ ad luſus verborum referimus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

De Libertate.

§. 916.

Voluntas quando cogi dicatur.

Voluntatem cogere idem eſt ac vi quadam externa animam determinare ad appetendum, vel averſandum. Dici etiam poteſt, *Voluntatem cogere* idem eſſe ac vi quadam externa eam adigere ad volendum, ſeu vi externa ex anima elicere volitionem. Et ex adverſo *Noluntatem cogere* idem eſſe ac vi quadam externa eam adigere ad nolendum, ſeu vi externa ex anima elicere nolitionem.

Exemplum hujus coactionis in medium proferre non licet, cum nullum detur.

§. 917.

Nam voluntas & noluntas cogi poſſit.

Voluntas & Noluntas non poteſt cogi. Si quid enim velle debemus, id nobis repræſentare debemus tanquam bonum quoad nos, & ſi quid nolle debemus, id nobis repræſentare debemus tanquam malum quoad nos (§. 892). Enimvero nulla vi externa effici poteſt, ut quid nobis videatur bonum, vel malum: quod nemo in dubium vocare poteſt. Quamobrem nec ulla vi externa effici poteſt, ut quid velimus, vel nolimus. Voluntas igitur & noluntas cogi non poteſt (§. 916).

Voluntatem non poſſe cogi luculento admodum exemplo in ſe ipſo ſumto probat *Thomas Campanella* Rerum Metaphyſ. part. 2. lib. 9. c. 6. art. 8. f. 198. quod per continuas quadraginta horas torturæ ſubjectus, venis arteriisque circa ſedem tormentorum immanitate diffractis & ingentem ſanguinis copiam emittentibus, referente *Nicio* in Pinacotheca Imaginum illuſtrium part. 1. p. m. 43, eo adigi non potuerit, ut ſe perduellionis reum confiteretur. Nolebat vir innocens dicere,

Digitized by Google

dicere, quæ erant a veritate aliena & famæ viri sapientis ac boni contraria: quod profecto motivum fortius erat dirissimis tormentis, quo eum ad volendum cogere volebant, quod nolebat, irrito plane successu.

Dudum agnovere philosophi acumine præditi voluntatem cogi non posse. Sunt tamen qui sibi persuadent contrarium experientia constare. Ipsam torturam esse medium cogendi voluntatem existimant, & verberibus compelli homines, ut velint, quod antea nolebant ajunt. Quamobrem ne dubium hoc nos moritur, sequentem addere libet propositionem.

§. 928.

Si quis quacunque vi externa, vel minis adhibitis alterum adigit, ut faciat, quod facere nolebat, vel omittat, quod facere volebat: voluntas & noluntas non cogitur, sed nolens vel volens nolitionem, vel volitionem mutat vi motivi ipsi suppeditati. Etenim si quis facere quid vult, id sibi repræsentat tanquam bonum (§. 892). Quodsi jam vi quadam externa impellitur ad idem nolendum, nec eidem resistere valet; hoc respectu id quod vult sibi repræsentat tanquam malum. Quamobrem cum bonum sit evitare malum, quod nemo non concedit, judicantis arbitrio relictum est, quodnam ipsi potius videatur. Quare si evitatio mali videatur potior, vel, ubi idem jam præsens experitur, liberatio ab eodem; jam agere non vult, quod antea volebat, quod sibi jam tanquam malum repræsentet, quod antea tanquam bonum repræsentabat. Vi igitur motivi ipsi suppeditati (§. 890) volitionem mutat in nolitionem, seu appetitionem in aversionem (§. 601).

Causa occasionales mutationis volitionis ac nolitionis.

Similiter si quis facere quid nolit, id sibi repræsentat tanquam malum (§. 892). Quodsi jam vi quadam externa impellitur ad idem volendum, nec eidem resistere valet; hoc respectu actionis omissionem malam judicat, ipsam vero actionem tanquam medium id, quod sibi molestum est, evitandi, vel a molestiis, quæ ipsi creantur, sese liberandi bonam quoad

se judicat. Quamobrem si malum minus judicat, ob quod quid nolebat, majus vero illud esse censet, quod ipsi creatur ab eo, ad cujus nutum actionem suam componere debet; minus malum pro medio evitandi majus habet, atque adeo illud sub ratione boni appetit (§. 897). Nolitionem adeo mutat in volitionem, seu aversionem in appetitum (§. 601), vi motivi ipsi suppeditati (§. 890).

Quoniam itaque tam in casu priori nolitio, quam in posteriori volitio vi motivi ab anima elicitur, nequaquam vero vi externa, quam anima tantummodo cognoscit *per demonstrata*; voluntatem ac noluntatem minime cogi, si quis vi externa, vel minis alterum adigit, ut faciat, quod facere nolebat, vel omittat, quod facere volebat, palam est (§. 916).

Idem confirmatur a posteriori. Ponamus Lazarum eleemosynam a Crœso petentem non modo verbis durioribus excipi, verum verberibus ac minis ex ædibus expelli. Quodsi jam eleemosynæ petendæ gratia alia vice exit, ac domum Crœsi divitis præterit, qui largas eleemosynas præbere poterat; vellet equidem eleemosynam a Crœso petere, sed minarum recordatus metu verberum eam petere non audet. Hic voluntatem non cogi, ut in Lazari anima invita eliciatur actus noluntatis, non multa attentione cognoscitur. Etenim volitio petendi eleemosynam a Crœso pendet a motivo, quod Crœsus possit ob divitias, quas possidet, largas dare eleemosynas & eas accipere bonum sibi judicet. Nolitio vero petendi eleemosynam a Crœso pendet ab altero motivo, quod sibi metuat a verbis durioribus ac verberibus, adeoque malum judicet durioribus verbis excipi atque plagis affici. Quoniam posterius certum ipsi videtur, prius vero admodum incertum, ita ut de eo desperet; motivum utique posterius prævalere debet, cum manifesta adsit ratio cur prævaleat (§. 118. *Oxtol.*). Propositionis præsentis veritas clarissima luce

inde

inde perfunditur quod non ſemper volens vel nolens cedat motivo a vi extrinſeca pendente; ſed principio rationis ſufficientis (§. 70. *Ontol.*) convenienter idem eveniat, quod conforme eſt motivo ob rationem ſufficientem prævalenti, quemadmodum ex dato modo exemplo manifeſtum eſt. Sane *Campanellæ* melius videbatur quosvis perpeti dolores, quam famæ jacturam facere juxta illud vulgatum:

Omnia ſi perdas, famam ſervare memento.

Quamobrem tormentis non cedebat, nec nolitionem in volitionem mutabat.

Atque adeo patet coactionem voluntatis ne concipi quidem poſſe, nec ullam ipſi reſpondere notionem. Tum demum cogi dici poſſet, ſi vi externa adigeremur ad eligendum id, quod putatur pejus: quale quidem exemplum nemo adhuc in medium protulit, nec poterit proferre unquam.

§. 929.

Si quid appetere, vel averſari debemus, idem ante cognoſcere debemus. Si quid enim velle aut appetere debemus, id nobis repræſentare tenemur tanquam bonum, & ſi quid nolle, vel averſari debemus, id nobis repræſentare tenemur tanquam malum (§. 892). Quoniam itaque judicare debemus, utrum ſtatum noſtrum internum perfectiorem (§. 554), an imperfectionem reddat (§. 565), utrum voluptatem (§. 612), an tædium creet (§. 613); objectum utique, circa quod verſatur facultas appetendi, præſertim in caſu priori, cognoſcere debemus. *Cognitio ejus quod appetimus vel avertamur.*

A poſteriori idem palam eſt. Ponamus te reperire gemmam pretioſiſſimam, ſed non politam, quam talem eſſe non agnoſcis; gemmam iſtam non tolles, immo ab altero tibi monſtratam abjicies, plurimum tibi indignaturus ubi cognoveris eſſe gemmam quantivis pretii. Immo ponamus adamantem non contemnendæ molis ex annulo delapſum in arena à te conſpici, dum in ſuburbio deambularis. Quoniam exiſtimas

esse gemmam factitiam ex vitro constantem, neque adeo eam agnoscis; eandem denuo tollere non cupis. In utroque casu gemmam nec appetis, nec aversaris, quod eam non cognoscis; avide eandem appetiturus, ubi cognosceres. Quodsi morbo quodam laborans videt in prato herbam, quæ remedium adversus eum præsentissimum est; herbam tamen istam non appetit, quod vel ejus virtutem ignorat, vel herbam, cujus ipsi virtus perspecta est, non agnoscit. Denuo, igitur ab herba non movetur, quod eam non cognoscit. Et quisnam, quæso, est, qui appetit fructus exoticos, quos ne fando quidem audivit? Eodem modo sese res habet cum actionibus, quarum determinatio in nostra potestate est. Nemo quid agere vult, quod ignorat; neque etiam actionem, quam ignorat, aversatur.

Propositioni huic æquipollet istud pervulgatum: *Ignoti nulla cupido.* Ventriculus digerit cibum, etsi digestionem non cognoscamus. Cor propellit sanguinem in arteriam pulmonariam atque aortam, etsi modum, quo id fiat, ignoremus. Renes urinam secernunt, etsi nobis non constet, quod hoc sit ipsorum officium. Immo ponamus hominem qui ignorat se hæc viscera habere, cum ne fando quidem de iis quicquam audiverit (id quod in infantibus promiscue omnibus recte supponi nemo nescit); hoc tamen non obstante singula suo defungentur munere. Ast appetitus & aversationis animæ longe alia est ratio. Non fertur anima nisi in cognitum, nec fugit nisi quod cognitum. Atque hæc differentia probe perpendenda, ut notionem libertatis intimius perspiciamus, atque fœcunditatem hujus principii in Moralibus agnoscamus.

§. 930.

Actionum cognitio cur necessaria.

Quoniam *anima* non appetit, nec aversatur incognitum (§. 929); *si quam actionem appetere, vel aversari debet, eam ante agnoscere tenetur: si quam vero non cognoscit, eam nec appetit, nec aversatur.*

Continetur hoc corollarium tanquam casus specialis sub propositione præcedente; unde hanc a posteriori confirmaturi ad actio-

nes

nes quoque humanas provocavimus, ut adeo a posteriori corollarium hoc jam fuerit confirmatum.

§. 931.

Motiva animam non cogunt ad appetendum, vel aversandum, hoc est, *non se habent per modum vis externæ, qua in animam agitur, & cui ab anima resisti non possit; sed tantummodo profligant casum purum.* Ponamus enim motiva se habere per modum vis externæ, qua in animam agitur, & cui anima resistere non possit. Nemo non novit positis istis motivis animam necessario appetere debere, ac aversari, prouti a motivis vel impellitur ad agendum, vel impeditur, ita ut actionem suspendere & se aliter determinare nullo modo possit. Enimvero experientia testatur, quod salvis motivis iisque ad appetendum sufficientibus appetitionem mutare possimus, si alia ex ratione nobis potius videatur actionem aliquam jam omittere, quam committere. Quare coactio intrinseca per motiva experientiæ repugnat, adeoque admitti nequit. *Motiva quomodo sese habeant.*

Enimvero quoniam motiva sunt ratio sufficiens volitionis ac nolitionis (§. 887), nec sine iis ulla datur volitio vel nolitio (§. 889); id motiva efficiunt, ne quid insit animæ quoad appetendi facultatem, cujus actualitas destituatur ratione sufficiente. Motiva igitur ex anima casum purum profligant (*§. 94. Casmol.*).

Videbimus in Psychologia rationali casum purum sapientiæ contrariari, consequenter ad perfectionem mentis humanæ requiri ut ex eadem exulet: tantum abest, ut inde quid detrimenti accipiat.

§. 932.

Anima se ipsam determinat ad volendum, vel nolendum, motivis suis convenienter. Etenim volitio & nolitio nec vi externa elicitur (§. 927. 928); nec motiva per modum vis externæ in animam agunt (§. 931). Quoniam tamen præter motiva nil datur in anima, dum appettit, vel aversatur (§. 890. 891); anima semetipsam determinare debet ad appeten- *Quomodo anima sese determinet.*

Digitized by Google

dum, vel averſandum. Quoniam tamen ſine motivis nec volitio, nec nolitio in anima datur (*§.* 889) atque ex motivis intelligitur, cur id potius velimus, quam non velimus, & id potius nolimus, quam non nolimus (§. 888); anima ſe ad volendum ac nolendum determinat motivis ſuis convenienter.

Propoſitionis præſentis veritas ex principiis Pſychologiæ rationalis clarius adhuc eluceſcet. Hic tamen prætermittenda non fuit, tum quod per eam manifeſtum ſit, quæ a poſteriori de anima innoſcant, & quod experimento in nobismetipſis ſumto confirmari poſſit ſingulis momentis, modo ſufficiente attentione & propoſitionibus, ad quas in demonſtratione provocamus, tanquam notionibus directricibus utamur; tum quod absque eo libertatis notio diſtincta formari minime poſſit.

§. 933.

Spontaneitas quid ſit.

Spontaneitas eſt principium ſeſe ad agendum determinandi intrinſecum. *Et actiones* dicuntur *ſpontaneæ*, quatenus per principium ſibi intrinſecum, ſine principio determinandi extrinſeco, agens easdem determinat.

Hinc jam *Ariſtoteles* monuit ſpontaneitatem tribui etiam rebus inanimatis & animantibus brutis, quatenus nempe ſine vi quadam externa; ſola vi interna per ſe moveri videntur. Ita ignis ſua ſponte moveri dicitur, quod nulla appareat cauſa externa, quæ motum ejus producit. Idem ſua ſponte extingui dicitur, dum a nulla cauſa externa accedente extinguitur. Similiter canis audiens vocem domini ſua ſponte accurrere dicitur, quia ſine cauſa externa in ipſum agente vi ſibi inſita motum pedum producit. Non jam inquirimus in veritatem horum aſſertorum; ſed tantummodo ad hæc exempla provocamus, quatenus inde patet nos vocabulum in ſignificatu recepto ſumere. Videatur *Goclenius* noſter in Lexico.

§. 934.

Volitiones ac nolitiones quod ſpontaneæ ſint.

Volitiones ac nolitiones animæ ſpontaneæ ſunt. Anima enim ſe ipſam determinat ad volendum, vel appetendum (§. 932), nec ulla vi externa ad volendum, vel nolendum determinari poteſt (*§.* 931). Quoniam vero iſta determinatio ratione ſufficiente non deſtituitur (*§.* 70. *Ontol.*); anima intrinſecum

Digitized by Google

ſecum habere debet ſeſe determinandi principium (§. 866. *Ontol.*) Volitiones igitur ac nolitiones animæ ſpontaneæ ſunt.

De hac ſpontaneitate nemo dubitat, ſed ultro eandem animæ tribuit, qui novit termini ſignificatum. Ceterum ſpontaneitas animæ non tantummodo apparens eſt, qualis eſt in gravi, dum ſpontaneo motu deſcendere dicitur; ſed vera: id quod uberiori luce illuſtrabitur in Pſychologia rationali, quamvis jam ex iis ſatis evidens ſit principiis, quibus ad evicendam veritatem propoſitionis uſi ſumus. Patebit vero deinceps ſpontaneitatem ingredi notionem libertatis. Unde *Ariſtoteles* quoque ad actionem liberam requirit ſpontaneitatem, ſeu ut ipſa ſit ſpontanea.

§. 935.

Contingentia volitionum ac nolitionum & actionum externarum.

Volitiones ac nolitiones animæ in ſe contingentes ſunt, ipſi etiam motus corporis a voluntate pendentes contingentes ſunt in ſe. Si quid volumus, id nobis repræſentamus tanquam bonum, & ſi quid nolumus, id nobis repræſentamus tanquam malum (§. 892). Enimvero cum motiva ſint iſtæ boni ac mali repræſentationes (§. 890), motiva vero animam non cogant ad appetendum, vel averſandum (§. 931), quin potius ubi ratio nobis ſuccurrit, cur potius volitionem omittamus, vel quod volebamus nolimus, volitio ceſſet, vel ejus loco nolitio naſcatur (§. 118. *Ontol.*), & idem eodem modo ſeſe habeat in caſu nolitionis; volitiones ac nolitiones mutabiles ſunt (§. 291. *Ontol.*), adeoque contingentes (§. 296).

Similiter motus corporis, quos anima vult, & qui ad nutum ejus in corpore conſequuntur, ita comparati ſunt, ut corpus ad eos atque oppoſitos iisdem æque diſpoſitum deprehendatur. Ita per ſtructuram corporis æque poſſibile eſt, ut jam ſedeam, quam ut ſtem, vel ambulem; ut os aperiam, vel ut idem claudam; ut brachium extendam, vel ut immotum idem detineam. Quoniam itaque motus oppoſiti æque poſſibiles ſunt, adeoque contradictionem nullam in ſe involvunt, quatenus ſcilicet iſtiusmodi corporis motus ſunt (§. 85. *Ontol.*); ideo contingentes ſunt (294. *Ontol.*).

Actio-

Digitized by Google

Actiones humanas, ad quas pertinent motus corporis a voluntate mentis pendentes, esse contingentes jam monuimus, (*not.* §. 294. *Ontol.*). Ceterum hanc actionum contingentiam ad libertatem requirit *Aristoteles*, ac quod id recte fiat vi propositionis præsentis patet.

§. 936.

Motus corporis quinam voluntarii, quinam involuntarii.

Motus corporis, qui pendent a voluntate animæ dicuntur *voluntarii*. E contrario *involuntarii* appellantur, qui ab eadem non pendent. Pendent autem a voluntate animæ, quatenus per eam intelligitur, cur jam fiant, seu ratio ipsorum est volitio animæ (§. 551. *Ontol.*).

Ita brachii extensio est motus voluntarius, quando fit anima volente. Sed motus cordis est motus involuntarius, qui fit sive velimus, sive nolimus.

§. 937.

Cur anima velit vel nolit.

Anima ex possibilibus eligit, quod ipsi maxime placet; & quia ipsi placet: non vult nisi quia ipsi placet quod vult; nec non vult, nisi quia displicet quod non vult. Quando enim anima quid vult, id sibi repræsentat tanquam bonum (§. 892), atque adeo voluptatem ex eo percipit tanto majorem, quo majus bonum videtur (§. 612), consequenter non vult, nisi quia ipsi placet quod vult (§. 542). Similiter quando anima quid non vult, id sibi repræsentat tanquam malum (§. 892), atque adeo tædium ex eo percipit tanto majus, quo majus malum videtur (§. 613), consequenter ideo anima quid non vult, quia displicet quod non vult (542).

Quoniam vero nolitiones ac volitiones in se contingentes sunt (§. 935), adeoque earum oppositum contradictionem nullam involvit (§. 294. *Ontol.*), consequenter æque possibile est (§. 85. *Ontol.*), volitio vero in anima datur, quod ipsi placet quod vult; nolitio autem, quod displicet quod non vult, *per demonstrata*; ideo anima præfert volitionem & nolitionem utriusque omissioni, seu statui indifferentiæ (§. 883) quod ipsi placeat.

Simi-

Digitized by Google

Similiter quando ex pluribus, quæ ipsi bona videntur, unum alteri præfert, id ideo fit, quod illud hoc melius esse judicet (§. 898) Quare cum ex eo majorem voluptatem percipiat, quod præfert alteri (§. 612); id præfert, quod ipsi placet (§. 542) adeoque etiam quia ipsi placet *vi num. 2.*

Immo quia rationibus intrinsecis deficientibus aliquid præfert ob rationes extrinsecas (§. 899), & ob easdem rationes actionem unam alteri præfert (§. 900); ideo bonum judicat hoc præferri alteri, vel actionem hanc alteri præferri (§. 892), adeoque denuo ex hoc agendi modo & electione ita instituta voluptatem percipimus (§. 612), consequenter hic agendi modus & electio hoc modo facta nobis placet (§. 542). Anima igitur eligit quod placet, consequenter electionem ita potius instituit, quam aliter, & hoc potius modo agit, quam alio, quia electio ita determinata, & hic agendi modus placet *vi num. 2.*

§. 938.

Lubenter facere dicimur, quando facimus quod nobis placet. *Minus lubenter* vero facere dicimur, quando facimus, quod in se spectatum nobis displicet. *Lubenter queando, quid fiat.*

E. gr. si nobis offertur occasio inserviendi alteri, quam diu expectaverámus; placet nobis succurrere alteri, cum ex eo voluptatem percipiamus, immo sæpius de oblata nobis occasione gaudeamus. Lubenter facere hoc dicimur, immo id contestaturi hanc reddimus rationem, quod non sine gaudio hoc faciamus. Enimvero ubi displicet, quod ut faciamus ab altero petitur, id minus lubenter nos facere dicimus. Minus nempe lubenter facimus, quatenus actionem in se consideramus, scilicet quod commendare debeamus hominem commendatione nostra indignum: etsi lubens id faciamus respectu circumstantiarum specialium, quod sic jubeat patronus, quem offendi a nobis consultum non est.

§. 939.

Anima lubenter vult, quicquid vult. Etenim ideo quid vult, quod ipsi placet, & ex pluribus possibilibus eligit, quod ipsi maxime placet, & quia ipsi placet (§. 937). Enimvero qui facit, *Lubentia animæ in appetendo & aversando evincitur.*

Digitized by Google

facit, quod placet, is lubenter id facit (§. 938). Ergo etiam anima lubenter vult, quicquid vult.

A posteriori probatur ex eo, quod cum infantes, quirationes confusas, ob quas quid appetunt, vel etiam adulti, quando rationem cur quid velint, vel appetant, aut ignorant, aut celant, quæsiti cur id velint, vel cur hoc faciant, respondere soleant: se hoc velle, vel facere lubenter in sermone nobis vernaculo. Ich wil es gerne/ ich thue es gerne/ vel brevius: ſo gerne. Eccur vero ita respondent; Sane non ala de causa, quam quod sibi optime conscii sint, quod lubenter id velint, vel faciant.

§. 940.

Volitiones ac nolitiones non per essentiam determinatæ sunt.

Volitiones ac nolitiones per essentiam animæ determinatæ non sunt. Volitiones enim ac nolitiones in se contingentes sunt (§. 935), adeoque mutabiles (§. 295 *Ontol.*) consequenter salva essentia non inesse possunt (§. 290. *Ontol.*). Quoniam itaque inter modos animæ referendæ sunt (§. 151. *Ontol.*), per essentiam ejus determinatæ non sunt (§. 148. *Ontol.*).

Propositionis præsentis veritas clarius elucescet in Psychologia rationali, ubi ostenderimus, in quonam essentia & natura animæ consistat. Sane si per essentiam determinata esset anima ad has potius volitiones, quam ad alias; motivis opus non haberet, quæ sunt rationes ab objecto petitæ, adeoque non ab anima volente desumtæ, veluti motus cordis per essentiam ipsius determinatus rationem sui agnoscit in cordis structura, sive essentia, ob quam non alius, quam qui contingit, possibilis.

§. 941.

Libertatis definitio.

Animæ libertas est facultas ex pluribus possibilibus sponte eligendi, quod ipsi placet, cum ad nullum eorum per essentiam determinata sit.

Ad libertatem adeo requirimus volitionum & actionum, quas volumus, contingentiam; intelligentiam objecti appetibilis, vel aversabilis, spontaneitatem ac lubentiam. E. gr. librum in bibliopolio libere emimus. Eum vero cognoscimus, qualis sit, antequam emendi cupiditas animum incedit. Non minus possibile est, ut librum emamus, quam non emamus: emimus autem, quod is nobis

Digitized by Google

bis placet, ac lubenter enimus. Quæ igitur in actione libera observamus, ea definitionem libertatis, quam hic damus, ingrediuntur.

§. 942.

Anima in volendo ac nolendo libera est. Antequam enim objectum appetit, vel aversatur, idem cognoscere studet (§. 929), quodque sibi placere deprehendit & quod plurium possibilium maxime placet, id eligit (§. 937), sponte (§. 934) ac lubenter (§. 939), per essentiam ad volitiones hasce ac nolitiones minime determinata (§. 940). Est igitur libera (§. 941). *Libertas animae adstructa.*

Istiusmodi libertatem animæ competere a posteriori liquet, quotiescunque libere agimus, seu actionem edimus a voluntate animæ pendentem. Patet id ex eo, quod ad illustrandam definitionem adduximus, exemplo (*not.* §. 941), ut adeo aliud afferri præterea non opus videatur.

Habemus hic notionem libertatis, qualem nobis suggerit experientia. Non fingimus ad arbitrium, quod an animæ insit ostendi minime potest: sed tribuimus animæ ea, quorum unusquisque sibi conscius est, & quorum observatio notionem libertatis animæ invexit. Notio quoque ista fœcunda est, quemadmodum in Moralibus suo loco constabit. Rationi eadem conformis est, cum magno illo principio rationis sufficientis sit consentanea. Tota etiam pragmatica est, cum ex fonte omnis Ethicæ praxis fluat.

§. 943.

Libertatis definitio non contrariatur recepto termini significatui. Libertatem definit D. *Thomas* per vim seu facultatem electivam. Definimus & nos libertatem per facultatem eligendi; quid sibi vero velit ista electio clarius ostendimus. *Io. Baptista de Hamel* in Phil. Vet. & Nov. Tom. 2. Phil. mor. Tract. 2. disp. 3. quæst. 5. p. m. 98. definitionem *Thomæ* defensurus: Libertatis, inquit, usus in electione consistit, ac sublata electione omnis actus libertatis tollitur. Cum enim voluntas ita in objectum propositum determinate fertur, ut eo relicto in aliud flecti non possit, aut saltem quoad circumstantias id non fit aliquo modo indeterminatum, tum nullus relinquitur libero arbitrio locus. Ex nostris autem principiis patet, animam per essen- *Num definitio libertatis sit recepto significatui contraria.*

Digitized by Google

tiam ſuam non eſſe determinatam ad volitiones ac nolitiones ſingulares (§. 940); ſed ſponte eligere, quod maxime placet (§. 937). Atque adeo eadem definitioni noſtræ inſeruimus, ut eſſet completa. Monet idem *du Hamel* loc. cit. Libertatem poſſe definiri per vim ſui ipſius determinatricem, quia ſcilicet voluntas nec a natura, nec a cauſa extrinſeca ad agendum determinata. Nos vero itidem evicimus animam non eſſe ad volitiones ac nolitiones ſingulares determinatam (§. 940), ſed ſemetipſam determinare motivis ſuis convenienter (§. 932). Sumimus libertatem pro facultate animæ electiva & ſui ipſius determinatrice, quemadmodum vult D. *Thomas* & *du Hamel*: qualis vero ſit iſta electio & determinatio experientiæ ac rationi convenienter explicamus. Atque adeo certi ſumus, nos vocabulum in ſignificatu recepto adhibere, quamque eidem aſſignamus notionem poſſibilem eſſe.

Non plura afferimus ad evincendam veritatem propoſitionis præſentis; ſufficit enim ea, quæ de libertate docemus, veritati eſſe conſentanea ac fœcunda in philoſophia morali ac civili principia; id quod ſuo loco abunde patebit. Noſtra philoſophia tota quanta pragmatica eſt, de conformitate notionum cum ratione ac experientia unice ſollicita, conſenſum vero aliorum, vel diſſenſum parum curans.

§. 944.

Notio libertatis ſpuria. ***Libertas animæ non conſiſtit in facultate ſeſe ſine motivis, immo contra motiva ſeſe determinandi.*** Etenim ſi ſe determinat ſine motivis ad volendum, vel nolendum; in anima dari poſſunt volitiones ac nolitiones abſque motivis: quod cum & rationi, & experientiæ repugnet (§. 889); abſurdum eſt, conſequenter animæ iſtiusmodi facultas competere nequit, adeoque vera, quæ eidem competit, libertas in iſtiusmodi facultate conſiſtere nequit.

Ponamus animam ſeſe determinare contra motiva, nulla ratione in contrarium oblata, quæ iſtis prævalet: id quod hic ſupponitur. Quoniam motiva objectum nobis repræſentant tanquam bonum quoad nos, vel tanquam malum quod nos (§. 890); id qui-

Digitized by Google

quidem nolemus, quod nobis tanquam bonum repræsentamus, at volemus, quod nobis repræsentamus tanquam malum. Objectum igitur aliquod volemus, quatenus malum est; nolemus, quatenus bonum est, non autem malum volemus sub ratione boni, nec bonum nolemus sub ratione mali: quod cum denuo & rationi, & experientiæ repugnet (§. 896), absurdum est, consequenter istiusmodi facultas animæ competere nequit, adeoque vera, quæ eidem competit, libertas in istiusmodi facultate consistere nequit.

Inutilis animæ foret istiusmodi libertas, quemadmodum facile perspicit, qui in philosophia morali ac civili hospes non est ac ad negotia humana attentionem affert; immo noqua prorsus foret, cum ipsi nil prodesset rationis cultura.

§. 945.

Determinatio animæ ad volendum & nolendum est fundamentum totius philosophiæ moralis atque civilis, seu ideo philosophia moralis & civilis una cum jure naturæ datur, quia anima se per motiva determinat ad volendum & nolendum. In Jure naturæ demonstratur, quænam actiones sint per se honestæ, quænam per se turpes, quodque ad illas committendas, ad has omittendas obligetur homo. Quoniam anima se determinare potest ad volendum, quatenus sibi quid repræsentat tanquam bonum, & ad nolendum, quatenus quid sibi repræsentat tanquam malum (§. 892), ideo ad committendas actiones honestas, ad omittendas turpes se determinare potest, quatenus cognoscit illas esse sibi bonas, has esse sibi malas. Præscribi adeo ipsi potest lex naturæ, quatenus habet facultatem sese determinandi per motiva, hoc est, quatenus vult, quod sibi tanquam bonum repræsentat; non vult, quod sibi repræsentat tanquam malum. Adeoque ista determinatione admissa possibile est homini præscribi jus naturæ, quod urget actiones per se bonas committendi, per se malas omittendi. *Fundamentum philosophiæ moralis & civilis ac juris naturalis.*

Similiter in Ethica ostenditur, quomodo homo eo perduci possit, ut volitiones ac nolitiones determinet legi naturæ convenienter: ubi enim id sæpius fecerit, habitum sibi acquirit juri

Digitized by Google

naturæ convenienter actiones suas determinandi, in quo virtutem consistere constat. Jam ubi anima se determinare potest per motiva, repræsentando sibi actionem tanquam bonam, ut eam appetat; tanquam malam, ut eam aversetur; per motiva ab actionibus jure naturali præscriptis quomodo determinetur voluntas atque noluntas doceri potest. Ethica igitur possibilis, quia anima se per motiva determinare potest.

In philosophia civili omnia tandem ex eo pendent, quod homines civiliter obligari possint ad aliquid faciendum, vel omittendum. Compellimus vero eos ad obedientiam imperatibus præstandam partim metu pœnarum, partim metu executionis; subinde eos excitamus præmiis. Pœnæ & executio malæ sunt; præmia bona. Cedit pœnis, cedit executioni, instigatur præmiis homo, quia se determinare potest ad agendum & nolendum, quatenus quid sibi repræsentat tanquam bonum & tanquam malum. Philosophia adeo civilis datur & constitutio Rerump. possibilis, quia anima se per motiva determinat ad volendum ac nolendum.

Singula hæc suo tempore ex philosophia practica, quam finita Metaphysica dabimus, clarius multo ac evidentius constabunt. Hic tamen consultum duximus monere, quos ferat fructus notio libertatis genuina, ne qui sibi aliisque persuadere nituntur, libertatem animæ in eo consistere, quod possit agere sine motivis ac contra motiva, existimet admissa determinatione animæ ad volendum & nolendum per motiva tolli jus naturæ, tolli virtutem, tolli societates civiles, cum potius eadem posita poni possit jus naturæ, poni virtus, poni societates civiles possint; ex eo autem, quod anima velit sine motivis ac contra motiva nemo deducere valeat, quomodo homo vel naturaliter, vel civiliter obligari & ad virtutem fugamque vitiorum perduci possit. Sed plura suo loco.

§. 946.

Indifferentia exercitii. Quo sensu dici possit animam per se esse indifferentem ad agendum, vel non agendum atque adeo eidem tribui *indifferentia exercitii* cum Scholasticis, & in Annotationibus in Methaphysicam Germanicam docui, & ex iis perspicue docuit

Thum-

Thümmigius in Institut. Psychol. empir. §. 152. Nimirum quia anima eligere potest, quod ipsi maxime arridet, vi notionis libertatis (§. 943), quam ipsi vindicavimus (§. 944): ideo ex necessitate naturæ suæ determinata non est ad hoc, vel illud agendum, ad agendum hoc vel isto modo (§. 940). Hoc observantes Scholastici eidem indifferentiam exercitii tribuerunt.

Sive quis voce ista utatur, sive ab eadem abhorreat, nobis quidem perinde est, cum a denominatione nulla pendeat veritas. Neque ulla necessitas est, ut termino isto utamur, cum de ista exercitii indifferentia nihil nobis sit demonstrandum, sed quicquid potius ad facultatem appetitivam spectans demonstrandum venit, id omne deducitur ex lege appetitus & aversationis (§. 904. 907) ac inde derivatis regulis (§. 909. & seqq.). Lex appetitus ac aversationis est principium rationi & experientiæ consentaneum, omni ævo agnitum & Theologis dudum approbatum.

CAPUT III.

De commercio inter mentem & corpus.

§. 947.

De commercio inter mentem & corpus non tradimus, nisi, Institutum Autoris. *quæ indubia experientiæ fide constant.* Versamur enim in Psychologia empirica. Quare cum in eam non admittantur nisi ea, quæ de anima per experientiam nobis innotescunt (§. 1.); de commercio quoque inter mentem & corpus tradi hic nequeunt, nisi quæ indubia experientiæ fide constant.

Quæ igitur hic traduntur, ab omni hypothesi libera sunt, ac a nemine in dubium vocantur vel vocari possunt, principia inconcussa Ethicæ ac Politicæ, immo Theologiæ, ideo ab hypothesibus separata, ne quid ab earum incertitudine trahere videantur iis, qui non satis acuti sunt.

§. 951.

Digitized by Google

§. 948.

Mutatio mentis a mutatione in organis ſenſoriis pendens.

Si objecta externa in organa ſenſoria rite conſtituta agunt, eo ipſo momento oriuntur quoque in mente perceptiones, quibus eadem tanquam extra nos repræſentamus. Si oculus obvertitur arbori flores ac frondes tempore verno emittenti, ut lumen in eundem illabi poſſit; eo ipſo momento conſcii nobis ſumus arboris cum frondibus atque floribus tanquam extra nos præſentis certoque intervallo a nobis diſtantis. Lumen hic inducit mutationem oculo; quæ qualis ſit hic non diſquirimus, ſuo tempore in Phyſica explicanda & experimentis confirmanda: Mens arborem cum floribus ac frondibus ſibi repræſentans eandem percipit (§. 24). Poſita igitur mutatione in oculo ponitur perceptio in mente: ceſſante mutatione in oculo eandem quoque ceſſare conſtat. Nullum vero percipitur temporis intervallum inter mutationem, quæ fit in oculo, & inter mutationem in mente contingentem. Obverte enim arbori oculos clauſos. Dum eosdem aperis, arborem in eodem temporis momento vides. Lumen illico ingreditur in oculum apertum; ſed illico etiam vides. Ne minimam igitur morulam obſervabilem inter mutationem oculi atque animæ intercedere certi ſumus: an inobſervabilis quædam intercedat, experientia definiri nequit. Similiter dum ſonus in aurem illabitur, ejus nobis conſcii ſumus tanquam extus exiſtentis & ubi vox loquentis ad aures defertur, ejus nobis optime conſcii ſumus, eamque diſtincte percipimus. Nullius quoque moræ inter mutationem, quæ auri inducitur, ſuo tempore in Phyſica explicandam, & inter perceptionem intercedentis nobis conſcii ſumus: an vero imperceptibilis quædam morula intercedat experientia decidere minime licet. Eodem modo ſese res habet cum guſtu, cum olfactu, cum tactu: quæ cum notiſſima ſint ut ſpecialibus exemplis illuſtrentur opus non eſt. Abunde igitur conſtat propoſitionis præſentis veritas.

Coincidit hæc propoſitio cum lege ſenſationum, quam ſupra (§. 83) explicavimus, ut adeo hic ad eandem provocare potuiſſemus, niſi con-

Digitized by Google

consultum fuisset ea, quæ ad commercium inter mentem & corpus spectant, in propositiones determinatas redacta & ex obviis unicuique observationibus deducta uno quasi obtentu comprehendenda sisti.

§. 949.

Mutationum in organo sensorio & in mente coëxistentia, nulla vero ejusdem ratio, neque in specie actio quædam corporis in mentem observatur. Mutationum in organo sensorio & in mente eodem momento, seu simul nobis conscii summus (§. 902), atque adeo ad perceptiones nostras attenti cognoscimus, eas coëxistere, consequenter coëxistentiam experimur (§. 664. *Log.*) Sed quantacunque attentione utamur, nullius tamen rei nobis conscii sumus, ex qua intelligere possimus, cur mutatio in mente coëxistat mutationi in organo sensorio, consequenter rationem nullam experimur (§. *cit. Log.* & §6. *Ontol.*) Nec in specie nobis conscii sumus ullius actionis corporis in mentem, consequenter nec eam experimur (§. *cit. Log.*).

Anpraeter istarum mutationum coëxistentiam earum ratio observetur.

Hæc ideo addimus, ut vitium subreptionis evitemus, quod vulgo committitur (§. 668. *Log.*), ne in Psychologia rationali hoc præjudicio capti in falsas ac spurias hypotheses explicandi commercium inter mentem & corpus incidamus ac pro evidentibus venditemus, quæ nullam evidentiam secum ferunt.

§. 950.

Ex eo, quod actionem corporis in mentem idearum sensualium productricem non experiamur in nobis, inferri nequit, quod non detur. Quodsi enim ex eo, quod actionem corporis in mentem idearum sensualium productricem non experiamur in nobis, inferamus, quod non detur; hoc nitimur principio: illud non dari, quod non experimur seu observare non possumus, dum contingit. Sed hoc principium esse falsum, nemo non agnoscit. Ex eo igitur non sequitur, corpus in mente sua vi producere ideas sensuales, quod actionem istam non observemus. Vel nitimur principio hoc altero: Quod in anima non contingat, cujus nobis non sumus conscii. Sed hoc principium non minus a veri-

An actio corporis in mentem ideo neganda, quod eam non observemus.

Digitized by Google

tate aberrare, ex ſuperioribus non uno modo patet, veluti ex obſcuratione idearum debiliorum per fortiores (§. 82). ac in Pſychologia rationali contrarium oſtendemus.

§. 951.

Dolorum, in firmitatum & laſſitudinis perceptio.

Anima percipit dolores ac infirmitates & laſſitudinem corporis. Hæc adeo clara ſunt & unicuique explorata, ut ad ea confirmanda exemplis nullis ſit opus.

Facile apparet propoſitionem præſentem tanquam caſum ſpecialem ſub lege ſenſationum, ſeu conſentiente cum eodem principio (§. 901) comprehendi.

§. 952.

Motus extraordinarii fluidorum in corpore in mente perceptio.

Si ſanguis ac fluidum nerveum extraordinario modo commovetur; confuſa quædam in mente perceptio & veluti quædam perturbatio eſt, quæ motu ceſſante & ipſa ceſſat. Extrordinarius iſte ſanguinis ac fluidi nervei in corpore motus datur, quando anima affectibus commovetur (§. 611), ac inprimis obſervabilis eſt in ira vehementiore atque terrore. Enimvero quis eſt qui neſciat in ira vehementiore confuſam quandam perceptionem adeo occupare mentem, ut vix ac ne vix quidem diſtincte quid percipiat, primo præſertim impetu animum invadente. Immo quis eſt qui neſciat terrore mentem adeo percelli, ut quaſi attonita hæreat nec ſui ac aliarum rerum extra ſe ſibi amplius conſcia ſit, ſenſu velut omni evaneſcente, ut ideo mens ad ſe redire dicatur, ubi denuo ſenſu quid a nobis percipi conſcii ſumus. Enimvero ſi motus ſanguinis ac fluidi nervei ad motum ordinarium revertitur, impetu illo extraordinario ſedato; iram quoque ſedari & terrorem ceſſare ac mentem ad priſtinam ſtatus tranquillitatem redire obſervamus. Immo ſi quis attentionem ad iſtiusmodi mutationes affert, haud obſcure obſervabit tamdiu perceptionis iſtius, quæ animam perturbat, quidpiam ſupereſſe, quamdiu ſanguinis motus extraordinarius non prorſus ſedatus, & illam ſucceſſive langueſcere, quemadmodum hic ſucceſſive ab irregularitate ſua recedit.

Evi-

Digitized by Google

Evidentius multo haec patebunt in Psychologia rationali. Quamobrem ad specialia non descendimus, quae Medicorum imprimis observationes nobis suggerere poterant.

§. 953.

Quorundam organorum corporis motus statim consequuntur, quando anima eosdem vult; tamdiu durant, quamdiu anima eosdem vult; extemplo sistuntur, quamprimum anima eosdem non vult. Sunt tamen etiam partes quaedam corporis vel facile mobiles, quarum nullus ad nutum mentis sequitur motus. Nemo non novit me brachium extendere posse, quoties volo, & quamprimum volo. Me manum, dum scribo, una cum digitis movere posse, prouti ex intentione scribendi & illam, & hos movere volo. Motus ille cessat, quamprimum non amplius scribere volo, adeoque nec manus, nec digiti moventur amplius, quamprimum illam cum his amplius moveri nolo. Similiter pedes movere possum, quando libuerit & motum eundem continuare, quamdiu mihi commodum videtur deambulare. Faciem obvertere possum objecto, quod contueri volo. Sed in re manifesta non opus est cumulari exempla. Diximus in superioribus motus istos voluntarios (§. 936.), & eos tanquam experientia claros sine demonstratione, aut probatione admisimus. Quod vero etiam dentur partes corporis, quae ad nutum mentis non moveantur, etsi facilius moveri possint ceteris, quae mentis imperio subsunt, a posteriori non minus liquet. Cor in continuo motu est: sed motus iste non sistitur, anima motum ejus nolente. Similiter constat, motum cordis accelerari posse ac retardari: pulsus enim, qui eidem congruit, nunc acceleratur, nunc retardatur. Immo ipsa manu acceleratio motus cordis deprehenditur, si eam illius thoracis parti applicemus, sub qua cor latet. Nobis tamen volentibus nec acceleratur, nec retardatur cordis motus. Capilli maxime mobiles sunt: anima tamen eos movere nequit, etsi ipsos moveri velit.

Motus corporis a voluntate animae pendentes.

Digitized by Google

Sunt rationes finales, cur quædam corporis partes imperio mentis subjectæ sint, quædam vero eidem minime pareant. Sed in eas demun in Teleologia inquirendum nobis erit. Ceterum per istas patet, cur hæ præcise, non aliæ mentis imperio subjiciantur; hæ præcise, non aliæ eidem subducantur.

§. 954.

In quantum ab eodem pendeant.

Motus voluntarii in corpore non consequuntur, nisi organis rite constitutis, nec alii consequuntur, quam per structuram organorum ac vires corporis possibiles. Ita si quis fuerit claudus, vitio pedum nonnisi claudicare potest. Talis adeo ad nutum animæ consequitur motus, qualis per structuram organi possibilis. Non possumus obtorto collo respicere quæ a tergo sunt, propterea quod structura colli non fert caput ita moveri, ut facies tergo contermina fiat. Frustraneum hic est mentis imperium. Similiter non possumus currere tanta celeritate, quanta volumus, sed tam celeri gradu progredi debemus, quam ferunt corporis vires. Non possumus tantum tollere pondus, quantum vires corporis permittunt. Musculo dissecto, brachium moveri nequit. Musculo nimis intumescente, pedis impeditur motus. Atque adeo patet, motus voluntarios non consequi nisi organis rite constitutis, quemadmodum ex anterioribus palam est eos esse tales, quales per structuram organorum corporisque vires consequi possunt.

In Physica patebit clarius, quod motus, quales in organis corporis observantur, toti sint per structuram & naturam corporis explicabiles, & quod per ea, quæ corpori insunt, pateat, cur tales potius sint, quam alii. Nimirum ex structura & natura corporis patet, quales sint possibiles motus: per experimenta & observationes constat, non alios unquam existere nisi eos, quos possibiles a priori intelligimus.

§. 955.

Quomodo motus isti pendeant a

Volitionum animæ & motuum in corpore, itemque nolitionum ac cessationis motus in eodem corpore coëxistentium; nam autem animæ in corpus actionem, qua motus isti producantur

Digitized by Google

vel sistantur, observamus, immo nec ullam observamus rationem, cur ad nutum animæ ciantur & sistantur. Quamprimum volumus motus voluntarios, in corpore quoque consequuntur (§. 953), adeoque existente volitione hujus motus in mente existit etiam motus in corpore. Coëxistentiam adeo volitionis atque motus organi corporis observamus. Similiter quamdiu volumus motum illum continuari, eundem quoque continuari experimur (*§. cit.*), adeoque cum volitione in mente motus in corpore continuatur: id quod denuo arguit, nos motus in corpore ac volitionis in mente coëxistentiam observare. Enimvero quacunque attentione utaris & quantamcunque aciem in temetipsum convertas, nullius tamen actionis tibi conscius es, qua motum istum, sive dum inchoatur producas; sive dum continuatur continues, sive dum finitur sistas. Nullam igitur actionem animæ in corpus observas. Immo quantaque attentione utaris, nihil in anima observare poteris, unde intelligatur cur jam brachium potius moveatur, quam non moveatur, cur hoc potius modo moveatur, quam alio, nisi quod observes animam velle istiusmodi motum: ex eo autem quod velit non intelligitur, cur potius sequatur, quam non sequatur. Nullam adeo motus istius in corpore rationem sufficientem in anima observare licet. *nutu animæ nunc constet.*

§. 956.

Ex eo, quod animæ actio in corpus a nobis non observatur, colligi nequit, quod non detur. Eodem prorsus modo probatur, quo supra probavimus, ex eo, quod actio corporis in animam non observetur, eam rejici minime posse §. 950.) *An sit rejicienda.*

Nec *Cartesius* ideo eandem rejecit, quod eam in nobis non observemus, sed vi suæ hypotheseos de essentia animæ.

§. 957.

Anima ignorat modum, quo motus organorum perficitur. Constat enim experientia, dissectis musculis & dissectis ligatisque nervis in eum tendentibus, nullum in ea parte corporis *Modus, quo motus in corpore perficitur, ani-*

Digitized by Google

ma ignotus.

fieri poſſe motum, quæ mediante iſto muſculo movetur. Sed anima ignorat muſculos & nervos eſſe inſtrumentum, quibus motus perficitur, niſi per experimenta idem didicerit. Immo ignorat modum, quo muſculi & nervi perficiunt organi motum, ita ut hodienum Phyſici ac Medici de motu muſculorum in diverſas abeant ſententias.

§. 958.

Motuum voluntariorum mira velocitas.

Multi motus voluntarii continuo variantes in corpore mira velocitate contingunt, quibus reſpondentes volitiones particulares in anima non obſervamus. Conſtat veritas aſſerti ex ſermone per longum temporis ſpatium continuato; ex motibus brachiorum & manuum tympanum pulſantis; ex motibus pedum aliorumque membrorum corporis ſecundum artem ſaltantis, vel etiam inter colloquendum & meditandum deambulantis: ut exempla alia innumera ſilentio prætereamus.

Abſit vero ut quis hinc inferat, voliriones particulares nullas dari. Id enim inferri non poſſe liquet ex ſupra dictis (§. 950).

§. 959.

Quorumnam ratio in mente ex corpore reddi poſſit.

Ex mutationibus in organis ſenſoriis ratio redditur, non cur oriantur perceptiones in mente, ſed cur jam oriantur & cur hæ potius oriantur, quam aliæ, ſeu brevius: *Ex mutationibus in organis ſenſoriis ratio reddi poteſt continuitatis temporis, quo perceptiones in mente cum mutationibus in organo contingunt & ſpecificationis earundem perceptionum.* Quoniam enim experientia conſtat, poſitis mutationibus in organis ſenſoriis poni perceptiones in anima & poſitis his in ſpecie mutationibus in anima poni has in ſpecie perceptiones in mente (§. 951); ex mutationibus in organo ſenſorio intelligitur, cur jam potius, quam alio tempore & hæ potius quam aliæ perceptiones oriantur; haud quaquam vero ſimpliciter intelligitur cur oriantur ſeu actu fiant. Quamobrem evidens eſt ex mutationibus in organis ſenſoriis rationem reddi non poſſe cur oriantus perceptiones in mente, ſed cur jam hæ potius, quam

aliæ

aliæ oriantur, seu ratio redditur non actualitatis perceptionum, sed specificationis & simultaneitatis seu continuitatis temporis, quo mutationibus in corpore coëxistunt (§. 56. *Ontol*).

Ne distinctio, quæ in propositione præsupponitur, videatur nimium subtilis, ad eam illustrandum conducunt, quæ alibi jam fusius exposuimus (*not.* §. 41. 42. & 43. *Cosmol.*)

§. 960.

Ex volitionibus ac appetitionibus animæ redditur ratio non cur motus in organis corporis fiat, sed cur jam fiat & cur hic potius fiat, quam alius, seu brevius: *ratio continuitatis temporis, quo volitiones & motus contingunt, & specificationis motuum horum.* Ostenditur propositio eodem prorsus modo, quo antecedentem probavimus (§. 959). *Quarum-nam ratio in corpore ex anima reddi possit.*

Per ea, quæ de anima a posteriori innotescunt, nondum intelligitur, num etiam ratio actualitatis perceptionum ex corpore & motuum ex anima reddi possit; non tamen propterea negatur, sed deficiente ulteriori lumine, in dubio relinquitur.

§. 961.

Anima a corpore dependet quoad perceptionum specificationem & tempus, quo contingunt; corpus vero dependet ab anima quoad specificationem motuum voluntariorum in corpore & tempus quo iidem contingunt. Etenim ex mutationibus in organis sensoriis ratio redditur specificationis perceptionum in anima & continuitatis temporis, quo utræque mutationes contingunt (§. 959), & ex volitionibus in anima ratio redditur specificationis motuum voluntariorum & continuitatis temporis, quo illa cum his contingunt (§. 960). Quoniam itaque aliquid animæ inexistit, cujus ratio ex corpore reddi potest, & vicissim aliquid in corpore contingit, cujus ratio ex anima redditur; anima a corpore & corpus ab anima dependet (§. 831. *Ontol.*), & quidem illa quoad specificationem perceptionum, hoc quoad specificationem motuum, ambæ vero substantiæ a se invicem dependent quoad continuitatem temporis mutationum harmonicarum *per demonstrata*. *Anima & corporis mutua a se invicem dependentia.*

Hæc

Hæc nimirum non alia dependentia experientia magistra constat, quam in Psychologia empirica unice audimus (§. 1.)

§. 962.

Unio animæ quid sit.

Dependentia animæ a corpore quoad specificationem perceptionum & continuitatem temporis, a quo cum mutationibus in organis sensoriis contingunt, & corporis ab anima quod specificationem motuum voluntariorum & continuitatis temporis, quo cum volitionibus animæ contingunt *Commercium mentis cum corpore* vocatur.

Quomodo hoc commercium subsistere possit, in Psychologia rationali inquiremus, ubi ratio reddenda eorum, quæ in corpore observantur.

§. 963.

Unio mentis cum corpore.

Quoniam ex mutua illa corporis & animæ a se invicem dependentia intelligitur, corpus illud ad animam & animam ad hoc corpus pertinere (§. 961), consequenter respectu corporis hanc animam nostram appellamus, prouti hoc corpus respectu animæ nostrum appellare solemus (§. 58); *utrumque ens unam substantiam compositam constituere* inferimus & ideo *mentem cum corpore unitam* dicimus.

In quonam unio illa consistat, tum demum patebit, ubi ratio commercii mentis cum corpore a priori manifesta fuerit.

§. 964.

Regimen corporis quale animæ tribuatur.

Et quia anima decernit libere motus voluntarios (§. 941), nec corpus eidem resistere valet, ut motus, quos vult, non sequantur (§. 953); *anima corpus regere* dicitur: ut adeo per *Regimen corporis*, quod tribuitur animæ, intelligatur facultas ex pluribus motibus voluntariis per structuram corporis possibilibus libere determinandi eum, qui actum consequi debet.

Quæ hic de commercio inter mentem & corpus experientia magistra tradimus, ea Theologo, Jcto, Medico & Philosopho in philosophia morali ac civili sufficiunt, quemadmodum suo loco apertius docebimus.

FINIS *Psychologiæ empiricæ.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM, CONSPECTUM TOTIUS OPERIS EXHIBENS.

Prolegomena, 1

PARS I.

De Anima in genere & Facultate cognoscendi in specie.

SECTIO I.

Caput 1.

De existentia animæ humanæ, 11

Caput 2.

De modo cognoscendi animam, 23

SECTIO II.

De facultatis cognoscendi parte inferiori.

Caput 1.

De differentia perceptionum formali, 29

Caput 2.

De sensu, 56

Caput 3.

De imaginatione, 91

Caput 4.

De facultate fingendi, 138

Caput 5.

De Memoria, oblivione & Reminiscentia, 175

SECTIO III.

De Facultatis cognoscendi parte superiori.

Caput 1.

De Attentione & Reflexione, 234

Caput 2.

De Intellectu in genere & Differentia cognitionis, 266

Caput 3.

De tribus Intellectus operationibus in specie, 325

Caput 4.

De Dispositionibus naturalibus & Habitibus intellectus, 425

PARS II.

De Facultate appetendi in specie & Commercio inter Mentem & Corpus.

SECTIO I.

De Facultatis appetendi parte inferiori.

Caput 1.

De Voluptate ac Tædio, nec non Notione Boni ac Mali, 509

Caput 2.

De Appetitu sensitivo & Aversatione sensitiva, 579

Caput 3.

De Affectibus, 603

SECTIO II.

De Facultatis appetendi parte superiori & Commercio Mentis cum Corpore.

Caput 1.

De Voluntate & Noluntate, 880

Caput 2.

De Libertate, 926

Caput 3.

De Commercio inter Mentem & Corpus, 947

FINIS.

Conspectus totius operis.

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
IN QUO NUMERI PARAGRAPHOS DENOTANT.

A.

Absens quid dicatur, 63
Absentia corporis in dato loco, 64
Abstractiones quomodo claræ fiant ac distinctæ, 284
Abstractorum scala, 334
Abstrahendi facultas. Definitio, 282. exercitium, 283. & seqq.
Acquiescentia in seipso. Definitio nominalis, 749. realis, 751. existentia evicta, 750. qualis sit affectus, 753. 763. effectus, 764. vocabuli significatus receptus, 754
Actio quænam nobis in mentem revocet, 112
Actio animæ in corpus num observetur, 955. num ideo rejicienda, quod non observetur, 956
Actio corporis in mentem num observetur, 950. num ideo rejicienda, quod non observetur, 950
Actiones appetibiles quænam, 930
aversabiles quænam, 930
præteritæ quando mentem subeant, 111
spontaneæ quænam, 933
Actionum phantasmata quomodo producantur, 111
Actus reflexi quinam dicantur, 262
Ædificii novi idea quomodo vi imaginationis producatur, 149
Acumen. Definitio, 332. gradus, 335. medium, 333. 342
Acumen pervidendi abstracta in concretis in quo consistat, 336. quomodo juvetur, 337. 338
Affectus. Definitio, 603. quinam significatus usui loquendi conformis, 604. unde oriantur, 605. quales sint, 606. quid in corpore importent, 611. quando evanescant, 628. cur nunc in eodem subjecto excitentur, nunc non excitentur, 629. cur ab objecto eodem in uno producantur, in alio non producantur, 630
Affectus jucundi quinam sint, 608
molesti quinam sint, 609. quomodo in jucundos mutentur, 631
mixti quinam sint, 610
oppositi quando eadem re in diversis subjectis excitentur, 632
Amans quando gaudeat, 335
Amor. Definitio nominalis, 630. definitio realis, 647. quinam significatus vocabuli usui loquendi conformis, 653. qualis sit amor, 634. quomodo oriatur, 645. 646. 647. quando oriatur, 648. cur uniat homines, 659. quando odio repugnet, 683. quando in odium mutetur, 684. quando cum odio simul oritur, 685. quando odium extinguit, vel ab ipso extinguitur, 686. ejus effectus, 640. 642. 652. effectus quidam singularis, 659. signa, 641. 643. 692. 710. 721
Amor animalium num detur, 654. in quo consistat, 657. quinam sit ejus effectus, 656

Digitized by Google

Amor rerum inanimatarum num detur, 654. in quonam consistat, 657. quinam sit ejus effectus, 655
Analysis notionum quid sit, 339
Anima humana. Definitio, 20. existentia, 21. 22. prædicata eidem tribuenda, 27. quomodo cognoscatur, 28. diversi ejus status, 45. 47. potestas in claritatem perceptionum, 236. actio in corpus num observabilis, 955. an eadem rejicienda, quod non observetur, 956. quæ ipsi inexistentia rationem in corpore agnoscant, 959. quænam ejus mutationes a mutatione corporis pendeant, 948. 961. quod sit sui ipsius determinatrix, 932
Animalium quando commiseremur, 701
Animositas. Definitio nominalis, 847 ortus, 848. ratio, 849. Definitio realis, 850. quinam vocabuli significatus receptus, 851
Apperceptio. Definitio, 25. ejus ab arbitrio nostro dependentia, 234
A priori quid cognoscatur, 491
Appetitiva facultas. Pars inferior, 584. pars superior, 880. 881. quomodo vi pristinorum motivorum determinetur, 922
Appetitionis genesis quomodo innotescat, 924
Appetitio sub ratione boni quænam dicatur, 895. quando locum habeat, 896
Appetitus. Definitio, 579. lex, 904. objectum, 929. ratio sufficiens, 586. quomodo a scholasticis dividatur, 583 quo simili convenienter illustretur, 925. quomodo nascatur, 589
Appetitus regulæ quænam dicantur, 902
Appetitus lex quænam dicatur, 903
Appetitus irascibilis quid sit, 583
concupiscibilis quid sit, 583
fortis quinam sit, 911
rationalis. Definitio, 880. quando cum sensitivo consentiat, 908. 909. quando per sensitivum fortior fiat, 912
sensitivus. Definitio, 580. objectum, 591. 893. gradus, 599. quando fortior evadat, 595. quomodo rationalem fortiorem efficiat, 912. quando cum rationali consentiat, 908. 909. quando mutetur quoad gradum, 600. quando in contrarium, 601. 602. quomodo rationali permisceatur, 910
Ars characteristica. Definitio, 294. objectum, 295. usus in æstimanda probabilitate, 309. usus in rebus memoriæ mandandis, 310. & seqq.
Ars characteristica combinatoria. Definitio, 297. quomodo per eam veritates inveniantur, 299. quænam tanquam cognita præsupponat, 300. cur difficilis inventu, 301. cur sit lingua & scriptura universalis, 305. cur sit lingua philosophica, 305
Ars experimentandi, 458
Ars inveniendi. Definitio, 454. divisio, 455. unde regulas speciales derivet, 474. unde augmentum capiat, 475
Ars inveniendi artificum ab imaginatione pendens quando non fallat, 150
Ars inveniendi generalis, 473
specialis, 473
a priori. Definitio, 461. quænam præsupponat, 462. & seqq.

Digitized by Google

a posteriori quid & quotuplex sit, 457
Ars mnemonica quid sit, 104
Ars observandi quid sit, 458
Artificia heuristica. Definitio, 469. necessitas, 470
Artificium memoriæ. Definitio, 202. realitas, 201. usus, 203
Artis periti cur ex opere artis majorem voluptatem percipiant, 531
Assensus per demonstrationes extortus, 19
Assumenda in demonstrationibus, 11
Attentio. Definitio, 237. impedimenta, 241. 238. remedia, 239. 240. gradus, 243. & seqq. quomodo gradus comparentur, 248. quomodo conserventur & amittantur, 254. quomodo perficiantur & conserventur, 255. quomodo ipsa attentio conservetur, 240. 249. quomodo inter plura dividatur, 251
Attentionis directio num sit arbitrii nostri, 256
indifferentia quomodo acquiratur, 152
Attentio diuturna quomodo acquiratur, 250
Audiendi facultas quænam dicatur, 70
Auditus. Definitio. 20
Aversatio. Definitio, 581. lex, 906. objectum, 929. ratio sufficiens, 586. quomodo naseatur, 590. quo simili illustretur, 925
Aversatio fortis quænam sit, 905
rationalis. Definitio, 881. quando fortior fiat, 914
sensitiva. Definitio, 582. objecta, 592. 893. gradus, 599. quando fortior evadat, 596. quomodo rationali permisceatur, 911. quandō quoad gradum mutetur, 600. quando in contrarium mutetur, 601. 602. quando cum rationali consentiat, 915. 916.
sub ratione mali. Definitio, 895. quando locum habeat, 896
Aversationis regulæ quænam dicantur, 905
lex quænam dicatur, 906
Aversionis genesis quomodo innotescat, 924

B.

Bonum. Definitio, 554. notio confusa qualis, 593. 612. notio erronea, 561. criterium fallax, 560. quando majus appareat, 597. quando appetamus, 891. quando aversemur, 894. 896
Bonum apparens. Definitio, 558. qualis inde voluptas percipiatur, 564
animi, 556
corporis, 556
externum, 555
fortunæ, 556
internum, 555
verum. Definitio, 557. qualis inde percipiatur voluptas, 564

C.

Calculus in genere quid sit, 298
Claritatis diversitas in simul perceptis, 235
Coëxistentiæ mutationum in organo & sensationum in mente necessitas, 79
Cogitatio quid sit, 23. qualis sit, 26
Cognitio. Definitio, 51. 52. quando ejusdem evidentiæ, quæ est cognitioni existentiæ nostræ, 16
Cognitio a priori. Definitio, 434. unde proficiscatur, 438. quando facultates omnes in usum trahat, 430

Digitized by Google

a posteriori. Definitio, 434. quomodo acquiratur, 436
mixta, 434
intuitiva. Definitio, 286. quando confusa & distincta, 287. 288. quomodo in judicando se habeat, 349. & seqq. quomodo in ratiocinando, 354. & seqq.
mentis quomodo acquiratur, 28
particularis quænam sit, 321
philosophica unde, 499
singularis. Definitio, 319. objectum, 320
Symbolica. Definitio, 289. usus, 342. 363. 368. cur in judicando & ratiocinando intuitivæ præferatur, 351. 353. cur in ratiocinando, 369. ejus dependentia ab intuitiva quoad primam mentis operationem, 329. reductio ad intuitivam, 312
universalis. Definitio, 317. objectum, 318
Commercium mentis cum corpore in quo consistat, 962
Commiseratio. Definitio, 687. fons, 688. defectus, 689. 690. effectus, 693. 697. & seqq. causa, 694. definitio realis, 695. signum, 700. quinam sit significatus vocabuli receptus, 696
Commiseratio erga bruta, in quo consistat, 704
in res inanimatas, in quo consistat, 702. 703
Conclusio incognita an per syllogismum inferri possit, 403
Conditionata ratiocinatio qualis, 385. 386. 387
Connubium rationis & experientiæ, 497
Consensus aversationis rationalis & sensitivæ, 915. 916
Consequentiæ immediatæ quam rationem agnoscant, 410. quodnam habeant fundamentum, 411
Consequentiæ immediatæ ex oppositione 411
ex universali negante 413
in casu æquipollentiæ 414
in casu conversionis simplicis, 415. 416
a divisis ad composita 417
a composito ad divisa, 418
a rectis ad obliqua, 419. 420.
Consuetudo agendi, 923
Corpora quænam nobis præsentia, 59. 60. quænam absentia, 63
Corporis in loco præsentia, 61
in loco dato absentia, 64
Corpus suum, unde agnoscatur, 56. 58. ejus dependentia ab anima, 960. 961 ejus an in mentem actio observetur, 950
Cupiditas. Definitio nominalis, 805. realis 810. ortus, 806. mater, 807. objectum, 808. 909. 812. quinam vocabuli significatus receptus, 811
Cupiditas vindicta quid sit, 871. cur cum ira conjungatur, 872

D.

Definitio quando rei conveniat, 371. quando denegetur, 377. quomodo hieroglyphice repræsentetur, 155
Deforme quid sit, 543
Deformitas. Definitio, 548. in quo consistat, 547
Deformitas vera, 549
apparens 549
Demonstrandi habitu quinam polleat, 443

Digitized by Google

Demonſtratio & probatio ejusdem formæ num diſciplinis omnibus conveniat 399
Demonſtrationum qualis certitudo, 17
Demonſtratio conſummata in cujusnam poteſtate ſit, 444
Dependentia perceptionum reproducendarum a præſente, 109
Deſiderium. Definitio nominalis, 852. realis, 853. ſignificatus vocabuli receptus, 854
Deſperatio. Definitio nominalis, 820. ratio, 824. definitio realis, 825. quando eidem locus, 824. quando iræ permiſceatur, 866. quinam vocabuli ſignificatus receptus, 826.
Difficultas agendi in quonam conſiſtat, 427
Diſciplinæ cur per figuras hieroglyphicas tradi poſſint, 158
Disjunctiva ratiocinatio qualis, 389
Diſplicere quid dicatur, 542
Diſpoſitio ad agendum, vel patiendum quid ſit, 426
Diſpoſitio acquiſita, 429
naturalis, 429
Diſtincte percepta cur memoriæ facile mandentur & diu retineantur, 200
Diſtincta ratiocinatio quænam, 441
Diverſa quando eadem appareant, 87
Dolor. Definitio, 539. num tædiis ſpecies, 541. quinam ſignificatus vocabuli uſui loquendi conformis, 540
Dolorum perceptio, 951

E.

Electionis rationes extrinſecæ, 899. & ſeqq.
Empirici in actionibus quinam ſint, 502
Enunciabile quid dicatur, 280. quodnam ſit, 281
Ens fictum quomodo ab imaginatione producatur, 146. quomodo cum reali non confundatur, 147
Error num a ratione proficiſcatur, 500
Evigilare quid ſit reſpectu animæ, 119
Exercitium quid ſit, 195
Exiſtentiæ noſtræ cognitio quo fundamento nitatur, 11. quodnam principium agnoſcendi habeat, 12. qua certitudine & evidentia nitatur, 14. 15. 16.
Expectatio caſuum ſimilium quid ſit, 503. cur rationi ſimilis, 504. 505. quando eidem æquipolleat, 507. 508
Experientiæ & rationis connubium, 497
Experimentum. Definitio, 456
Extenſio imaginationis & memoriæ in quo conſiſtat, 198. quodnam ſit ejus principium, quinam progreſſus, 199

F.

Facultas animæ quid ſit, 29
Facultas abſtrahendi. Definitio, 282
exercitium, 283. & ſeqq.
appetendi, 584
audiendi, 70
cognoſcendi. Definitio, 53. pars ſuperior, 55. inferior, 55
fingendi, 144. 145
guſtandi, 72
imaginandi, 92
olfaciendi, 71
ſentiendi, 67
tangendi, 73
videndi, 69
Faſtidium. Definitio nominalis, 858. ortus, 859. objectum, 860. quinam vocabuli ſignificatus receptus, 861
Felicitas. Definitio, 636. quænam ad eam referuntur, 637
Fiducia. Definitio nominalis, 796. realis,

Digitized by Google

alis, 802. quinam vocabuli significatus receptus, 803
Figmentum quid sit, 170. quo respectu sit ens verum, 171
Figuræ hieroglyphicæ. Definitio, 158. inventio, 152. perfectio, 153. 154. vis significandi, 159. usus in repræsentandis definitionibus, 155. & propositionibus, 156. atque in tradendis disciplinis, 157
Figuræ hieroglyphicæ primitivæ, 160. 161. 163
derivativæ, 160. 164. 165
vicariæ, 168. 169
Figuræ secundæ & tertiæ syllogismorum origo, 401
Fluctuatio animi. Definitio nominalis, 831. realis, 835. ortus, 832. causa 833. 834. quinam vocabuli significatus sit receptus, 836
Fuga mali. Definitio nominalis, 813. realis, 818. objectum, 816. 814. mater, 815. ortus, 817. quinam vocabuli significatus receptus, 819
Fundamentum cognitionis existentiæ nostræ quale sit, 11. 12.
Juris naturæ, 945
philosophiæ civilis, 945
moralis, 945
Futuritionis cognitio qualis in spe & fiducia, 804

G.

Gaudium. Definitio nominalis, 614. realis, 614. effectus, 615. causa, 720. 722. ortus, 616. significatio, 617. mutabilitas in eodem subjecto, 627. cur non in omnibus idem eadem re excitetur, 626. quinam significatus usui loquendi conformis, 618
Gaudium amantis, 635
odentis, 663
de re inanimata quomodo ab amore ejus differat, 658
ex bene factis ab altero perceptum, 752
Genus quando rei conveniat, 371
Generum notiones quomodo abstrahantur, 286
signa, 269. 270
Gloria. Definitio nominalis, 765. 766. realis 769. ortus, 767. 768. effectus, 771. signum, 773. quinam vocabuli significatus receptus, 770
Gloria doctis quænam placeat, 772
Gradus attentionis quales sint, 243. & seqq. quomodo comparentur, 248. & amittantur, 254. perficiantur & conserventur, 255
Gratitudo. Definitio nominalis, 784. realis, 789. causa, 785. effectus, 783. & seqq. cum pudore cognatio, 781. signum, 782. quinam vocabuli significatus receptus, 790
Gustus. Definitio, 72

H.

Habitus. Definitio, 428. quomodo acquiratur, 430. conservetur & perficiatur, 431. amittatur, 432. quando cum contrario simul acquiratur, 433
Hæsitatio animæ in re cognoscenda quando locum habeat, 232. & seqq. ejus gradus, 225
Hilaritas. Definitio, 855. ortus, 856. quinam vocabuli significatus receptus, 857
Historia unde oriatur, 498

Digitized by Google

Homines quales ſint. in actionibus ſuis, 501
Horror. Definitio nominalis, 837. quan terroris ſocius, 839. quando deſperationis, 840. quinam vocabuli ſignificatus receptus, 838

I.

Idea. Definitio, 48. artificioſa reproductio & recognitio, 201
Idea reproducta recognitio. Definitio, 173. lex, 174. obſcuritas, 220
Idea mutationibus organorum ſenſoriorum reſpondentes, 90
Idearum reproducendarum & recognoſcendarum difficultas, 229. impotentia, 211
Idea rei perceptæ *ſocia*, 221
Ideæ ſenſuales, 95
Ideæ ſenſibilium quomodo reproducantur, 91
Idem quando appareat diverſum, 89
Ignorantia animæ circa motum corporis, 957
Ignoti cur nulla cupido, 588
Illatio. Definitio, 365
Illuminatio. Definitio, 35
Imaginatio. Definitio, 92. gradus, 193. lex, 117. quando ſenſui æquipolleat, 98. quando a ſenſu obſcuretur, 99. quando majorem claritatem habet, 101. 102. quorumnam ideas clariores producat, 103. quorumnam ideas reproducat, 104. & ſeqq. quomodo ſeriem perceptionum continuet, 110. quomodo entia ficta producat, 146. quando ſeſe arbitrio noſtro ſubducat, 172. quomodo vires ejus extendantur, 197. 198. quænam ejus vi cognoſcantur, 407. quomodo attentionem impediat, 241. 242
Imaginationis regulæ. Definitio, 115
lex. Definitio, 116
Imaginatio viva, 478
ingenioſi, 479
Imaginandi facilitas, 94
Indignatio. Definitio realis, 873. differentia ab ira, 873. ortus, 877
Indifferentia exercitii, 946
Indifferentia ad voluptatem vel tædium, 533
Indifferentiæ ſtatus in anima, 585. 587
Individuum quomodo ad ſuam ſpeciem ſuumque opus reducatur, . . 359
Infelicitas. Definitio, 637. quænam ad eam referantur, 639
Infirmitatum corporis perceptio, 957
Ingenium. Definitio, 467. quando ſignificatus vocabuli uſui loquendi conformis, 477
Ingenioſi imaginatio qualis, 479
memoria qualis, 480
Intellectus. Definitio, 275. gradus objectivus, 276. gradus formalis, 277. omnium maximus, 278. limitatio, 279. quænam ejus notio uſui loquendi conformis, 316
Intellectus purus. Definitio, 343. quando purus, 314. cur nunquam prorſus purus, 315
non purus. Definitio, 343
Inventores cur ingenio opus habeant, 481
Inventores primi quibus principiis uſi, 464
Inventoris requiſita, 462. & ſeqq.
Invidia. Definitio, 705. fons, 706. 707. abſentia, 708. 709. objectum, 733. effectus, 712. cauſa, 713. definitio realis, 714. ſignum, 717. 718. cur odium comitetur, 724. quando vocabu-

Digitized by Google

cabuli significatus usui loquendi conformis, 715
Invidia adversus animalia bruta. Definitio, 725. causa, 726. 729
Quasi Invidia erga rem inanimatam, 727. 728
Ira. Definitio nominalis, 862. realis, 868. affectus eidem permixti, 863. & seqq. quinam vocabuli significatus usui loquendi conformis, 870
Iræ vehementia unde, 867. quando vehemens ex levi causa, 869
Ira ob injuriam alteri factam, 874. 875. 876
Irrisio. Definitio nominalis, 730. objectum, 731. 732. effectus, 736. 737. signum, 738. ortus, 740. 735. ratio, 739. definitio realis, 741. quando præter rationem detur, 747. 748. gradus summus, 746. quinam ad eam pronus, 734. quinam vocabuli significatus usui loquendi conformis, 742
Judicii affirmativi actus in cognitione intuitiva, 343
Judicii negativi actus in cognitione intuitiva, 345. 346. 347
Judiciorum categoricorum applicatio, 360
hypotheticorum applicatio, 361
Judicium quale in cognitione symbolica, 350
Judicium contingens quale in cognitione intuitiva, 347. 349
determinatum in cognitione intuitiva, 348
Jus naturæ unde principia hauriat, 16. quo fundamento nitatur, 945

L.

Labilitas memoriæ, 209
Lassitudinis corporis perceptio, 951
Legitima ratiocinatio quænam dicatur, 372
Leibnitius quem in notionibus explicandis secutus, 76
Lex appetitus. Defin. 903. qualis sit, 904
aversationis. Definitio, 906. qualis sit, 907
imaginationis. Definitio, 116. qualis sit, 117
perceptionum. Definitio, 84
phantasmatum. Definitio, 116. qualis sit, 117
ratiocinandi. Definitio, 373. qualis sit pro ratiociniis affirmativis, 374. qualis pro negativis, 384
ratiociniorum disjunctivorum, 390
ratiociniorum hypotheticorum, 388
sensationum. Definitio, 84. qualis sit, 85
Legum demonstrationis & seriei perceptionum continuationis identitas, 395
Libertas animæ. Definitio, 941. evictio, 942. notio spuria, 944. quinam significatus recepto conformis, 943
Linguæ exoticæ quomodo addiscantur, 274
Lingua philosophica. Definitio, 303. unde pendeat, 305
universalis. Definitio, 302. quænam præstantissima, 307. quando absque Lexico addisci possit, 308. unde pendeat, 305
Lingua vernacula quomodo addiscatur, 274
Logica unde principia hauriat, 9
Lubentia, 938
Lumen animæ quid significet, 35

Digitized by Google

M.

Malum. Definitio, 565. notio confusa qualis, 594. quando appetamus, 894. quando appetamus, 896. quodnam majus videatur, 613. criterium fallax, 572. notio erronea, 573
Malum apparens, 568. quale tædium inde percipiatur, 569
animi, 567
corporis, 567
fortunæ, 567
externum, 566
internum, 566
Memoria. Definitio, 175. notio imaginaria, 177. gradus, 193. differentia in diversis subjectis, 182. & seqq. velocitas & tarditas, 186. adminicula ab arte characteristica combinatoria expectanda, 310. & seqq. an ideas reproducat, 176. quando non satis fida, 232. & seqq. quando fallat, 207. quando labatur, 207. quomodo extendatur, 197. 198.
Memoria magna. Definitio, 192. mensura, 194
naturalis & artificialis, 205. 206
bona. Definitio, 189. gradus, 190. mensura, 191
Memoria qualis ingenioso, 780
Memoriæ artificium. Definitio, 202. usus, 203
labilitas, 209
lapsus. Definitio, 207. possibilitas, 208. causa, 210
subsidium in retinendis abstractis, 285
Memoriæ mandare quid sit, 178. quomodo quid mandetur, 179. mandandi subsidium, 310. mandandi facilitas & difficultas, 187. medium, 196. objectum, 200
Memoria retinere quid sit, 180. quando quid retineamus, 181. diu quid retineatur, 188. medium diu retinendi, 190. objectum, 200
in *Memoriam revocare* quid sit, 228
Mens humana. Definitio, 20
Melius cur alteri præferatur, 898
Metus. Definitio nominalis, 820. realis, 822, objectum, 821. quando iræ permisceatur, 865. quinam significatus usui loquendi conformis, 826
Minus malum quando appetamus, 897
Mnemonica qualis sit ars, 104
Modi cognoscendi quotuplices, 435
Motivum. Definitio, 887. usus, 888. necessitas, 889. in quo consistat, 890. num cogat appetitum vel aversationem, 931
Motiva completa, 919
incompleta, 919
Motus voluntarii. Definitio, 936. quod dentur, 953. 954. quibus volitiones observabiles non respondeant, 958

N.

Natura inesse quid dicatur, 425
Nexus perceptionum unde sit, 113
rerum a nexu perceptionum independens, 114
recognitionis & reproductionis idearum, 212
Noluntas, Definitio, 881. objectum, 892. quando cogi dicatur, 920. num possit cogi, 927. quinam significatus usui loquendi conformis, 886
Nolitio. Definitio, 882. quid non sit, 884.

in

Digitized by Google

in quo consistat, 885. ratio, 937. spontaneitas, 934. num per essentiam animæ determinatæ, 943
Nolitionis mutatæ causa, 928
Nolitionum contingentia, 935
Nomen quando rei vindicetur, 362. 354. & seqq. quando denegetur, 375. 376
Nexæ resolubiles. Definitio, 162. hieroglyphica repræsentatio, 166
irresolubiles. Definitio, 162. hieroglyphica repræsentatio, 164
Notio. Definitio, 49. Differentia, 50. quomodo ex ratiociniis oriatur, 391
Notionum analysis, 339
Notionum generalium usus, 338
Notiones adæquatæ quomodo hieroglyphice repræsententur, 167
complexæ, quomodo a judiciis differant, 352
confusæ quando rei denegentur, 575
distinctæ quomodo hieroglyphice repræsententur, 164
particulares. Definitio, 321. objectum, 322
Notionum ontologicarum usus, 337
Notiones psychologicas quinam investigare possit, 9

O.

Objectum sensibile. Definitio, 77. species, 77
Oblivio. Definitio, 215. objectum, 217. limites accurati, 216. dependentia ab arbitrio nostro quanta sit, 218. quænam non noceat habitui acquisita, 453
Oblivioni traditorum recognitio, 232
Observatio. Definitio, 456
Odium. Definitio nominalis, 661. realis, 677. ortus, 662. 673 674. effectus, 664. 670. signum, 665. 668. 711. 717. 719. 723. deficientis signum, 710. 691. in amorem mutatio, 684. cur amori repugnet, 683. cur invidiam comitetur, 724. quomodo in indignatione sese habeat, 878. quando in eadem prædominetur, 879. quinam significatus vocabuli usui loquendi conformis, 678. quando cum amore simul oriatur, 685. quando amorem extinguat & ab eodem extinguatur, 686
Odium rerum inanimatarum & animalium. Definitio, 682. in quo consistat, 679. effectus, 680. 681
Olfactus. Definitio, 71
Ordo cogitandi in demonstrationibus, 396
in probatione probabili, 397
in probatione omni, 398
Organum sensorium. Definitio, 66
Operationum intellectus numerus, 325
Operationis intellectus primæ usus in cognitione intuitiva, 326

P.

Per accidens. quid ex altero sequatur, 575
Perceptio. Definitio, 24
Perceptiones quænam ab imaginatione producantur, 107
Perceptiones rerum materialium unde pendeant, 57
Perceptionum continuatio, 110. 393. 394
forma ab arbitrio animæ independens, 78
nexus unde sit, 113
regulæ, 83
reproductio quomodo faciliteretur, 107. 108

Digitized by Google

reproducendarum dependentia a præsente, 109
Perceptio clara. Fundamentum, 30. definitio, 31
composita. Definitio, 40. quando distincta, 41
confusa. Fundamentum, 37 Definitio, 39
distincta. Fundamentum, 37. Definitio, 38. gradus, 42. quando locum habeat, 266. quomodo acquiratur, 267
obscura. Fundamentum, 30. Definitio, 32. num eidem insint clare percepta, 33. num ipsa percipiatur clare, 34
partialis. Definitio, 40
totalis. Definitio, 43. quando distincta, 44. quando obscura, 46
universalis quomodo acquiratur, 268
Perfectio. Definitio, 510. Divisio, 510
Per se quid ex altero sequatur, 574
Phantasma. Definitio, 93. claritas qualis, 96. an oriatur sine prævia sensatione, 106. lex, 116
Phantasmata cur arte repræsentari possint, 148. cur diversa in eodem subjecto ex eadem sensatione propagantur, 131. quando ab ideis sensualibus distinguantur, 97. cur diversa in diversis subjectis ex eadem sensatione nascantur, 130
Phantasmata actionum quomodo producantur, 111
Phantasmatum compositio, 142. 143
divisio, 134. 139. 140
Lex, 117
regula, 115
successio, 110
Philosophiæ civilis, fundamentum, 945.
moralis fundamentum, 945
practica unde principia hauriat, 8
Placere quid dicatur, 542
Pœnitentia. Definitio nominalis, 755. realis, 759. in quo consistat, 756. effectus, 758. 762. quando ex facto alieno enascitur, 757. quando iræ permisceatur, 864. quinam vocabuli significatus loquendi usui conformis, 760
Potentia perceptiones combinandi, 141
dividendi, 141
Prædicata quomodo rebus vindicentur, 362
absoluta quando rei denegentur, 379
hypothetica quando rei denegentur, 380. 381
Prædominium voluptatis, 529
tædii, 529
Præsentia animi quomodo acquiratur, 253
corporis in loco, 61
corporis nostri, 62
Prima mentis operatio qualis in cognitione Symbolica, 328. in quonam consistat, 330. ejus limites, 331
Principium moderandi actiones humanas, 501
Principium reductionis, 472
A *priori* quid cognoscatur, 491
Pristinorum motivorum effectus, 922
Probabilitatis æstimandæ medium, 309
Probationis & explicationis sufficientis nexus, 447
Profundius intellectus. Definitio, 340. gradus,

Digitized by Google

gradus, 340. medium, 342. quomodo gradus æſtimentur, 341
Promptitudo agendi, 428
Propoſitionum hieroglyphica repræſentatio, 156
Propoſitionis incognitæ ex cognitis formatio, 364
Propoſitiones particulares quando condendæ, 323. quinam earum uſus in probabilibus, 324
Pſychologia empirica. Definitio, 1. quomodo cognoſcatur, 2. uſus varii, 4. & ſeqq.
Pſychologia rationalis. Unde principia hauriat, 4. quomodo empiricam perficiat, 5
Pſychologici ſtudii, 10
Pudor. Definitio nominalis, 774. 775. effectus, 776. 778. quinam ad eum pronus, 777. definitio realis, 779. quando iræ permiſceatur, 863. quinam ſignificatus recepto conformis, 780
Pugna partis ſuperioris ac inferioris facultatis appetendi, 917. 918.
Pulchritudo. Definitio, 544. in quo conſiſtat, 545
Pulchritudo vera, 546.
apparens, 546
Pulchrum quid ſit, 543
Puſillanimitas. Definitio nominalis, 841. realis, 844. ortus, 842. caſus ſpecialis, 845 quinam ſignificatus recepto conformis, 846

Q.

Quaſi invidia erga rem inanimatum, 727. 728

R.

Ratio definitio, 483 gradus, 488 489. differentia ab experientia, 490. connubium cum experientia, 497
Ratio pura, 495. 496
non pura, 495
Rationis analogum quid ſit, 506
defectus unde agnoſcatur, 493. beneficio quomodo quid agnoſcatur, 494
Rationi conforme quid ſit, 485. 486
contrarium quid ſit, 485. 487
Rationales in actionibus quinam ſint, 502
Ratiocinatio. Definitio, 366. in quo conſiſtat, 367. quando fiat, 383
Ratiocinatio conditionata qualis, 385. 386. 387
legitima quænam, 372
disjunctiva qualis, 389
diſtincta qualis, 441
Ratiocinia naſcentia, 354. & ſeqq
diſtincta, 356
Ratiociniorum Symbolica expreſſio 368. effectus, 370. 382. uſus in explicanda ſucceſſione idearum,
Recognitio idearum. Definitio, 173. lex, 174. quando dubia, 219. 222. & ſeqq.
Recognitionis iteratæ ratio, 213. 214
Reductio heuriſtica quo fundamento nitatur, 471
Reflexio. Definitio, 257. uſus, 258. ambitus, 266. impedimenta, 264. medium, 265
Reflexio animæ ſuper ſe ipſa, 261
promiſcua quomodo acquiratur, 263
Regimen corporis quale animæ tribuendum, 964

Digitized by Google

Regulæ appetitus, 902
imaginationis, 115
perceptionum, 83
ratiocinandi, 372
ſenſationum, 83
Reminiſcentia. Definitio, 230. medium, 231
Rei meminiſſe quando dicamur, 126
non meminiſſe quando dicamur, 127
Rerum perceptarum collatio. Definitio, 259
Riſus quando naſcatur, 743. quando cum irriſione conjungatur, 744. quando alios rideamus, 745

S.

Sanguinis motus extraordinarii perceptio, 952
Schaden-frohe quinam dicatur, 746
Scientia quanta nobis ſit, 451. quarum nullam habemus, 452. unde ſit, 498
Scripturæ univerſalis. Definitio, 302. unde pendeat, 305
Senſationes. Definitio, 65. quando eædem, 86. quando diverſæ, 88. quomodo impediantur, 80. 81. quomodo debilitentur, 82. regulæ, 83. lex, 84. 85. quando ideas imaginationis obſcurent, 99. quando clariores ſint, 100. quando voluptatem pariat, 550. quando tædium pariant, 551. quod cum mutationibus in organo neceſſario coëxiſtant, 79. cur attentionem impediat, 238
Senſationis debilitatæ effectus, 132. 133
Senſatio fortior. Definitio, 74. effectus, 76
debilior. Definitio, 75. quomodo obſcuretur, 76
Senſibilia quænam clarius imaginemur 103
Senſibus grata quando faſtidiamur, 860
Senſus. Definitio, 67. numerus, 68
Signa ad res occultandas apta, 291
ad inveniendum apta, 293. 296
ad diſtincte exprimendas notiones rerum apta, 292. ad compendioſam ſcriptionem apta, 290
Signa derivativa qualem ſignificatum habeant in arte combinatoria characteriſtica, 304. qualem uſum habeant in eadem, 305. 306. 309
Significatus hieroglyphicus, 151
Solida doctrina. Definitio, 448. methodus eidem conveniens, 449. ejus poſſeſſor, 450
Soliditas. Definitio, 440. gradus, 442. effectus, 444. 445
Solidus quinam ſit, 446
Somnium, quid ſit, 120. 121. a qua facultate mentis proficiſcatur, 122. quomodo incipiat & continuetur, 123. 126. quomodo res in eodem appareant, 127. quale ſit 128. unde ſit diverſitas ſomniorum ejusdem initii, 129. 133. quomodo extinguatur, 134. 135. quando ſit obſcurum, 136
Somniorum diverſitas, 124. 129. 133
Somnium clarum, 137
compoſitum, 125
obſcurum, 137
ſimplex, 125
Somnus quid ſit reſpectu animæ, 118. 119
Somnus profundus quomodo differat a communi, 119
Species quando rei conveniat, 371

Spe-

Digitized by Google

Specierum notiones quomodo abſtrahantur, 283
ſignæ, 269. 270
Specioſa generalis quid ſit, 297
Spes. Definitio nominalis, 796. objectum, 797. 798. ortus, 799. definitio realis, 800. gradus, 801. quinam vocabuli ſignificatus receptus, 803
Spontaneitas, Definitio, 933
Spontaneæ actiones quando ſint, 933
Status mentis ex aliis naſcens per imaginationem, 422. per ſyllogiſmos categoricos, 404. 405. hypotheticos, 406. disjunctivos, 407. per conſequentiam immediatam, 421
Status perceptionum diſtinctarum quinam ſit, 45
Status perceptionum obſcurarum quinam ſit, 47
Status præſens mentis quomodo ex aliis enaſcatur, 405. quomodo gravidus futuri, 408. 409. 423. 424. quomodo inprægnetur, 408
Syllogiſmi crytici ortus, 401
Syllogiſmorum forma cur in demonſtrationibus lateat, 400. uſus in ortu ſtatuum mentis explicando, 405. & ſeqq. uſus in inveniendo, 465. & ſeqq.

T.

Tactus. Definitio, 73
Tædium. Definitio, 518. conſtantia, 520. gradus, 521. 522. mutabilitas, 571. 627. mutatio, 534. quale ſit ens, 535. quando cum voluptate coëxiſtat, 526. in qua perceptione conſiſtat, 536. quando adverſus voluptatem prævaleat, 527. quando non percipiatur, 528. cur ex mali cognitione percipiatur, 560. quando ab eo ad voluptatem valeat argumentatio, 666. quomodo ex malo apparente ſequatur, 576. quomodo ex bono ſequatur, 577. 578. quando majus appareat, 598. num affectus ſpecies ſit, 617. quinam vocabuli ſignificatus receptus, 519
Tædium mixtum quale ſit, 525
Tædia ſenſuum quænam ſint, 553
Tenebræ animæ quid ſignificent, 36
Terror. Definitio nominalis, 827. realis, 829, quinam vocabuli ſignificatus receptus, 830. quando iræ permiſceatur, 865
Terror deſinens qualis, 828
Tertia mentis operatio, 366
Theologia naturalis unde principia hauriat, 7
Timor. Definitio, 823. quinam vocabuli ſignificatus receptus, 826
Triſtitia. Definitio nominalis, 619. realis, 623. qualis ſit, 620. unde oriatur, 621. cujusnam ſit ſignum, 622. quinam vocabuli ſignificatus uſui loquendi conformis, 625

V.

Vacillatio animi, 831
Veritas quomodo a priori eruatur, 460. 466. & ſeqq.

Veri-

Digitized by Google

Veritatum geometricarum evidentia, 18
universalium nexus, 482
Visio quomodo olim divisa, 76
Visus. Definitio, 69
Universalium intuitiva cognitio, 327
Unio animantium se mutuo, 660
Unio animæ cum corpore, 963
Vocabulum. Definitio, 271. vis significandi, 272. 273
Vocabulum essentialiter significans. Definitio, 303
Volitio. Definitio, 882. quomodo nascatur, 891. num sit spontanea, 934. quinam vocabuli significatus receptus, 886
Volitionis mutatæ causa, 928
Volitiones num sint per essentiam animæ determinatæ, 940
Volitionum contingentia, 935
lubentia, 938
spontaneitas, 934
Volitionis omissio quid denotet, 883
Voluntas. Definitio, 880. objectum, 892. quomodo cogi dicatur, 926. num cogi possit, 927. quinam vocabuli significatus receptus, 886
Voluntas antecedens. Definitio, 920. quando consequenti contraria, 921
consequens. Definitio, 920. quando antecedenti contraria, 921
Voluptas. Definitio, 511. constantia, 513. gradus, 516. 517. mutatio, 534. quando adversus tædium prævaleat, 527. in qua perceptione consistat, 536. quando non percipiatur, 528. cur ex eadem re ab omnibus non eadem percipiatur, 530. num sit affectuum species, 607. quomodo ab ea ad tædium valeat argumentatio, 644. 666. quænam ex cognitione & inventione veritatis percipiatur, 532. quænam ex cognitione boni, 558. 559. 612. quinam vocabuli significatus usui loquendi conformis, 512
Voluptas apparens. Definitio, 514. mutabilitas, 562. mutatio, 563. cum vera confusio, 537. 538
mixta. Definitio, 523. ortus, 524
simplex, 523
vera. Definitio, 514. qualis sit, 515
Voluptates sensuum quænam sint, 552

INDICIS FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google